This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

J. 75

Bd. Jan, 1884.



The Gift of the
Family of
President C. C. Felton.

12 Sept, 1868.





ORATORES ATTICI

ET QUOS SIC VOCANT

SOPHISTÆ

OPERA ET STUDIO

GULIELMI STEPHANI DOBSON A.M.

REGIÆ SOCIETATIS LITERARUM SOCII

TOMUS DECIMUS QUARTUS



LONDINI

EXCUDIT J. F. DOVE

(APUD QUEM ETIAM VENEUNT)

A. S. MDCCCXXVIII.

G.73

ISOCRATIS

ISÆI DINARCHI

LYCURGI DEMADIS

ET

SOPHISTARUM

INTERPRETATIO LATINA

LONDINI

PROSTANT APUD J. F. DOVE

A. S. MDCCCXXVIII.

G.73

1868, Sept. 12.
Gift of the family of
President C. C. Felton.

TABULA

EORUM QUÆ CONTINENTUR.

IN

TOMO DECIMO QUARTO.

ISOCRATES.

ORATIONES.

	Pag.
I. Isocratis ad Demonicum	1
II. Isocratis ad Nicoclem	8
III. Isocratis Nicocles	15
IV. Isocratis Panegyrica	24
V. Isocratis ad Philippum	49
VI. Isocratis Archidamus	70
VII. Isocratis Areopagitica	86
VIII. Isocratis de Pace	98
IX. Isocratis Evagoras	118
X. Isocratis Helenæ Laudatio	129
XI. Isocratis Busiris	138
XII. Isocratis Panathenaica	146
XIII. Isocratis contra Sophistas	186
XIV. Isocratis Plataica	190
XV. Isocratis de Permutatione	198
XVI. Isocratis de Bigis	239
XVII. Isocratis Trapezitica	246
XVIII. Isocratis adversus Callimachum	255
XIX. Isocratis Æginetica	264
XX. Isocratis contra Lochitem	271
XXI. Isocratis adversus Euthynum	274

EPISTOLÆ.

I. Isocrates Dionysio	279
II. Isocrates Philippo	281
III. Isocrates Philippo	285
IV. Isocrates Antipatro	287
V. Isocrates Alexandro	290
VI. Isocrates Iasonis liberis	291
VII. Isocrates Timotheo	294
VIII. Isocrates Mytilenæorum magistratibus	296
IX. Isocrates Archidamo	298
X. Isocrates Dionysio	302

ISÆUS.

Pag.
I. Isæi de Cleonymi Hereditate . . . 305
II. Isæi de Menèclis Hereditate . . . 313
III. Isæi de Pyrrhi Hereditate . . . 320
IV. Isæi de Nicostrati Hereditate . . . 337
V. Isæi de Dicæogenis Hereditate . . . 344
VI. Isæi de Philoctemonis Hereditate . . 355
VII. Isæi de Apollodori Hereditate . . . 369
VIII. Isæi de Cironis Hereditate 380
IX. Isæi de Astyphili Hereditate . . . 392
X. Isæi de Aristarchi Hereditate . . . 401
XI. Isæi de Hagniæ Hereditate 408

DINARCHUS.

I. Contra Demosthenem 423
II. Contra Aristogitonem 441
III. Contra Philoclem 446

LYCURGUS.

I. Contra Leocratem 453

DEMADES.

I. De Duodecennali 483

SOPHISTÆ.

I. Lesbonactis Politica 489
II. Lesbonactis Hortatoria I. 490
III. Lesbonactis Hortatoria II. 493

I. Herodis de Republica 495

I. Antisthenis Ajax 500
II. Antisthenis Ulysses 501

I. Alcidamantis Ulysses 504

I. Gorgiæ Helenæ Encomium 508
II. Gorgiæ pro Palamede Apologia . . . 511

ISOCRATIS

AD DEMONICUM

ADMONITORIA.

1. Quum multis, Demonice, in rebus multum interesse videas inter bonorum rationes et improborum cogitationes: tum in familiaritatibus longe maximum discrimen habent. Nam alteri amicos, dum adsunt tantum, colunt; alteri etiam longe remotos amant: ac improborum quidem necessitudines paulo momento pereunt; bonorum autem amicitias nulla temporis longinquitas deleverit. Quum igitur iis qui gloriam expeterent et liberalibus artibus studerent, bonos et non improbos imitandos censerem, hanc orationem dono tibi misi, quæ et benevolentiæ nostræ pignus esset, et meæ cum Hipponico familiaritatis signum. Ut enim rei familiaris sic et amicitiæ paternæ liberis capienda est hereditas.

2. Ac nobis et fortunam suffragari et ipsum tempus opitulari video: nam et tu erudiri cupis, et ego in aliis erudiendis elaboro; tu quidem in eo ætatis flore es ut literis studeas, ego literarum studiosis viam commonstro. Etsi autem ii qui ad amicos exhortationes scribunt, rem certe præclaram suscipiunt, non in eo tamen versantur quod est in sapientiæ studio præstantissimum; qui vero adolescentibus tradunt ea non quæ in dicendi exercitatione et oratoria facultate eos acuant, sed quæ ad naturale decus honestatis conforment, eo plus quam illi fructus afferunt auditoribus, quod, ut alteri ad eruditionem verborum duntaxat hortantur, sic alteri etiam mores eorum corrigunt. Nos igitur, non arrepta hortatione, sed conscripta præceptione, tibi consulturi sumus, quæ res adolescentibus expetendæ quæque facta fugienda sint, et quorum hominum consuetudine uti, et quo pacto vitam instituere debeant. Nam, qui hoc vitæ quasi iter ingressi sunt, hi soli veræ virtutis compotes fieri potuerunt; qua nulla possessio neque splendidior est neque constantior. Nam forma quidem aut ætate consumitur aut morbo defloreſcit: divitiæ vero vitiorum magis quam virtutis ministræ sunt, cum quod ignaviæ facultatem offerunt, tum quod adolescentes ad voluptates invitant. Jam vires corporis cum prudentia conjunctæ sane prosunt, sed sine hac plus iis ipsis nocent

penes quos sunt, et ut corpora pugilum ornant, sic tenebras curationi mentis obducunt: virtutis autem possessio, in quorum animis sincere una cum ætate accreverit, sola nec in senectute deserit, et opibus præstantior et nobilitate utilior; nam quæ alii efficere non possunt, ea facit ut obtineri possint quæ multitudini horrenda videntur, magno animo subit, desidiam in vitio ponit, laborem laudi sibi ducit. Quæ quidem facile tum ex Herculis certaminibus tum e Thesei operibus perspici possunt, quorum factis norma virtutis directi mores tantum gloriæ decus impresserunt, ut nulla sæcula res eorum gestas oblivione delere possint.

3. Atque adeo, si quod vitæ institutum patris tui fuerit recordere, domesticum et illustre habebis exemplum eorum quæ a me dicuntur: nec enim sic exegit ætatem, ut vel virtutem negligeret vel ignaviæ sese dederet, sed et corpus laboribus exercuit et animum ad pericula paratum habuit; neque pecuniam supra modum amavit, sed et bonis suis usus est ut mortalis, et rem familiarem curavit ut immortalis; neque vero vitam abjecte instituit, sed et splendidus fuit et magnificus et benignus in amicos, ac sui studiosos pluris fecit quam generi sibi propinquos. Ad amicitiam enim constituendam longe plus esse virium in natura quam in lege, in moribus quam in genere, in voluntate quam in necessitate, judicabat. Deficeret nos omne tempus, si omnes illius actiones enumeraremus: sed illas accuratius alias explicabimus, nunc specimen Hipponici naturæ exhibuimus, quod tanquam exemplar in vita degenda propositum tibi esse debet, ut mores illius pro legibus habeas, paternamque virtutem admireris et æmuleris. Nam, quum pictores pulcras animantes exprimant, liberis turpe fuerit parentes virtute præstantes non imitari. Quare persuasum habeto, nulli pugili tantam esse præparationem adhibendam contra suos adversarios, quam tibi curandum sit ut in hoc certamine laudis sis patri tuo par. Nequaquam autem fieri potest ut quisquam hoc in animum inducat suum, ni multis et bonis præceptis fuerit refertus: nam ut moderatis laboribus corpora, sic honesta doctrina mentes augeri solent. Ego itaque te breviter monere conabor, quibus studiis maximas ad virtutem progressiones facturus et ab aliis omnibus laudem et gloriam consecuturus esse videaris.

4. In primis igitur deos immortales religiose colito, non sacrificia modo faciendo sed jurejurando etiam conservando: nam illud amplæ pecuniæ indicium est, hoc morum integritatis argumentum. Venerare numen cum alias semper, tum maxime quum sacra publice fiunt: sic enim apparebit te simul et diis immolare et legibus obtemperare. Talem erga parentes te præbe, quales in te liberos esse tuos optares. Eas corporis exercitationes amplectere, non quæ ad robur, sed quæ valetudini prosint. Quod ita consequere, si

laborare desines, dum adhuc laborare queas. Neque petulantem risum ama, neque audacem orationem proba: nam alterum stultitiæ est, alterum insaniæ. Quæ facta sunt turpia, ne dicta quidem decora esse puta. Assuefac te ut sis vultu non torvo, sed severo; nam illud insolentiæ, hoc prudentiæ tribuetur. Existima te maxime decere modestiam, verecundiam, justitiam, temperantiam; his enim virtutibus omnis adolescentiæ disciplina continetur. Si quid unquam turpe admiseris, ne sperato fore clam: nam ut alios id celes, at ipse tibi eris conscius. Deos time, parentes autem honora: amicos verere, legibus obtempera. Eas sequere voluptates quæ gloriam pariant: nam oblectatio conjuncta cum honestate res est optima, sine hac, pessima. Cave criminationes, etiam falsas: vulgus enim, quum veritatem ignoret, ex opinione famaque judicat. Omnia te ita facere puta, quasi neminem sis celaturus; etsi enim quippiam occultaris in præsentia, post tamen innotescet. Existimationem maxime colliges, si ea te non facere appareat quæ ab aliis facta reprehenderes. Si cupide didiceris, multa disces. Quæ scis, exercitationis diligentia tuere; quæ non didicisti, artium cognitione adjungito: æque enim turpe est, auditam utilem orationem non discere, ac boni quippiam datum ab amicis non accipere. Quicquid otii dabitur, id in audiendæ doctrinæ studio consumito: sic enim fiet ut, quæ magnis alii laboribus invenere, tu facile perdiscas. Audivisse multa, præstare puta quam pecuniæ multum coegisse: nam hæc facile amittitur, illa perpetuo durant; solius enim sapientiæ possessio est immortalis. Ne te pigeat longam ire viam ad eos qui se aliquid utile docturos profitentur: quum enim mercatores rei familiaris augendæ gratia tanta maria transmittant, turpe fuerit adolescentes excolendi ingenii causa nec terrestre iter velle suscipere. Moribus tuis adsit affabilitas, verbis urbanitas: est autem affabilitatis obvios salutare, urbanitatis comiter eos appellare. Comis in omnes eris, sed optimorum familiaritate uteris: sic aliorum inimicitias vitabis, aliorum tibi amicitiam conciliabis. Ne sæpius eosdem, neque verbosius iisdem de rebus, alloquare: est enim rerum omnium satietas. Exerce te voluntariis laboribus, ut etiam necessarios perferre possis. Dabis operam ut rebus omnibus imperes quibus animum servire turpe est, cujusmodi sunt, lucrum, ira, voluptas, dolor. Hæc autem ita consequere, si ea in lucro deputes quæ gloriam, non quæ opes, augeant: in ira, si talem te præbeas delinquentibus, quales in te delinquentem alios esse velles; in oblectationibus, si turpe ducas, servis imperare, voluptatibus servire; in rebus molestis, si calamitates aliorum inspicias, et te hominem esse recorderis. Diligentius tuere deposita verborum quam nummorum: nam boni viri est ita se gerere ut ejus integritas fide dignior quam jusjurandum esse videatur. Quemadmodum im-

probis diffidendum, sic bonis habendam esse fidem ducito. Nem in arcana tua credito, nisi res illas taceri æque expediat etiam illis qui audiunt, ac tibi dicenti. Jusjurandum si postulabitur, duabus de causis dabis, vel ut temetipsum turpi crimine liberes, vel ut amicos e magnis periculis eripias: pecuniæ vero causa per nullum deum jurabis, etiamsi liquido id facere possis; ne aliis perjurus aliis avarus esse videaris. Amicitiam cum nemine jungito, priusquam exploraveris quomodo prioribus amicis fuerit usus: sperabis enim eum in te quoque fore talem, qualem erga illos se præbuerit. Sensim amicitiam contrahito, contractam perpetuo conservare studeto: nam subinde mutare familiaritates, æque turpe est ac amicum habere neminem. Neque cum damno mores amicorum periclitare neque sodalium animos velis ignorare; quod ita facies, si egere te simularis, non egens: communicato cum eis res non arcanas, tanquam arcanas; nam et deceptus nihil detrimenti capies, et voti compos factus mores eorum perspectiores habebis. Amicos cum in vitæ calamitate tum in periculorum societate cognosces: nam ut aurum igni exploratur, sic amicorum fides rebus adversis declaratur. Sic rectissime tractabis amicos, si non exspectes dum te rogent, sed ultro, quum tempus postulat, eis opem feras. Non minus turpe ducas, superari beneficiis amicorum, quam vinci maleficiis inimicorum. Eos amicos proba, quibus non tantum mala tua doleant, sed qui etiam bonis tuis non invideant: multi enim, ut rebus amicorum adversis dolent, ita secundis invident. Absentium amicorum mentionem fac apud præsentes, ut nec ipsos absentes neglecturus esse videaris. In vestitu fac ornatum probes, luxum repudies. Habet autem ornatus magnificentiam, luxus redundantiam. Ama bonorum non ingentem cumulum, sed moderatum fructum. Eos qui amplificandæ rei student, quum partis uti nesciant, contemnito: istis enim idem fere accidit quod ei qui bonum pararit equum, non satis equitandi peritus. Da operam ut divitiæ et usui et fructui tibi sint. Sunt autem iis qui frui sciunt usui, iis vero qui uti sciunt fructui. Rem familiarem duabus de causis magni fac, tum ut magnam mulctam sufferre, tum ut bono amico ferre opem in calamitate possis: quod autem ad cæteras vitæ rationes attinet, non supra modum eam, sed mediocriter amato. Iis quæ adsunt contentus esto: quære tamen res meliores. Nemini calamitatem exprobres: nam fortuna communis est, futuraque provideri non possunt. Bonis benefacito: præclarus enim thesaurus est beneficium apud bonum virum collocatum. Si de malis bene mereberis, idem tibi usuveniet quod iis qui alienos canes pascunt: nam et hi æque allatrant eos qui dant quam quoslibet, et improbi non minus eos qui bene de ipsis merentur quam eos qui eis nocent lædunt. Assentatores non minus oderis quam impostores: nam

utrique laudant eos qui fidem illis habent. Si eos amicos complecteris qui tibi nequissimis in rebus gratificantur, pro omnem ætatem multos habebis qui tuum odium propter res optimas suscipiant. Comis erga eos esto qui te conveniunt, non superbus: nam fastidium et arrogantiam vel servi dominorum ægre ferunt, comitas vero grata et jucunda est omnibus. Sunt autem comitatis officia, non contentiosum esse, non morosum, non omnibus in rebus adversatorem, familiarium iracundiæ non aspere resistere, quamvis injuste irascantur, sed eis cedere dum commoti sunt, ac ubi deferbuerit ira eos objurgare; non in ridiculis serius res agere, neque seriis in rebus magis gaudere — intempestiva enim ubique molesta sunt —; non ingratis inire gratiam, quo vitio multi laborant, qui etsi amicis obsequuntur, gravatim tamen id faciunt; non facile incusare, nam odiosum est, non ad reprehendendum esse proclivem, nam iratos facit. Conviviorum vitare sodalitates consultissimum certe fuerit: sed siquando tempus postularit, surgito ante ebrietatem. Quum enim vino mens corrupta fuerit, idem ei quod curribus evenit e quibus auriga sunt excussi: nam ut hi temere feruntur carentes gubernatoribus, sic animus in multa delicta impellitur, mente subversa. Immortalitatem specta magnitudine animi, mortalitatem moderato rerum usu. Quantum eruditio insitiæ præstet, ex eo perspicies quod omnes e cæteris improbe factis fructum aliquem capiunt, hæc vero sola detrimentum etiam injungit: nam sæpe isti, quem offendere verbis, ei reipsa pœnas dederunt. Cum quibus amicitiam tibi constitutam esse vis, de illis honorifice loquitor, iis audientibus qui renuntiaturi sint: principium enim amicitiæ est laudatio, vituperatio inimicitiarum. Quum deliberas, e præteritis exempla pete rerum futurarum: nam quæ obscura sunt e manifestis facillime dijudicantur. In deliberando tardus esto, in exsequendis deliberatis celer. Existima nihil tribui melius a diis quidem prospera fortuna, a nobis ipsis autem sapienti consilio. Quas res aperte dicere vereberis, et tamen cum amicis aliquibus communicare cupies, tanquam de re aliena orationem instituito: sic et eorum sententiam intelliges, nec te ipse aperies. Quum alterius consilium in tuis negotiis expetes, considerabis in primis quomodo res suas administrarit; nam qui suum negotium male gessit, nunquam bene procurabit alienum. Sic autem ad capiendi consilii prudentiam maxime incitaberis, si, quæ damna temeritatem sequantur, cogitaris: nam et valetudinem diligentissime curamus, quum segrotationum molestias recordamur. Regum mores imitare et ad eorum studia te confer, ut eos probare et æmulari videaris; unde fiet ut et populus de te melius existimet et tu illorum benevolentiam erga te confirmes. Cum ipsis regum legibus obtempera, tum voluntatem eorum firmissimam esse legem ducito. Quemadmodum enim in

populari degenti republica multitudo colenda est, sic et eum qui in imperio regio consedit, regem admirari oportet. Magistratum adeptus, nullius improbi ministerio in obeundis negotiis utitor: nam quicquid ille deliquerit, id tibi imputabitur. A publicis functionibus discede, non locupletior sed laudatior: gloria enim et laus recte factorum magnis opibus est præferenda. Nullius improbi negotii vel adjutor vel patronus esse velis: nam et teipsum eadem facere putabunt quæ ab aliis facta defenderis. Sic te parate ut aliis plus possis, et æquo tamen jure cum cæteris vivito, ut te justitiam colere appareat non ex imbecillitate sed propter æquitatem. Paupertatem cum justitia conjunctam opibus male partis antepono: nam justitia pecuniis eo præstantior est, quod hæ viventibus tantum prosunt, illa etiam defunctis gloriam parit, hæc vel malis hominibus contingunt, illam improbi nullo consequi modo possunt. Neminem eorum qui lucris injustis ditantur æmulare, sed eos pluris facito qui ob justitiæ studium detrimentis afficiuntur: nam justi, si nulla re alia injustis præstant, spe certe bona sunt superiores. Cum omnium rerum quæ ad vitam degendam attinent curam suscipito, tum ingenio excolendo vel maxime intentus esto: maxima enim res in re minima est bona mens in corpore humano. Da operam ut et corpore sis laborioso, et animo studioso, ut altero perficere queas decreta, altero prospicere scias profutura. Quicquid dicturus es, prius cum animo tuo reputa: multi enim sunt quorum lingua cogitationi antevertat. Duo loquendi tempora constitue, alterum de rebus tibi plane cognitis, alterum de iis quæ necessario sunt dicenda: in his enim solis silentium antecellit oratio, in aliis vero tacere satius est quam loqui. Nihil rerum humanarum esse firmum existima: sic fiet ut nec in rebus secundis lætitia exsultes, nec in adversis consterneris. Et gaudere debes rebus secundis, et moderate ferre dolorem calamitatum, sed utraque dissimulato: quum enim domi opes occultemus, absurdum fuerit aperto animo obambulare. Magis cave reprehensionem quam periculum; nam ut vitæ finis improbis, sic bonis viris ignominiosa vita formidolosa esse debet. Operam in primis dato ut in tuto vivere queas; sed si quando tempus inciderit ut pericula sint adeunda, incolumis e bello evadere stude cum laude et gloria, non cum infamia et dedecore; nam fatum omnes quasi capitis condemnavit, mortem autem honeste oppetitam natura peculiare præstantium virorum munus esse voluit.

5. Neque vero mirari debes, multa ex iis quæ diximus, isti ætati tuæ non convenire: nam id me quoque non præteriit, sed propositum mihi fuit, una eademque opera et de præsenti vitæ ratione consilium promere et quid in posterum tibi faciendum esset denuntiare. Nam usum quidem horum facile intelliges, fidelem autem et benevolum monitorem haud temere invenies. Ne igitur cætera,

ex aliis tibi quærenda essent, sed ut hinc omnia velut e penu depromeres, nihil, in quo tibi consulere possem, prætereundum esse duxi. Magnas autem deo gratias agam si me spes de te concepta non fefellerit. Nam, ut plerosque alios cibis jucundissimis potius quam saluberrimis delectari, sic etiam ad eos sese amicos adjungere cernimus qui una delinquunt, non ad eos qui vitia reprehendunt. Te vero contrarium statuisse existimo, argumento industriæ tuæ in aliis disciplinis adductus: nam qui ipse sibi optima quæque imperavit, eum consentaneum est etiam alios ad virtutem exhortantes amplecti. Maxime autem ad studium honestarum rerum incitaberis, si animadvertes, eas verissimarum voluptatum esse procreatrices. Nam in socordia quidem luxuriæque amore molestiæ statim voluptatibus adhærescunt, virtutis autem studium et sobrium vitæ institutum semper oblectationes sinceras atque etiam constantiores gignit: nam illic principio gavisi post dolemus, hic post molestias voluptates capimus. In omnibus autem rebus non tam principii solemus meminisse quam sensu finis affici: nam pleraque in vita non propter res ipsas agimus, sed propter ea quæ consequuntur elaboramus.

6. Illud item cogites velim, plebeiis quidem hominibus quidvis licere—nam tale statim initio vitæ suæ fundamentum jecerunt—, præstantibus vero negligere virtutem concessum non esse, eo quod multos reprehensores habent. Omnes enim non tam oderunt flagitiosos, quam eos qui virtutis professi studium, re nulla vulgo antecellunt: nec id injuria: nam quum eos improbemus qui verbis tantum fallunt, quanto magis eos nequam homines dicemus qui nullum in tota vita suæ dignitatis gradum retinuerunt? Ac ejus generis homines non in semetipsos tantum esse injurii, sed et fortunæ proditores recte existimantur; quæ quum eis opes et gloriam et amicos in manus dederit, ipsi parta felicitate indignos sese præbeant. Quod si fas est mortali voluntatem deorum conjecturis indagare, eos etiam in conjunctissimis potissimum demonstrasse arbitror, quomodo et adversus homines improbos et erga bonos viros essent animati. Nam quum Jupiter—ut arcanæ literæ tradunt et omnes credunt—Herculem Tantalumque genuisset, alterum ob virtutem immortalitate donavit, alterum propter improbitatem maximis suppliciis affecit. Decet igitur in hæc exempla intuentes virtutem et honestatem expetere, nec ea servare duntaxat quæ nos diximus, sed et poetarum optima quæque discere, et ea legere quæ alii viri sapientes utiliter præceperunt. Nam ut apes omnibus quidem insidere flosculis, de singulis autem optima carpere videmus: sic eruditionis etiam comparandæ studiosos, nullius rei esse rudes, sed undique utilia colligere decet. Vix enim hac ipsa diligentia naturæ nostræ pravitatem superabimus.

ISOCRATIS

AD NICOCLEM

DE REGNANDO VEL DE REGNO ORATIO.

1. Qui vobis regibus, Nicocles, advehere vestes solent aut æs aut aurum factum aut aliquod aliud ejus generis, quo et ipsi egent et vos abundatis, hos (ut mihi quidem videtur) plus satis apparet non largitionem facere sed mercaturam, suasque res multo callidius vendere quam eos qui ex professo cauponantur. Ego vero existimavi hoc pulcherrimum fore munus ac utilissimum idemque et mihi danti et tibi accipienti aptissimum, si describere possem, quibus officiis præstandis et quibus rebus fugiendis optime et civitatem et regnum administraturus esses. Nam privatos quidem homines permulta sunt quæ erudiant, atque in primis vita expers deliciarum et quotidiana de parando victu cogitandi necessitas, deinde leges quibus in suis quique civitatibus reguntur, præterea libertas illa qua palam et amicis objurgare invicem et inimicis exagitare delicta licet, denique poetæ quidam veteres præcepta de vivendi ratione reliquerunt: quibus rebus omnibus consentaneum est eos fieri meliores. Principibus autem nihil ejusmodi contingit, sed quos omnium maxime institui conveniebat, hi mox suscepto principatu sine ullis monitoribus ætatem exigunt: perpaucis enim ad eos patet aditus, qui vero familiariter cum eis vivunt, hi ad gratiam et dicunt et faciunt omnia. Itaque amplissima pecunia et potentia maxima potiti, facultatibus his non recte utendo, effecerunt ut multi dubitent, sitne privatorum quidem hominum sed moderate se gerentium potius expetenda vita, quam tyrannorum. Nam quum honores eorum et divitias et imperia intuentur, omnes eos diis similes esse censent qui soli rerum potiuntur: quum vero timores et pericula considerant, memoriaque repetentes vident alios a quibus minime oportebat interfectos, alios erga suos conjunctissimos delinquere coactos, aliis utrumque accidisse, rursus quovis modo vivere melius esse putant quam in hujusmodi calamitatibus vel universæ Asiæ dominari. Est autem hujus diversitatis et confusionis causa hæc, quod regnum tanquam sacerdotium cujuslibet hominis esse putant, quod summum est rerum humanarum majoremque providentiam postulat.

2. Ac singulatim quidem quo pacto rectissime res administrari, utque et bona conservari et mala caveri possint, eorum munus

est consulere qui tibi semper adsunt: omnia autem studia, quæ tanquam meta tibi proposita esse debeant et quibus in rebus versandum sit, ego recensere conabor. Utrum vero donum hoc argumenti dignitati, quum absolutum fuerit, sit responsurum, ab initio facile perspici non potest: multa enim et numeris devincta poemata et soluta oratione conscripti libri, dum adhuc in mentibus auctorum inclusa tenerentur, magnas sui exspectationes concitarunt, sed perfecta tandem et aliis ostensa longe tenuiorem quam pro concepta spe gloriam consecuta sunt. Sed tamen conatus ipse præclarus est, ab aliis prætermissa conquirendi et regnis veluti leges præscribendi. Nam, qui privatos homines instituunt, hi solis illis prosunt: si quis vero populi dominos ad virtutem excitarit, is utrisque commodaverit, tum iis qui imperant tum iis qui parent imperio; quod et illis principatus tutiores et his respublicas leniores effecerit.

3. Primum igitur considerandum est quodnam sit regum officium: nam si summatim id in quo totius rei vis est probe constituerimus, in ea intuentes melius de partibus quoque dicturi sumus. Arbitror equidem constare inter omnes, convenire eis ut civitatem et calamitatibus liberent et res ejus secundas tueantur et ipsam e parva magnam efficiant: nam cætera, quæ quotidie incidunt, horum causa facienda sunt et ad hæc referenda. Illud autem perspicuum est, oportere eos, in quibus hæc facultas esse debeat et qui his de rebus deliberaturi sint, non socordiæ sese dare, sed providere ut sint aliis longe prudentiores. Constat enim, quemadmodum ipsi animos suos excoluerint, ita etiam eorum regna se esse habitura. Quare nulli certatori tam convenit corpus exercere, quam regibus ingenium suum: nam celebritates ludorum universæ nullam partem constituunt eorum præmiorum pro quibus vos quotidie decertatis.

4. Hæc igitur considerantem, operam dare te decet, ut quantum alios dignitate superas, tantum etiam virtute illis antecellas. Neque vero putabis curam et studium in aliis prodesse rebus, ad augendam autem virtutem et prudentiam nihil habere virium, neque tantæ infelicitatis homines condemnabis, ut, quum artes quasdam ad cicurandas bestias et animos illarum excolendos invenerimus, ipsi nobis ad virtutem nihil afferre adjumenti queamus; sedquem admodum institutio et cura cum primis possit animo nostro adjuvare, ita existimato, atque tum domesticorum prudentissimis familiariter utere, tum exterorum quoscunque poteris accersito, tum celebrium et poetarum et rhetorum omnium periculum tibi esse faciendum persuasum habeto, ac illorum quidem auditor esto, horum autem discipulus; itaque te para, ut et minorum sis judex, et majorum æmulator: nam his exercitationibus celerrime talis fies, qualem esse oportere nos proposuimus eum qui recte sit regno præfuturus et urbem ita ut decet gubernaturus. Sic vero ipse te maxime cohortabere, si

absurdum esse duxeris deteriores prestantioribus dominari et stolidiores prudentioribus imperare: nam quo vehementius aliorum insciam despexeris, eo diligentius ingenium tuum exercebis.

5. Hinc igitur eos auspicari decet qui fungi officio volent: Pietatem erga et hominum et civitatis esse amantem oportet: nec enim fieri potest ut vel equis vel canibus vel hominibus vel ulli denique rei quisquam recte præsit, nisi delectetur iis quorum ei mandata est curatio. Populus curæ tibi sit, et omnia in eo posita esse putato ut is imperio tuo delectetur; notum enim est et oligarchias et cætera imperia eo diuturniora esse quo diligentius populum coluerint. Sic autem bene imperabis, si neque vulgi petulantiæ locum dederis neque alios populo insultare passus fueris, sed provideris ut et honores optimo cuique mandentur et cæteri nullis injuriis afficiantur: hæc enim elementa prima et maxima sunt reipublicæ bene constitutæ.

6. Edicta et instituta vitiosa loco move et muta; operamque in primis dato ut optimorum sis inventor, sed, si id fieri nequit, imitare quæ apud alios recte se habent. Leges quære in universum æquas et utiles et inter se consentientes, atque etiam tales quæ et controversias civium quam paucissimas et compositiones quam fieri potest celerrimas efficiant: hæc enim inesse oportet omnia legibus bene constitutis. Effice negotiationes eis lucrosas, lites detrimentosas: ut has fugiant, illas appetant. De controversiis eorum sententias neque ad gratiam ferto neque inter se contrarias, sed de iisdem quidem rebus semper eadem decernito: etenim et decet et expedit regum de jure decreta esse immutabilia, ut probatas leges. Urbem eodem modo quo paternam domum administra, apparatu splendido et regali, ratione vectigalium accurata, ut simul et illustri laude celebreris et sumptus tolerare possis. Ostenta magnificentiam ne in una quidem re magni sumptus, statimque peritura, sed tum iis rebus quas diximus tum instrumenti atque supellectilis ornatu tum beneficentia in amicos: nam quæ hoc modo insumpseris, ea et tibi ipsi firma stabilisque permanebunt, et posteris tuis plures commoditates afferent quam pecuniæ profusiones. Religionem eam serva quam a majoribus accepisti, sed id pulcherrimum sacrificium et cultum esse maximum existima, si ipse te quam optimum et justissimum præbeas: major enim spes est deos immortales talium vota audituros quam eorum qui multas victimas prosternunt.

7. Primos honores conjunctissimis, verissimos benevolentissimis defer. Corporis custodiam tutissimam esse puta tum in virtute amicorum tum in benevolentia civium tum in tua prudentia esse collocatam: hæc enim sunt per quæ imperium facillime et paretur et conservetur. Rem privatorum familiarem curato, et prodigos de tuo facere sumptum et ad rem attentos tuas opes augere existimato: bona enim omnia in urbe habitantium ad familiam pertinent regum bene imperantium. Per omnem ætatem tantam veritatis præ te ferto

reverentiam, ut plus habeatur fidei tuæ affirmationi quam aliorum dejerationi. Cum omnibus hospitibus urbem exhibe tutam et in contractibus æquam, tam inter advenas eos maximi facito non qui dona tibi advehunt, sed qui a te expetunt: nam, si his honorem habueris, apud cæteros majore gloria eris. Exime civibus multas formidinis causas, neque meticulosos eos esse velis qui nihil delinquunt: nam quo tu eos in te esse animo consuefeceris, eodem et ipse in illos eris. Nihil per iracundiam agito, sed iram, quam tempus postulabit, simulato. Acrimoniam tuam proba indagatione rerum quæ geruntur omnium, clementiam mitigatione supplicierum. Auctoritatem imperii tuere non asperitate nec sævitia pœnarum, sed excellenti sapientia, ut te suæ saluti omnes melius quam semetipsos consulere arbitrentur. Bellicosus esto scientia rei militaris et apparatu, pacificus nihil præter jus et æquum vendicando. Erga civitates imbecilliores talem te præbe, quales in te potentiores esse velles. Noli de rebus quibusvis contendere, sed de iis duntaxat quarum victoria tibi profutura est. Contemnendos existima, non eos qui utiliter succumbunt, sed qui cum damno suo vincunt. Magnanimos puta, non eos qui majora suscipiunt quam sustinere possint, sed qui et honesta desiderant et quæ aggrediuntur perficere possunt. Æmulare, non eos qui latissime imperium propagarunt, sed qui id quod habent rectissime administrarunt; teque ab omni parte beatum fore puta, non si omnibus hominibus cum terroribus et periculis imperites, sed si, talem te præbens qualem decet et ea gerens quæ in præsentia, mediocria desideres et horum nulle careas.

8. In amicitiam recipe non quoslibet, sed tua natura dignos; neque cum quibus jucundissime tempus conteras, sed quorum opera urbem optime gubernes. Diligenter inquirito in tuos familiares, teque arcito talem ab iis omnibus qui consuetudine tua non utuntur judicatum iri, quales illi fuerint cum quibus vixeris. Sic alios iis præfice rebus quas ipse non geris, ut tibi adscribendum scias quicquid illi fecerint. Fideles existima, non eos qui omnia et dicta tua et facta laudarint, sed qui etiam errata et delicta reprehenderint. Potestatem de prudentibus libere dicendi sententiam, ut, si quibus de rebus dubitaris, præsto sint qui illas una tecum expendant. Discerne eos qui arte assentantur ab illis qui ex benevolentia te colunt, ne improbi meliore conditione sint quam boni viri. Audi quid alii de aliis dicant, operamque dato ut, quales et quinam sint non minus ii qui dicunt quam ii de quibus dicunt, cognoscas. Iisdem suppliciis affice calumniatores, quibus delinquentes. Impera tibi ipsi non minus quam cæteris; idque maxime regium putato, si nullis libidinibus serviae, sed cupiditates magis in potestate habeas quam cives tuos. Nullam familiaritatem temere ac sine ratione contrahe, sed iis gaudere congressibus assuasce, qui te et sapientia augeant et virtutis apud alios opinione.

9. De iis rebus tibi placere noli quæ a malis etiam perfici possunt; sed virtutem laudi tibi ducito, cujus nulla pars improbis contingere potest. Verissimos honores eos esse puta, non qui palam ex meta tibi habentur, sed si ipsi apud sese prudentiam tuam plus quam fortunam admirentur. Si forte ita ceciderit ut re aliqua leviore gaudeas, dissimula; sed rerum maximarum studium ostenta. Noli putare aliis vivendum esse moderate regibus perturbate, sed tua temperantia fac aliis exemplo sit; nec ignores totius civitatis mores ad exemplum magistratuum conformari. Hoc tibi argumento sit te regno bene præesse, si populum et locupletiorem et modestiorem sub imperio tuo videas esse factum. Præstare puta liberis tuis honestam famam quam magnas opes relinquere: nam hæ mortales sunt, illa immortalis; fama pecuniæ quæri possunt, emi pecuniis fama non potest; opes etiam improbis aliquando contingunt, gloriam vero parare non possunt nisi virtute præstantes. In vestitu et corporis ornatu splendidus, in aliis actionibus laborum tolerans, esto ut regnantes decet: ut et qui vident ob adspectum te regno dignum judicent, et familiares tui ob animi tui robur iisdem assentiantur. Considera semper et dicta et facta tua, ut in delicta quam paucissima incidas. Optimum certe quidem est servare modum, sed quoniam is non facile cognoscitur, malis citra resistere quam ultra progredi: mediocritatis enim vis magis in eo quod parum quam in eo quod nimium est cernitur.

10. Urbanus esse stude et gravis: quorum hoc principatum decet, illud congressibus est aptum. Sed hoc est præceptorum omnium difficillimum: nam eos qui gravitatem affectant plerumque frigere, qui vero urbani esse student eos humiles et abjectos videri, comperies. Est autem utraque hac ratione utendum, et finitimum utrique incommodum effugiendum. Quicquid earum rerum quæ regum cognitione dignæ sunt certo nosse voles, ad id experientiam et doctrinam adhibeto: nam ut doctrina viam tibi ostendet, sic rerum gerendarum exercitatione id consequeris ut res dextre administres. Cogita quæ res et gerantur et ferantur tam a privatis hominibus tum a principibus: nam si præteritorum recordaberis, de futuris rectius deliberabis. Minime decere puta, quum privati quidam homines mortem oppetendam censeant ut post obitum laudentur, reges eas actiones fugere quæ viventibus gloriam pariant. Imagines, quæ virtutis tuæ potius quam corporis monimenta sint, fac relinquas. Operam cum primis dabis ut et te et urbem in tuto colloces: sed si periculum adeundum fuerit, honeste mori quam turpiter vivere præoptabis. In omnibus tuis factis regni memento, solliciteque cave ne quid honore isto indignum designes.

11. Ne committas ut natura tua simul universa intereat: sed quum tibi corpus mortale contigerit, [animus immortalis,] fac immortalem animi tui memoriam relinquas. Meditare de præclaris

actionibus loqui, ut iis consentanea quæ dicere soles etiam sentire assuescas. Quæ tibi cogitanti optima videbuntur, ea re ipsa perficito. Quorum gloriam miraris, eorum res gestas imitare. Quæ tuis liberis præciperes, ea ipse facere ne graveris. Aut utere præceptis nostris, aut ipse his inveni meliora. Sapientes existima, non eos qui de rebus minutis curiose rixantur, sed qui de maximis rebus egregie dicunt; nec eos qui aliis felicitatem pollicentur, quum ipsi multarum rerum inopia laborent, sed eos qui, quum de se modice dicant, tamen et negotia dextre obire et inter homines versari commode possunt, nec in vitæ mutationibus perturbantur, sed pulcre moderateque ferre tam secundas res quam adversas didicerunt.

12. Neque vero mireris nos multa dixisse quæ et ipse intelligas: neque enim hoc me præteriit, sed satis scivi, quum tanta multitudo sit et hominum privatorum et principum, alios horum aliquid dixisse, alios audivisse, alios a nonnullis facta vidisse, nonnulla etiam ipsos factitare. Verum in his orationibus, quæ ad præceptiones de officiis pertinent, non requirenda est novitas; in quibus nec admirabile nec incredibile nec inusitatum quicquam comperitur: is vero doctissimus habendus erit, qui eorum, quæ in animis aliorum dispersa jacent, quam plurima colligere et elegantissimis verbis potuerit explicare. Illud quoque mihi satis notum fuit, quum et poemata et alia scripta quæ suasione constant omnes utilissima esse judicent, ea tamen non libentissime audire, sed eodem erga illa esse animo quo erga monitores: quos ut universi laudant, sic eorum congressus refugiunt, illorumque consuetudinem qui socii delictorum sint, non eorum qui a vitiis dehortentur, expetunt. Id quod vel ex Hesiodi et Theognidis et Phocylidis poesi cognoscitur: nam hos fatentur optima vitæ mortalium reliquisse consilia, sed quamvis hoc dicant, magis tamen audiendis et recitandis tempus perdere quam in illorum præceptionibus versari malunt. Præterea si quis e præstantibus poetis eas quas sententias vocant, in quibus illi potissimum elaborarunt, excerperet, erga illas etiam eodem animo essent: comœdiam enim vel nequissimam audire mallent quam poemata tam artificiosa.

13. Et quid opus est singulis commemorandis immorari? Omnino enim si naturas hominum consideremus, plerosque nec cibis saluberrimis gaudere nec studiis pulcherrimis nec actionibus optimis nec doctrinis utilissimis reperiemus, et eas voluptates habere maximas quæ rationi utilitatis maxime repugnant, ac tolerantes et industrios videri eos qui officio suo satisfaciunt: quare qui talibus quisquam placeat, sive moneat sive doceat sive utile aliquid dicat? Qui præter ea quæ diximus, prudentibus etiam invident, simplices autem et candidos putant amentes; et sic a veritate rerum abhorrent, ut ne sua quidem negotia norint, nam de suis quidem rebus cogitantes mœrent, de alienis autem quum disputant gaudent;

mallentque corporis curationem ferre quam animum exercere et de re aliqua necessaria suscipere cogitationem. Ac in congressibus quidem eos inter sese convitia vel dicere vel audire, in solitudine vero non deliberare sed optare deprehendas. Atque hæc non in omnes dico, sed in eos tantum qui his quæ diximus vitiis constricti sunt. Illud certe palam est, si qui sunt qui velint aliquid multitudini gratum vel carmine vel soluta oratione scribere, iis exquirenda esse non utilissima quæque, sed fabulosissima: nam talibus quidem audiendis gaudent, sed, quum veras causas et certamina spectant, mœrent. Quamobrem Homeri poesis et ii qui primi tragœdiam invenerunt admiratione afficiendi sunt, quod animadverso humani ingenii natura utrisque his rationibus ad poesim suam abusi sunt: alter enim certamina et bella semideorum fabulose persecutus est, alteri fabulas in ludos et actiones redegerunt, ut a nobis non audiri tantum sed etiam spectari possint. Quum igitur talia exempla in promptu sint, demonstratum est, si quis auditores allicere studeat et demulcere, ab admonitionibus et consiliis esse abstinendum, illa autem et scribenda et dicenda quibus populum maxime gaudere videt.

14. Hæc exposui, propterea quod existimavi oportere te, quum non sis unus de multis sed multorum rex, non ita sentire ut ceteros, neque vel res graves vel homines prudentes metiri ac ponderare voluptatibus, sed in actionibus utilibus periculum illorum facere, præsertim quum sapientiæ magistri de animi exercitationibus inter sese dissentiant; nam alii disputationibus dialecticis, alii præceptis eloquentiæ, alii per alia quædam suis auditoribus sapientiam pollicentur; in eo vero consentiunt omnes, bene institutum hominem oportere ex his singulis sibi prudentiam consilii capiendi comparare. Sunt igitur ea de quibus ambigitur missa facienda et amplectendum id de quo nulla controversia est ut rectius de illis judicentur; ac consiliarii tum maxime quum res consilium præsens postulat spectandi sunt, repudiatis iis qui in universum de rebus dicunt quique nihil eorum quæ fieri debent intelligunt — constat enim eum, qui sibi ipse prorsus est inutilis, nunquam alios effecturum esse prudentiores —, cordatos autem viros et qui longius quam alii prospicere possunt magnifacito et cole, ac persuasum habeto bonum consiliarium utilissimam et rege omnium dignissimam esse possessionem. Illos etiam tuum regnum maxime amplificaturos credito, qui tuam mentem plurimum potuerint excolere.

15. Ego pro mea intelligentia te admonui, et eum honorem quem possum tibi habeo: velle autem debes ut etiam alii, quod initio dixi, non consueta munera tibi offerant, quæ vos longe pluris emitis a donantibus quam a vendentibus, sed ea quæ, tametsi multum iis utaris idque nullam diem facere intermittas, non deteras, sed et pretiosiora ipso usu reddas.

ISOCRATIS

NICOCLES.

1. Sunt qui de eloquentia male sentiant et sapientiæ studiosos assidue criminentur, ac dicant eos non amore virtutis sed emolumenti sui gratia tales disputationes instituisse. Ego vero ex iis qui hoc animo sunt perquam audire velim, cur et bene dicendi studiosos vituperent et recte agendi cupidos laudent: nam, si emolumenta eis molesta sunt, plura et majora capi e factis quam e dictis comperiemus. Deinde illud quoque absurdum est, si ignorant, nos et pietatem colere et justitiam exercere et cæteris studere virtutibus, non ut deteriore quam alii conditione simus, sed ut bonis in vita quamplurimis perfruamur. Quare non accusandæ res illæ sunt, per quas cum virtute aliis præstare possis; sed homines potius, qui aut res illas male tractando corrumpunt aut eloquentiam ad fallacias et injurias conferunt.

2. Miror itaque cur ii qui ita sentiunt, non etiam divitias et robur et fortitudinem in crimen vocent. Nam si propter eos irascuntur eloquentiæ, qui delinquunt et mentiuntur, etiam cætera bona vituperare debent: nec enim defutori sunt illarum quoque rerum possessione instructi, quos deliquisse et per eas multos afflixisse constet. Verum non convenit, si qui obvios verberant, robur accusare, neque propter homicidas fortitudini convitiari, neque denique hominum improbitatem in res transferre; sed illi ipsi culpandi sunt qui bonis rebus male utuntur, et cives suos per ea lædere non dubitant quæ ad eorum salutem convertere potuissent. Nunc neglecta singularum rerum tali distinctione, universam eloquentiam oderunt, et in tanto errore versantur ut non animadvertant ei se rei esse inimicos, qua non alia concessa est generi mortalium quæ sit plurium utilitatum causa.

3. Nam reliquis naturæ nostræ dotibus nihil cæteris animantibus antecellimus, sed ab illis longe tum celeritate tum robore tum aliis facultatibus superamur: sed, quum emergente naturæ vi consilia conferremus et quæ nostræ sententiæ essent invicem explicaremus, non ferinam solum vitam deseruimus, sed conciliis habitis urbes etiam condidimus et leges tulimus et artes invenimus, ad omnia denique propemodum solerter a nobis excogitata suas vires cumulat

oratio. Hæc enim est quæ de rebus justis et injustis, de turpibus et honestis, leges tulit: quæ nisi constitutæ et distinctæ fuissent, nulla exsistere potuisset hominum consociatio. Hac et improbos arguimus et viros præstantes ornamus. Per hanc et stolidos erudimus et prudentes exploramus: nam ita dicere ut decet recte sentiendi maximum signum esse credimus, atque oratio vera et legitima et æqua honesti ac fidelis animi simulacrum est. Hujus ope et controversa disceptamus et ignorata quærimus: quibus enim argumentis dicendo aliis persuademus, iis ipsis etiam in nostris deliberationibus utimur; et eloquentes dicimus eos qui ad populum verba facere possunt, prudentes vero existimamus eos qui in consilii capiendi deliberatione ipsi secum de rebus optime disputarint. Quod si de hac facultate in summa dicendum est, nihil quod ratione agitur sine oratione fieri reperiemus, sed eam et operum et cogitationum omnium ducem esse, qua prudentissimi quique maxime utuntur: de magistris igitur eloquentiæ et sapientiæ studiosis qui contumeliose loqui audent, odio non minore digni sunt, quam ii qui fana deorum immortalium violant. Ego vero cum omnes orationes probo quarum quantulacunque utilitas esse potest, tum eas esse judicio pulcherrimas et regibus dignissimas et mihi maxime aptas quæ de honestis actionibus et reipublicæ gerendæ ratione præcipiunt, atque in his ipsis illas excellere censeo quæ et principes docent quomodo sit tractanda multitudo, et homines privatos quo pacto erga principes affecti esse debeant: per hæc enim urbes video fieri et felicissimas et amplissimas.

4. Ac alteram quidem hujus doctrinæ partem, de gerendo imperio, ex Isocrate audivistis; eam vero quæ restat, de civium officiis erga magistratus, ego recitare conabor, non quod illum superare studeam, sed quia me potissimum decet his de rebus apud vos disserere. Nam si vos, quum ego quæ a vobis fieri vellem non exposuissem, a mea sententia aberraretis, non justam irascendi vobis causam haberem: sin rebus omnibus indicatis tamen nihil ejusmodi fieret, jam non injuria contumacibus succenserem. Arbitror autem vos ita maxime excitari et acui posse tum ut recordemini tum ut exsequamini ea quæ dicta fuerint, si non consulendo tantum occupatus certis capitibus enumeratis discessero, sed si etiam ostendero, primum hanc reipublicæ formam esse magni faciendam, non eo tantum quod necesse sit et quod ea perpetuo simus usi, sed ob illud etiam quod hæc inter alias respubl. maxime excellat: deinde me non contra leges hoc imperium tenere aut aliis ereptum, sed sancte et juste, tum propter primos majores tum propter patrem tum propter meipsum. Nam si prius hæc demonstrata fuerint, quis non ipse sese maximo dignum supplicio fateatur, si meis et consiliis et imperatis non obtemperarit.

5. Quod igitur ad respublicas attinet — nam de hoc initio me dicturum esse proposui — omnes mihi assentiri arbitror iniquissimum esse ut eadem bonis et improbis tribuantur, æquissimum vero ut recta ratio ineatur et discrimen servetur ne inæquales æqualia consequantur, sed ut ea cujusque et fortuna sit et dignitas quam meretur. At vero oligarchiæ et democratiæ id spectant ut æqualitas sit inter ejusdem reipublicæ socios, et in eo statu præclarum habetur, si nemo plus alio possit; id quod e re improborum est: monarchiæ vero principem locum præstantissimo cuique deferunt, secundum illi qui a primo est proximus, tertium et quartum cæteris eadem ratione. Quæ si non ubique recepta in mores sunt, ea tamen est hujus imperii ratio et voluntas. Quod si et ingenia hominum et actiones spectemus, universi monarchias præstare cæteris fateantur. Quis vero sanæ mentis est qui se non optet ejus potius civem esse reipubl. in qua sua virtus non ignoretur, quam nulla re vulgo potiorem delitescere? Quinetiam hanc tanto mitiorem esse jure judicemus, quanto facilius est unius viri judicio et voluntati satisfacere, quam id, dare operam ut multis et variis ingeniis placeas. Monarchiam igitur et jucundiorem esse et leniorem et æquiorem etsi pluribus ostendi posset, ex his tamen etiam facile intelligi potest: in cæteris vero, quanto monarchiæ sint ad consulendum potiores et ad res opportune conficiendas, sic pulcherrime cernemus, si in maxima negotia inter se comparata inquiramus. Nam qui in singulis annis magistratus ineunt, prius ad vitam privatam redeunt, quam publicorum negotiorum scientiam aliquam consequantur usuque rerum erudiantur: qui vero iisdem rebus perpetuo præsunt, ut minus ingeniis valeant, longe tamen experientia cæteris antecellunt. Illi præterea dum alii alios intuentur multa negligunt, hi vero, quum sciant a se omnia perfici oportere, diligenter de singulis cogitant. Ad hæc, democratici et oligarchici ambitiosis inter se dissensionibus reipublicæ nocent: monarchæ vero, ut qui neminem habeant cui invideant, de rebus omnibus, quantum quidem fieri potest, id statuunt quod utilissimum est. Jam illi, maximam temporis partem domesticis negotiis occupati, offensionem negligentiæ sæpe vitare non possunt, deinde in conciliis sæpius reperias inter sese rixantes quam in commune consulentes: hi vero, quia neque curias neque tempora definita habent, noctu et interdiu negotiis intenti, nullas occasiones negligunt, sed in tempore singula peragunt. Ad hæc, illi inter sese inimici tum superioris tum sui temporis magistratus urbi quam pessime præfuisse vellent, ut ipsi quam maximam gloriam consequerentur: hi vero, quum per omnem vitam rerum potiantur, semper eadem benevolentia sunt. Et (quod omnium maximum est) alteri rempublicam ut suam, alteri ut alienam curant; alteri in consilium de iis adhibent cives audacissimos,

alteri delectu ex omnibus habito prudentissimos; alteri honorant eos qui in turba dicere possunt, alteri rebus gerendis idoneos evehunt.

6. Neque vero in quotidianis tantum ac velut in orbem redeuntibus monarchæ negotiis excellunt, sed omnes etiam belli gerendi commoditates complectuntur. Nam et conscribere milites et illis uti, seu clam seu præoccupatione, et aliis persuadere, alios cogere, alios largitionibus adducere, alios aliis officiis demereri, facilius est monarchiis quam cæteris imperiis. Atque hæc non minus rebus ipsis quam verbis probantur. Nam et Persarum potentiam scimus omnes ad tantam processisse magnitudinem, non virorum illorum prudentia, sed eximia regum observantia: et Dionysii tyranni opes eadem ratione crevisse vidimus; qui, quum non reliquam modo Siciliam vastatam, sed suam patriam etiam obsidione cinctam, suscepisset, tum illis eam periculis liberavit, tum Græcarum civitatum maximam effecit: etiam Carthaginienses et Lacedæmonii, qui inter omnes Græcos optime rempublicam administrant, etsi domi paucorum potestate reguntur, in bellis tamen regio parent imperio. Quin et civitatem Atheniensium, quæ monarchiis infensissima est, ostendi potest, quando multos imperatores mittit, affici cladibus; quum vero in belli discriminibus unum summæ rerum præficit, bene rem gerere solere. Enimvero quinam evidentius ostendi potest præstantissimas esse monarchias, quam hujusmodi exemplis? Est enim perspicuum et eos, qui perpetuo regiæ potestati parent, esse potentissimos ac ad gerendum bellum instructissimos; et eos, qui bonas oligarchias habent, in rebus gravissimis et maximis, partim unum tantum imperatorem, partim regem exercitibus cum imperio præficere; et eos, qui monarchias oderunt, quando multos duces mittunt, nihil recte feliciterque administrare. Quod si quid e vetustatis memoria repetendum est, dii etiam regem habere Jovem dicuntur. Qui sermo si verus est, apparet deos etiam hunc statum ceteris antefere; sin rei veritatem nemo novit, sed ipsi conjecturis in eam opinionem adducti sumus, id argumento est nos omnes monarchiam præstantissimam judicare: nec enim tali deos uti republica diceremus, nisi eam longe præstare cæteris crederemus. Ac de politiis quidem, quantum alia aliis antecellant, nec inveniri nec dici possunt omnia: sed instituto nostro etiam hæc commemorasse sufficiat.

7. Illud autem, jure nos tenere imperium, multo brevius et majore omnium assensu expedietur. Quis enim ignorat, Teucrum nostri generis principem, cæterorum civium adscitis majoribus, huc navigasse et urbe condita agrum eis distribuisse? patrem vero Evagoram imperium ab aliis amissum maximis periculis aditis recuperasse, et eo redegisse rem ut jam non Phœnices tyrannidem in Salaminios exerceant, sed ii regnum etiam nunc, quorum ab initio fuit, teneant?

8. Restat igitur ex his quæ proposui, ut de me ipso breviter aliquid dicam, quo sciatis eum esse vestrum regem, qui non propter majores tantum suos sed et propter semetipsum majorem etiam honore tanto amplitudinem mereatur. Nam ego quidem inter omnes constare arbitror, aliarum virtutum justitiam et temperantiam esse præstantissimas. Nec enim per se tantum nobis prosunt, sed, si et naturam et vires et usum negotiorum spectare velimus, quicquid nulla cum hoc genere communitate jungitur maximorum malorum causam exstitisse, quæ vero temperantia justitiaque adhibita, geruntur, ea maxime prodesse vitæ mortalium reperiemus. Quod si qui veterum ob has virtutes celebrantur, æquum esse puto, eandem me quoque gloriam adipisci. .....

9. Ac justitiam quidem, inde potissimum perspicietis, quod, ut imperio politus sum, quamvis et regiam pecuniis vacuam, omniaque sumptibus exhausta et negotia turbarum plena, ita ut magnam diligentiam et præsidia et impensas postularent, susceperim, nec ignorarem hujusmodi temporibus alios omnibus modis detrimenta rei familiaris sarcire multaque præter ingenium æquum facere necessitate coactos, nihil tamen istorum omnium me corrupit, quominus ita sancte præclareque curam rerum gererem, ut nihil prætermisisse videar quod ad incrementa et felicitatem reipublicæ pertineret. Nam et cives ea mansuetudine tractavi, ut nec exsilia neque cædes neque publicationes bonorum nec ulla denique talis calamitas me regnante inciderit. Et quum in Græciam nullus ob gestum bellum nobis pateret aditus, quum ubique spoliaremur, pleraque pacata reddidi, aliis omnia persolvendo, aliis partes, ab aliis moram petendo, cum aliis ut licuit controversias transigendo. Præterea quum insulæ hujus incolæ nobis succesnerent, et rex Persarum verbo reconciliatus revera infensus esset, utrosque mitigavi, hunc obsequendi alacritate, illos æquitate servanda. Nam a rerum alienarum cupiditate tam longe absum, ut quum alii, si paulo vicinis potentiores fuerint, mox et agri partem eripiant et multa præter jus et æquum sibi vendicent, ego ne eam quidem regionem accipere voluerim quæ mihi offerebatur, malo enim cum justitia meum tenere solum quam per injuriam imperium hoc nostro longe lateque majus acquirere. Sed quorsum attinet singulis commemorandis immorari, præsertim quum paucis de me ipso rem totam possim absolvere? Nemo enim repetietur qui a me sit unquam affectus injuria, plures vero tum cives tum alii Græci et beneficiis et majoribus utrique muneribus a me sunt ornati quam ab iis omnibus qui ante me regnum tenuerunt. Enimvero decet eos, qui justitiæ studium laudi sibi ducunt pecuniæque contemptum præ se ferunt, tanta posse de sese tamque illustria prædicare.

10. Quin de temperantia quoque mea plura etiam his et majora

habeo quæ commemorem. Quum enim scirem omnes homines carissimos habere liberos et uxores suas, gravissimeque irasci iis qui eos violassent, et contumelias iis factas maximarum cladium præbere causam, nec plebeiis tantum hominibus sed etiam principibus afferre interitum, ita fugi hæc crimina, ut a suscepti regni tempore me nullum nisi uxoris meæ corpus attigisse constet: quamvis enim non ignorarem illos etiam vulgo celebrari qui, modo in cives non sint injurii, aliunde suas voluptates explere studeant, tamen cum hujusmodi suspiciones a me remotissimas, tum mores meos civibus exemplo esse volui, quum in iis solere studiis ætatem consumere populum scirem, quibus suos principes videt esse deditos. Præterea decere censui reges tanto meliores esse privatis hominibus, quanto eis honoratiores essent, et iniquissime facere qui alios modeste vivere cogerent, nec se præberent ipsi modestiores iis quibus imperarent. Deinde, cæteris in rebus multos etiam e populo videbam sibi posse moderari, sed amorum illecebris etiam summos viros succumbere: quare me in his etiam imperare mihi posse ostendere volui, quibus non vulgo tantum præstarem, sed viris etiam virtutis opinione celeberrimis. Ad hæc non potui non vehementer accusare illos qui ductis uxoribus et inita totius vitæ societate pactis et conventis non starent, sed, dum suis voluptatibus indulgerent, eas offenderent a quibus ipsi nulla re offendi se vellent, et, quum in aliis contractibus æquitatem colerent, solas conventiones cum uxoribus factas violarent: quæ tanto sanctius custodiendæ erant, quanto sunt aliis interiores et majores. Deinde nec illud isti animadvertunt, seipsos sibi factiones et dissidia in suis regiis serere. Est autem bonorum regum officium dare operam, non in urbibus tantum, sed in suis etiam ædibus atque in quibus consedere locis, concordiam uti alant: hæc enim universa temperantiæ munera et justitiæ sunt. Nec in procreatione liberum regum maximæ partis consuetudinem sum imitatus, nec alios ex humiliore muliere alios e nobiliore censui suscipiendos, nec alteros nothos alteros legitimos relinquendos, sed curandum ut omnes tum paternum tum maternum genus, inter mortales ad Evagoram patrem meum, inter semideos ad Æacidas, inter deos ad Jovem optimum maximum, referre possent, neque quisquam ex me genitus hac nobilitate privaretur.

11. Quum vero multa me hortata sint ut in hoc vitæ instituto perseverarem, illud vel in primis movit, quod fortitudine et calliditate cæterisque laudatis rebus etiam malos quosdam homines præditos videbam, temperantiam vero et justitiam proprias esse bonorum virorum possessiones. Pulcherrimum igitur fore duxi, si quis iis virtutibus aliis præstare posset, quæ ut improbis nulla ex parte contingere queunt, sic integerrimæ sunt et firmissimæ et maximis laudibus dignæ. His rationibus adductus temperantiæ justitiæque

præ cæteris fui studiosus, easque delegi mihi voluptates, non quarum actiones omni splendore virtutis carerent, sed eas quæ ex rei bene gestæ gloria capiuntur. Neque vero de omnibus virtutibus una quadam ratione ferendum est judicium, sed de justitia in egestate, de modestia in potestate, de continentia in juvenili ætate. Ego vero his temporibus omnibus ingenii mei specimen dedi. Nam et inops pecuniæ relictus, ita æquum me præbui ut civium nulli molestus fuerim; et, quum quicquid libuisset liceret, modestia plebeios homines superavi: hæc vero utraque præstiti ea ætate qua plerique in rebus gerendis maxime de officio solent decedere. Quæ fortassis apud alios dicere veritus essem, non quin facta mea mihi laudi ducam, sed ne orationi meæ fides non haberetur: vos vero ipsi mihi testes estis eorum quæ dicta sunt omnium. Laudandi autem sunt et digni admiratione etiam homines natura modesti, sed multo magis ii qui ratione quoque sunt tales. Nam, qui temperantiam fortuito non consulto colunt, hi fieri potest ut aliquando a sententia deducantur: qui vero præter naturæ bonitatem etiam persuasum habent summum bonum esse in virtute positum, ii haud dubie per omnem ætatem in hac statione perseverabunt. Ideo autem et de me ipso et de cæteris quas exposui rebus plura verba feci, ne ullam excusationem vobis reliquam facerem, quo minus libenter et alacriter meis imperatis et consiliis duceretis obtemperandum.

12. Dico igitur necesse esse unumquemque vestrum, id quod sui officii est, et diligenter et fideliter administrare: nam quatenus alterutrum horum omiseritis, eatenus actiones deteriores esse necesse erit. Nihil igitur ex mandatis negligite aut contemnite, cogitantes, non in eo quidem quod violetur per se tantum esse momenti, sed sic intenti in ea estote ut sentiatis, singulas partes id efficere ut res universa vel præclare vel male se habeat. Nihilominus curate mea quam vestra, nec honores, qui iis habentur qui rebus nostris bene præsunt, parvi æstimate. Alienis abstinete, quo tutius vestras opes teneatis. Tales erga alios vos præbere debetis, qualem erga vos me esse postulatis. Ne ditari potius quam probitatis opinionem consequi properetis: scitis enim, et apud Græcos et apud barbaros plurimis eos potiri bonis qui maxima virtutis gloria florent. Injusta lucra ne existimate auctura esse divitias, sed periculum allatura. Ne putetis vos accipiendo lucrum, erogando damnum, facturos: neutrum enim horum semper eandem vim habet, sed utrum in tempore ac cum virtute factum fuerit, fecisse expediet. Nihil penitus a me mandatum gravatim facitote: nam quo quisque vestrum pluribus utilitatibus meis inservierit, eo majores fructus inde privatim percipiet. Cujus rei unusquisque vestrum sibi conscius fuerit, eam ne me quidem clam fore existimet; nam etsi corpus meum præsens non fuerit, at mentem meam singulis actionibus adesse putet: hoc

enim animo si fueritis, modestius agetis omnia. Nihil occultate, sive quod possidetis sive quod facitis sive quod facturi estis; scitis enim fieri non posse quin clandestini conatus magnos terrores adjunctos habeant. Ne studeatis callide rempublicam aut occulte gerere, sed ita simpliciter et aperte ut ne quis etiamsi velit vos facile calumniari queat. Probate actiones, et putate malas esse quas ignorari a me vultis, bonas quibus ego auditis vos probiores judicabo. Ne reticeatis si quos videritis imperio meo nocere, sed et arguite, et existimate idem supplicium deberi occultantibus quod delinquentibus. Felices esse putate non eos qui clam habent maleficia sua, sed eos qui nihil delinquunt: consentaneum enim est, alteros meritas scelerum pœnas daturos, alteros factis suis præmiis digna percepturos. Nullas sodalitates, nulla concilia, sine auctoritate mea instituite: nam hujusmodi conspirationes ut in aliis politiis multum valent, ita in monarchiis sunt periculosæ. Fugite non tantum peccata, sed etiam ejusmodi studia quæ sine peccati suspicione esse nequeunt.

13. Meam amicitiam tutissimam et firmissimam esse putate. Hunc statum tuemini, neque ullam requirite mutationem, non ignari, fieri non posse quin per tumultus et urbes intereant et privatæ domus evertantur. Sævitiam aut mansuetudinem non tantum ingeniis tribuite dominorum, sed moribus etiam populorum: multi enim jam ob improbitatem civium asperius imperare quam vellent sunt coacti. Freti estote non tam mea clementia quam vestra innocentia. Quo ego tutior fuero, eo vos securiores esse putate: nam, rebus meis probe constitutis, eadem vestrarum quoque rerum ratio futura est. Humiles vos esse decet erga meum imperium, ut et in institutis perseveretis et leges regias observetis; splendidos vero in publicis administrationibus et cæteris meis mandatis obeundis. Adolescentes ad virtutem excitate non tantum præcipiendo, sed in ipsis etiam actionibus eis demonstrando quales præstantes viros esse oporteat. Docete liberos vestros parere imperio regio, et assuefacite eos ut in hoc studio potissimum versentur: nam ubi honeste parare didicerint, multis imperare valebunt; quod, si fideles fuerint et probi, bonorum nostrorum participes erunt, sin improbi, suas opes in discrimen adducent. Maximas putate liberis et firmissimas opes vos tradituros, si eis nostram benevolentiam relinquere possitis. Miserrimos judicate et infelicissimos eos, qui iis fidem fregerunt qui fidem eis habuerunt: necesse enim est tales in trepidatione metuque rerum omnium reliquam ætatem exigere, nec amicis magis credere quam inimicis. Beatos existimate non opulentissimos, sed nullius sceleris sibi conscios: nam qui hoc animo sunt, omne tempus ætatis sine molestia possint degere. Ne putetis improbitatem plus quam virtutem prodesse, aut nomen tantum odiosius habere, sed cujus-

modi appellationes singulis rebus inditæ sunt, talem etiam vim illarum esse ducite. Ne invidete iis qui apud me principem locum tenent, sed contendite, et enitimini ut ob probitatem et virtutem vestram cum summis æquemini. Amandos et honorandos eos esse putate quos rex magnifacit, ut eadem hæc vobis etiam a me tribuantur. Qualia me præsente dicitis, talia etiam quum absum sentite. Vestram erga nos benevolentiam factis magis quam verbis declarate. Quæ vobis ab aliis fieri ægre fertis, eadem aliis ipsi ne feceritis. Quæ verbis accusatis, ea re ipsa vitate. Ita vobiscum actum iri credite ut erga nos affecti fueritis. Non tantum laudate bonos, sed etiam imitamini. Verba mea pro legibus habete, operamque date ut eis obtemperetis; ac scitote, fore ut his, qui maxime voluntati meæ satisfacere studuerint, citissime vivere liceat ut ipsi volunt.

14. Caput vero est omnium quæ diximus, quales existimatis eos qui vobis parent erga vos esse oportere, tales vos erga meum imperium esse debetis. Quæ si feceritis, quorsum attinet multa dicere quid sit eventurum? nam si et ego me deinceps ita gessero ut superiori tempore, et mihi vos eodem modo inservieritis, quamprimum et vestras opes crevisse videbitis et meum imperium auctum et civitatem felicem esse factam. Operæ pretium igitur esset tantis bonis propositis omnia facere, nec labores ullos aut pericula recusare: nunc vobis potestas datur sine ullo negotio, si fidi modo et justi fueritis, hæc omnia consequendi.

ISOCRATIS

PANEGYRICUS.

1. Sæpe mirari soleo quid in mentem iis venerit qui celebritates has congregarunt et ludos gymnicos instituerunt, ut corporum viribus tanta præmia proponerent, eos vero qui reipublicæ studio privatos labores cepissent et animis ita se parassent ut aliis quoque prodesse possent, nullo prorsus honore dignarentur, quorum eos rationem potius habere decuisset: nam etsi pugilum robur conduplicaretur, nullus tamen ex eo fructus rediret ad cæteros; unius autem viri prudentia fruuntur omnes qui ejus consiliis parere voluerunt. Neque tamen hæc mihi desperationem attulerunt ut socordiæ me dederem, sed, quum gloriam ex ipsa oratione capiendam satis mihi magnum fore præmium existimem, consilium daturus adsum cum de bello barbaris inferendo tum de concordia inter nos ipsos constituenda; etsi autem non ignoro multos qui sophistarum sibi nomen arrogarunt cupide hoc argumentum arripuisse, tamen cum cæteros tanto intervallo me superaturum confido ut illi nihil unquam dixisse de hoc negotio videantur, tum eas orationes pulcherrimas esse censeo, quæ et maximis de rebus agunt et oratorum ingenia maxime demonstrant et utilissimæ sunt audientibus, quarum de numero hæc est. Deinde harum quoque rerum tempora nondum præterierunt, ut eas oratione renovari supervacaneum sit. Tum enim demum dicendi finis est faciendus, quum aut res ipsæ peractæ sunt neque jam in deliberationem cadunt, aut quum oratio sic elaborata est ut ad ejus excellentiam nihil ab ullo addi posse videatur. Sed quandiu neque rerum status emendatus est et prius habitæ orationes parum probantur, de tali oratione exquirenda nonne meditandum et sedulo cogitandum est, quæ si prospere successerit et intestinis bellis et his tumultibus malisque maximis nos liberare possit? Præterea, si alio modo iisdem de rebus nulla ratione dicere liceret, supervacaneum judicari posset iterata ejusdem argumenti non dissimili tractatione obtundere auditores: quum autem ea sit natura sermonis, ut res eædem varie possint explicari, dicendoque tum magna deprimi tum exaggerari parva, tum vetera nova ratione dici tum iis quæ recens acta sunt quædam vetustatis opinio conciliari queat, non utique ea fugienda sunt de

quibus alii prius egerunt, sed opera danda est ut eos orationis bonitate superemus. Res enim olim gestæ ex æquo nobis omnibus sunt relictæ, eas vero in tempore proferre et argumentis idoneis confirmare et verbis illustrare prudentium hominum peculiare munus est. Sic autem existimo cum cæteras artes tum eloquentiæ studium maxime auctum iri, si honorati atque in admiratione sint non ii a quibus primis sit initium dicendi profectum, sed hi qui singulas orationum partes optime perfecerint, neque illi qui de rebus a nemine prius tractatis dicere instituerint, sed qui sic verba fecerint ut nemo alius eodem modo possit.

2. Enimvero sunt qui vituperent orationes quæ vulgi captum excedunt et exquisitius elaboratæ sunt; ac tanto in errore versantur ut summo studio perpolitas cum privatorum contractuum causis conferant, quasi vero eadem utrarumque ratio esse debeat, et non alteræ ad victoriam alteræ ad ostentationem sint comparatæ, aut mediocritatem ipsi perspiciant, is vero qui accurate potest dicere, non simpliciter etiam dicere possit. Ac istos quidem non obscurum est eos duntaxat laudare a quibus ipsi prope absunt: mihi autem cum isto hominum genere rei nihil est, eos volo qui nullum verbum temere probent, sed et morose judicent et tale aliquid in meis orationibus requirant, quale apud alios non sint inventuri. Ad eos igitur ubi me paulum etiam jactaro, statim de re ipsa dicere aggrediar. Equidem alios in exordiis auditores sibi conciliare video, et excusare ea quæ dicenda sunt, vel quod non spatii satis datum sibi fuerit ad meditandum, vel quod difficile sit eam afferre orationem quæ rerum magnitudini respondeat. Ego vero, nisi et pro dignitate rei dixero et sicut et existimatio mea et tempus non modo in hac oratione scribenda consumptum sed et totius meæ vitæ postulat, hortor ne quisquam mihi det veniam, sed ut me derideant et contemnant omnes: nihil enim horum est quod non jure mihi eventurum sit, qui nihilo præstantior aliis, adeo magnifica promittam. Ac de me quidem hæc volui præfari: de republica vero, qui quum primum huc prodierunt abolitis odiis et inimicitiis belli aciem contra barbarum dirigendam docent, et clades ex intestinis bellis acceptas commemorant fructusque item illius expeditionis, vera quidem dicunt, sed non inde ordiuntur unde confici potissimum illa possint. Nam ita se res habet: Græcorum alii nos colunt, alii Lacedæmoniis parent; etenim rerum publicarum formæ, quibus in suis quique civitatibus utuntur, sic plerosque distinxerunt. Quisquis igitur se publice de cæteris bene meriturum putat, priusquam eorum principes reconciliarit, is parum recte sentit et longe abest a rei veritate. Qui autem non tantum ingenii famam aucupatur, sed etiam aliquid perficere cupit, eas quærat rationes necesse est, quibus hæ urbes adducantur ut et pari æquoque jure inter sese vivant

et principatus dividant, et quæ lucra nunc a Græcis auferre student, a barbaris petant.

3. Ac nostræ quidem urbi hæc facile persuaderi poterunt, Lacedæmonii autem pertinaciores adhuc sunt, falsa nimirum persuasione imbuti patrium sibi esse belli temporibus imperium: si vero demonstratum illis fuerit hunc honorem ad nos pertinere potius quam ad ipsos, omissa fortassis accuratiore hisce de rebus disputatione ad id quod expediet convertentur. Recte igitur etiam alii hinc exorsi non prius ea quæ in confesso sunt suadere debuissent, quam illa diligenter explicassent de quibus inter nos omnis est controversia: me vero utraque de causa potissimum in his immorari decet, tum ut aliquid proficiatur omissaque hac inter nos concertatione bellum communi consilio barbaris inferatur, tum, si hoc perfici forte nequeat, ut eos demonstrem qui felicitati Græcorum obstant, utque omnes perspiciant nostram civitatem et antehac jure maris imperium tenuisse et nunc non injuria principatum sibi vendicare. Nam, sive hi propter quælibet honorandi sunt qui maximum rerum usum summamque potentiam habent, sine controversia nobis principatus quem antea tenuimus est restituendus: nemo enim ullam urbem ostendet quæ terrestri bello tantum valeat quantum nostra navalibus pugnis excellit. Sive aliqui judicium hoc iniquum dicunt esse multasque e contra fieri mutationes — principatus enim nunquam apud eosdem permanere —, et contendunt vel iis qui hunc honorem primi adepti sint vel iis qui beneficia plurima in Græcos contulerint illum ut aliud præmium esse deferendum, illos etiam nobiscum facere arbitror: nam quo in his utrisque considerandis longius processeris, eo longiore intervallo vincemus eos qui ambigunt.

4. Constat enim nostram urbem et antiquissimam esse et maximam et apud omnes homines celeberrimam: etsi autem hoc pulcro fundamento nitimur, ob ea tamen quæ sequuntur plus etiam honoris nobis est habendum. In hac enim terra sic habitamus ut nec alios pepulerimus nec vacuam occupaverimus nec ex multis gentibus permisti, sed adeo honeste liberaliterque nati simus, ut quæ nos produxit, eam perpetuo tenuerimus, nam indigenæ sumus urbemque iisdem nominibus quibus conjunctissimos appellare possumus: solis enim nobis ex omnibus Græcis eandem et nutricem et patriam et matrem vocare datum est. Decet autem eos, qui suæ magnanimitatis causam habent et jure de principatu contendunt patriique juris mentionem sæpe faciunt, tale sui generis primordium proferre posse.

5. Quæ igitur a primo nobis ortu contigerunt aque fortuna donata sunt, eorum tanta magnitudo est: in alios autem quanta beneficia contulerimus, ita pulcherrime investigabimus, si et prima tem-

pora et reipublicæ nostræ facta ordine recensuerimus; eam enim non tantum rebus bello gestis excellnisse, sed et cæterarum coplarum, quibus fruimur inque republica utimur et vitam tuemur, fere omnium fuisse causam reperiemus. Ea vero beneficia potissimum proferre necesse est, non quæ ob tenuitatem ignorata silentioque tecta jacuerunt, sed quæ propter magnitudinem et olim et nunc et ubique omnium mortalium et sermonibus et recordatione celebrantur.

6. Ac primum id quo natura nostra primum indiguit, per nostram urbem est comparatum: etsi enim commemoratio hæc fabulosa videri cœpit, hoc tamen tempore non est omittenda. Nam, quum Ceres post raptam Proserpinam erroribus acta in regionem pervenisset, nostrisque majoribus ob accepta beneficia quæ non nisi initiatis audire fas est bene cupiens, amplissima munera largita esset, fruges quæ in causa fuerunt ne more belluarum viveremus, et arcana illa sacra quibus initiati qui sunt et de vitæ exitu et universo ævo spem habent meliorem, adeo non tantum accepta diis sed et in homines benigna fuit nostra urbs, ut nemini tanta bona invideret, sed quæ acceperat omnibus impertiret. Et hæc quidem etiam nunc quotannis ostendimus, illarum autem culturam utendique rationem et utilitates inde capiendas ea semel in perpetuum edocuit. Quibus fidem abrogare qui velit, si pauca modo addiderimus, erit nemo.

7. Primum enim, si quis ea quæ diximus propterea contempserit quod antiqua sint, ob idipsum ea facta esse jure existimaverit: nam, quod ea et multi dixerunt et omnes audiverunt, non quidem nova sed fide digna sunt habenda. Deinde non huc tantum confugere nobis licet, quod sermonem et famam hanc jam olim acceperimus, sed majoribus etiam quam hæc sunt uti possumus argumentis: nam pleræque urbes in veteris beneficii memoriam frumenti primitias quotannis ad nos mittunt, si quæ autem id intermiserunt, iis Pythia sæpe imperavit ut et partes frugum offerrent et nostræ urbi præstarent ea quæ a patribus accepissent. Quæ vero magis credenda sunt, quam ea quæ et oraculis jubentur et a multis Græcorum comprobantur, quum et veteres sermones iis rebus quæ nunc fiunt testimonium perhibeant, et ea quæ nunc fiunt cum veterum sermonibus consentiant?

8. Præterea, si omissis his omnibus prima origo spectetur, eos qui primi in terris exstiterunt vitam non sic instructam reperisse intelligetur, sed ipsos paulatim necessaria comparasse. Quosnam igitur ea similius est vel dono a diis immortalibus accepisse vel suo studio investigasse? Annon eos qui sine controversia et antiquissimi sunt et ad artes tractandas ingeniosissimi et cultores deorum religiosissimi? Quantis autem honoribus digni sint qui tanta beneficia dederunt, supervacaneum est docere: nemo enim ullum præmium reperiet tantum quod rebus gestis respondeat.

9. Ac de maximo beneficio et primo et latissime patente hæc dicere possumus. Iisdem quoque temporibus nostra urbs, quum barbaros maximam terræ partem videret obtinere, Græcos autem velut in angustias quasdam redactos ob agri penuriam alios aliis et insidias et bella facere, atque alios fame alios armis perire, ne hæc quidem neglexit, sed duces in civitates misit, qui egentissimis quibusque adscitis barbaros ductu suo vicerunt et multas in utraque continente urbes condiderunt et in omnes insulas colonias deduxerunt; quo facto conservarunt utrosque, tam eos qui secuti fuerunt quam eos qui in patria remanserunt: nam alteris agros domi satis multos reliquerunt, alteris plures quam habuerant tradiderunt; omnem enim locum hunc quem nunc tenemus sunt amplexi. Et illis etiam, qui post aliquo colonias mittere nostramque urbem imitari voluerunt, ejus rei citra ullum negotium potestatem dederunt: nec enim necesse illi habuerunt agri occupandi causa acie decernere, sed Græcis assignatos a nobis agros, profectione suscepta facile tenuerunt. Quis vero est qui principatum ostendat hoc vel antiquiorem qui vetustate plerasque Græcas urbes superet, vel utiliorem qui et barbaros solum vertere coegit et Græcos ad tantas opes evexit?

10. Neque vero, quum maximis in rebus adjumento fuisset, neglexit cæteras, sed sua beneficia inde auspicata est, ut victum curaret indigentibus, id quod in primis ei faciendum est qui reliqua etiam recte constituta esse velit. Quum autem vitam hac sola re instructam nondum esse dignam vivendi desiderio putaret, eam in cæteris quoque diligentiam adhibuit, ut eorum bonorum quibus fruimur homines non divinitus acceptis sed mutua nostra opera comparatis, nihil sine urbe nostra contigerit, plurima vero accepta illi referantur. Nam, quum Græci olim sine legibus viventes et sparsim habitantes, alii potentiorum iniquo dominatu premerentur, alii quod nullos magistratus haberent interirent, etiam his malis eos liberavit, alios in potestatem redigendo, alios exemplo suo corrigendo: prima enim et leges tulit et rempublicam constituit. Id quod inde perspicitur: nam, qui primi homicidii causam egerunt et disceptatione non vi et armis controversiam finiri voluerunt, nostris legibus sunt experti. Quinetiam artes tum ad vitæ necessitatem utiles tum causa voluptatis excogitatas partim invenit ipsa, partim probavit, atque aliis utendas tradidit.

11. Quæ vero ad cæterarum rerum rationes attinent, ea tam hospitaliter instruxit et tam accommodate universis, ut utrisque cum pecuniæ indigentibus tum opibus suis frui volentibus convenirent, utque nec felicibus nec iis quibus domi res adversæ essent incommodarent, sed utrique apud nos haberent, alteri vitæ rationem jucundissimam, alteri confugium tutissimum. Præterea, quum non omnis tellus omnia ferret, sed quibusdam careret quibusdam abun-

daret, neque facile ratio iniri posset vel quo alia exportanda vel unde alia importanda essent, etiam hæc incommoda propulsavit: nam in media Græcia Piræeum mercatum instituit, cujus ea excellentia est ut eæ res quarum singulas apud alios nancisci difficile est, ibi comparari universæ facile possint.

12. Quum autem merito laudentur ii qui celebres conventus instituerunt, quod eum morem nobis tradiderunt, ut quasi fœdere inito et inimicitiis reconciliatis in unum locum conveniremus, deinde ut votis et sacris communibus factis, ejus cognationis qua conjuncti sumus inter nos recordati, amiciores in posterum essemus, utque et vetera hospitia renovaremus et nova constitueremus, denique ut nec indoctis nec excellentibus ingeniis ignavum tempus abiret, sed in celebri conventu Græcorum aliis suam felicitatem ostentare aliis hos inter se certantes spectare liceret, ac neutri voluptate carerent, sed utrique in quo gloriarentur haberent, alteri quum sua causa laborare pugiles viderent, alteri quum omnes sui spectandi gratia venisse cogitarent — tanta igitur commoda cum ad nos e conventibus redeant, ne in his quidem nostra urbs postremas tulit. Etenim spectacula plurima et pulcherrima possidet, alia magnitudine sumptuum excellentia, alia propter artificium celebrata, alia horum utroque præstantia: ac multitudo eorum qui ad nos veniunt tanta est, ut, si quid boni congressibus inest, id quoque sit ab ipsa comprehensum. Ad hæc amicitias fidelissimas reperire et omnis generis congressibus interesse apud nos potissimum licet, præterea non tantum celeritatis et roboris, sed et eloquentiæ et mentis ac operum cæterorum omnium certamina, et horum præmia maxima hic cernuntur. Nam præter ea quæ ipsa urbs proponit, etiam aliis ut dent persuadet: nam quæ a nobis decreta fuerint tantam habent auctoritatem, ut omnibus probentur. Jam cæteræ celebritates post longum temporis spatium coactæ celeriter dissolvuntur, nostra vero urbs per omne ævum instar est solennis conventus.

13. Philosophiæ certe quidem, cujus ope hæc omnia inventa et constituta sunt, quæ nos et ad res gerendas erudiit et animos nostros mansuefecit, et calamitates tam ex inscitia ortas quam necessitate importatas distinxit, atque illas cavere has pulcre ferre docuit, nostra urbs honorem habuit, nec minus eloquentiæ cujus desiderio tenentur omnes et tamen ea præditis invident, haud ignara, solis nobis inter omnes animantes hoc naturam peculiare tribuisse, quo insigni bono usi etiam cæteris rebus omnibus illas superamus; quum autem in aliis actionibus eas esse fortunæ perturbationes cerneret ut sæpenumero et prudentes votorum impotes fierent et stolidi successus prosperos haberent, orationis autem præclaræ artificiosæque facultatem et stupidis negatam et prudentis animi munus peculiare esse, atque etiam eos qui vel eruditi vel indocti perhibeantur hac re inter se po-

tissimum differre, et ab ineunte ætate liberaliter educatos nec ex fortitudine nec opibus nec aliis id genus bonis dignosci, sed ex oratione potissimum perspici, eamque institutionis cujusque nostrum signum esse certissimum et evidentissimum, quique oratione præclare utantur, eos non in suis duntaxat urbibus auctoritate valere, sed apud exteros etiam honorari. Nostra igitur urbs cæteris hóminibus tum sapientia tum eloquentia tantum antecelluit ut ejus discipuli sint aliorum præceptores, id consecuta ut nomen Græcorum non jam nationis et gentis sed rationis et mentis argumentum esse videatur, Græcique hi potius vocentur qui eruditionem nostram perceperunt quam qui in eadem Græcia nati sunt.

14. Ne vero videar in partibus immorari de totis rebus me dicturum professus aut hæc celebrandæ nostræ urbis causa ob bellicarum laudum inopiam attulisse, propter eos hæc dicta sint qui rebus hujusmodi gloriantur; arbitror autem majores nostros non minus ob res [bello] gestas quam propter cætera beneficia, esse honorandos. Nec enim parva neque pauca nec obscura certamina subierunt, sed multa et acria et magna, partim pro patriæ defensione, partim ad libertatem aliorum tuendam: nunquam enim ab omni memoria destiterunt urbem suam præbere communem et Græcos ab injuriis quovis tempore vindicare. Quamobrem etiam sunt qui nos accusent tanquam non recte consulentes, qui colere imbecilliores soleamus, quasi ea verba non cum iis faciant qui nos laudare volunt. Nec enim, ex inscitia quantum societas potentiorum ad securitatem præstaret, rationem hanc secuti sumus; sed, quum aliis longe melius sciremus qui harum rerum eventus esse solerent, tamen imbecillioribus etiam neglecta utilitate maluimus opitulari quam potentioribus privatæ utilitatis gratia adjutores esse injuriarum.

15. Cognosci autem ex eo et consuetudo et potentia nostræ urbis poterit, si eos protulerimus qui nostram opem implorarunt. Ac supplicationes vel recens vel parvis de rebus factas omittam: diu autem ante Trojana tempora — inde enim fidem jure petunt qui de patrio jure contendunt — venerunt et Herculis liberi, et paulo ante illos Adrastus Talai filius, rex Argivorum: nam is quidem in expeditione Thebana clade accepta, quum sub Cadmea cæsos ipse tollere non posset, a nostra urbe petiit ut communis sortis miserti opem ferrent neque occisos in præliis jacere insepultos aut vetus institutum et patriam legem aboleri paterentur; Herculis autem liberi hostem Eurystheum fugientes, despectis urbibus cæteris ut quæ ipsorum calamitatibus mederi non possent, nostram civitatem solam eam esse putarunt quæ justam gratiam referret pro iis beneficiis quæ pater in universum genus mortalium contulisset. Hinc facile perspicitur nostram urbem tum etiam dignitate imperatoria fuisse præditam et nunc non injuria contendere de principatu.

Quis enim est qui supplex esse velit vel inferioribus vel aliorum subjectis imperio, potentioribus neglectis, de rebus præsertim non privatis sed publicis, et quarum curam suscepturos consentaneum esset non nisi eos qui primas inter Græcos sibi vendicarent? Deinde spe sua qua freti ad majores nostros confugerant non frustratos eos esse constat. Suscepto enim bello defunctorum causa contra Thebanos, liberorum autem Herculis causa contra vim Eurysthenicam, tum illos admoto ad urbem exercitu ad sepulturam cadavera cognatis reddere coegerunt, tum instructa acie Peloponnenses qui cum Eurystheo in nostrum agrum impetum fecerant obviam progressi prælio vicerunt ejusque ferociam compescuerunt. Quum autem ob alia quoque facinora in admiratione essent, ob hæc facta magis etiam celebrati sunt. Nec enim parvum quiddam præstiterunt, sed utrorumque fortunas ita mutaverunt, ut et is qui nobis supplicandum esse censuerat hostibus vi superatis confectisque iis quæ petierat omnibus discesserit, et Eurystheus qui vim nobis facturus advenerat ipse captus supplex fieri sit coactus, ac eum quidem quod natura humana præstantior, et Jove natus fuit, et mortalis adhuc divinum robur habuit, et imperiis et injuriis per omnem ætatem divexavit, postquam autem erga nos deliquit, res ejus ita mutatæ sunt ut in potestatem liberorum illius redactus contumeliosa morte perierit.

16. Quamvis autem complura in civitatem Lacedæmoniorum beneficia contulerimus, sic tamen accidit ut de hoc uno dicerem: nam occasione usi qua per nos conservati erant majores eorum qui nunc Spartæ regnant, Herculis posteri, atque in Peloponnesum reversi Argis et Lacedæmone et Messena occupatis tum Spartæ conditores tum bonorum quibus nunc fruuntur omnium principes eis auctoresque exstiterunt. Decuisset igitur illos horum memores nunquam in eam regionem impressionem fecisse, e qua majores eorum progressi tantam essent felicitatem adepti, nec ei urbi creasse periculum quæ pro liberis Herculis caput periculis objecisset; nec enim convenit ut eam civitatem sibi servire postulent, quæ totam illius familiam, cujus posteris regnum dedere, conservavit. Quod si gratiæ referendæ et æquitatis officiis omissis ad institutum redeundum et in ipsius causæ quasi arcem invadendum est, non utique patrium est duces esse advenas indigenarum, neque beneficiis affectos bene meritorum, neque supplices eorum a quibus sunt conservati.

17. Ac majore etiam compendio his de rebus possum dicere. Nam Græcarum urbium, nostra civitate excepta, Argos et Thebæ et Lacedæmon ut tum fuerunt sic etiam hodie sunt maximæ. Majores autem nostros tantum præstitisse omnibus constat, ut propter Argivos adversa fortuna usos Thebanis, quum animosissimi essent,

imperarint, et ad liberos Herculis defendendos Argivos cæterosque Peloponnenses prælio superarint, et e periculis quæ ab Eurystheo imminebant Spartæ conditores et Lacedæmoniorum duces liberarint, Itaque haud scio quidnam de Græciæ principatu ab ullo demonstrari possit apertius.

18. Convenire autem videtur ut de rebus a nostra urbe etiam contra barbaros gestis dicam, præsertim quum orationem de imperio quo illos oppugnemus instituerim. Verum, si omnia prælia enumerarem, justo mihi longior nasceretur oratio: quare operam dabo ut eadem ratione qua supra sum usus etiam hic de maximis tantummodo disseram. Sunt igitur imperiosissimæ gentes maximaque præditæ potentia, Scythæ et Thraces et Persæ: ita autem sors tulit, ut hi omnes insidiati nobis fuerint, nostraque urbs adversus hos omnes belli discrimen adierit. Enimvero quid reliqui erit adversariis, ubi demonstratum fuerit et Græcos, si qui jus suum adipisci non possent, nostræ urbi supplicare solitos, et barbaros servitute Græciam oppressuros impetum in nos primos fecisse?

19. Bellum autem Persicum etsi omnium illustrissimum fuit; non minora tamen argumenta res olim gestæ suppeditant de jure et more majorum disputantibus. Nam humili adhuc Græcia, in nostrum agrum irruperunt Thraces cum Eumolpo Neptuni filio, Scythæ cum Amazonibus Marte prognatis, non eodem tempore, sed quo utrique Europæ imperium appetebant, infensi quidem Græcis universis, sed privatim nos accusantes; existimabant enim ea se ratione unam duntaxat urbem adversariam habituros et universarum simul potituros. Non tamen votorum compotes facti, sed cum solis majoribus nostris congressi æque deleti sunt, ac si generi humano universo bellum intulissent. Cladis autem illius magnitudo ex eo perspicitur, quod fama illa tamdiu durare non potuisset, nisi res gestæ multum aliis præstitissent. Nam Amazonum quidem quæ huc venerint nullam domum rediisse, et cæteras quæ domi manserint ob cladem hic acceptam regno pulsas esse ferunt: Thraces autem, quum superiori tempore in vicinia nostra habitassent, ob expeditionem illam tam longe recesserunt, ut inter nostros et illorum fines multæ gentes variæque consederint et magnæ urbes sint conditæ.

20. Præclara quidem et hæc sunt ac digna iis qui de principatu contendunt: cognata vero his quæ diximus, et talia qualia decent a tantis viris ortos, illi gessere qui Darii et Xerxis arma repulerunt. Quum enim maximum id bellum exstitisset et plurima pericula eodem tempore urgerent, et hostes ob multitudinem se non sustineri posse et socii eorum virtute insuperabili se præditos esse putarent, utrisque victis sicut utrisque conveniebat, et omnibus præliis præstantia virtutis suæ probata, insignem statim fortitudinis

laudem et præmia meruerunt, neque multo post maris imperium sunt adepti, et delatum a Græcis cæteris, et istis qui nunc id nobis eripere student non adversantibus.

21. Neque vero me quisquam ignorare putet etiam Lacedæmonios sub illa tempora multa in Græcos beneficia contulisse: sed tantum abest ut nostræ urbis laudes propterea minuantur, ut majores etiam sint quod talibus æmulis tantum excelluit. Dicam autem paulo prolixius de his duabus urbibus neque celeriter nimium prætervehar, ut in memoriam utrunque nobis revocetur, tum nostrorum majorum virtus, tum inimicitiæ barbarorum. Neque me fugit, quam difficile sit post alios omnes de rebus dicere jam olim occupatis, de quibus eloquentissimi cives in publicis sepulturis sæpe verba fecerunt: necesse enim est maxima quæque jam ante in medium allata, et parva quædam relicta esse. Non tamen ea quæ restant, quoniam instituto nostro serviunt, silentio prætereunda sunt.

22. Optime igitur meritos et maximis laudibus fuisse dignos eos existimo qui sua corpora pro Græciæ defensione periculis objecerunt: sed nec eorum nulla ratio habenda est qui eo bello ætate superiores in utraque urbe summæ rerum præfuerunt. Illi enim fuere qui præpararunt posteros et populum ad virtutem cohortati eos barbaris acerrimos adversarios effecerunt. Nec enim illi nullam reipublicæ curam habebant, neque publicis opibus fruebantur ut privatis, ut alienas negligebant, sed eas administrabant ut privatas, ita iis abstinebant ut abstinere decet prorsus alienis; nec pecunia felicitatem metiebantur, sed is opes possidere tutissimas et pulcherrimas sibi videbatur, qui ita se gerebat ut et ipse maximam laudem mereretur et liberis suis honestissimam famam relicturus esset; neque audacia inter se certabant nec alios alii ferociter impetebant, sed gravius esse putabant male audire a civibus quam honeste pro urbe occumbere, et magis erubescebant si quid publice delictum esset quam nunc privatim peccasse pudeat. In causa illud erat, quod operam dabant ut leges accuratæ et præclaræ essent, non tam privatorum contractuum quam publicæ disciplinæ. Sciebant enim bonis viris nihil opus esse multis scriptis, sed paucis velut tesseris, ut de re tum publica tum privata consentirent. Jam tantum fuit eorum reipublicæ studium, ut inter eos factiones essent, non utri alteris e medio sublatis reliquis dominarentur, sed utri suam in civitatem beneficentiam properantius declararent: societates coibant, non ob privata commoda, sed propter populi emolumenta. Eodemque modo etiam res aliorum administrabant, ut colerent Græcos non exagitarent, existimabantque non tyrannidem sed imperium in eos esse exercendum, et duces potius quam dominos appellari, servatores et non vastatores nominari, se cupiebant; beneficiis civitates alliciebant non vi eversas ad se pertra-

hebant, graviore sermone quam nunc jurejurando utebantur, pacta et conventa ultro ita servabant quasi necessitate constricti tenerentur; non tam ob potentiam superbiebant quam vitæ modestiam laudi sibi ducebant, erga imbecilliores ita affecti ut potentiores erga se affectos esse voluissent, civitates suas privatarum urbium loco habebant, Græciam vero communem patriam existimabant.

23. Quum igitur his animis essent et his moribus adolescentiam informarent, eos qui cum Asianis pugnarunt tam fortes viros reddiderunt, ut nemo unquam vel poetarum vel oratorum eos pro rerum gestarum dignitate potuerit celebrare. In quo ego illis facile ignosco: æque enim difficile est eos laudare qui aliorum virtutes superarunt, ac illos qui nihil præclari gesserunt; nam alteris res desunt, alteris apta verba reperiri non possunt. Nam quæ talibus viris par queat esse oratio, qui Trojæ oppugnatores tanto intervallo superarunt, ut illi una urbe expugnanda decem annos contriverint, quum hi totius Asiæ vires exiguo tempore debellarint, neque patriam quisque suam duntaxat conservarint, sed totam quoque Græciam a servitute vindicarint? Quæ vero facinora, quos labores, quæ pericula detrectassent ut viventes gloria florerent, qui famæ gratia post obitum consequendæ tam alacriter mortem oppetere voluerunt? Equidém deorum aliquem id quoque bellum arbitror concitasse virtutis eorum admiratione, ne tam generosis animis præditi in obscuro delitescerent aut vitam ingloriam exigerent, sed ut pari cum filiis deorum honore quos semideos vocant afficerentur. Nam, ut corpora sua naturæ necessitati reddiderant, sic virtutis quoque suæ memoriam immortalem reliquerunt.

24. Ac inter majores quidem nostros et Lacedæmonios semper æmulatio quædam honorisque contentio fuit, de rebus autem certe pulcherrimis temporibus illis concertarunt, non ut hostes sed ut æmuli ejusdem gloriæ, nec ad opprimendam Græcorum libertatem barbarum coluerunt, sed et de communi salute consenserunt, ut utri eam palmam obtinerent, de eo certamen fuit. Primum autem fortitudinem suam adversus copias a Dario missas declararunt. Quæ quum in Atticam exscensum fecissent, nostri non exspectatis sociis commune bellum sibi privatim depoposcerunt, et acie ex domestico milite instructa totius Græciæ contemptoribus occurrerunt, pauci infinitis tanquam alienæ vitæ periculo dimicaturi; Lacedæmonii vero, quum primum de bello Attico audivissent, relictis rebus omnibus nobis suppetias venerunt, non minore studio et festinatione quam si hostes in ipsorum agro populabundi vagarentur. Signum autem celeritatis eorum et contentionis illud est, quod ferunt majores nostros eodem die et barbarorum exscensum audivisse et ad agri sui terminos defendendos procurrisse et superatis hostibus trophæum statuisse, illos vero tribus diebus totidemque noctibus mille ac

ducenta stadia eum exercitu confecisse. Usque adeo festinarunt, alteri ut socii periculorum essent, alteri ut ante auxiliorum adventum conflixisse viderentur.

25. Post hæc altera expeditio susceptа est, cujus ipse Xerxes dux fuit, relictaque regia imperator ausus fieri totius Asiæ vires contraxit: de quo quis unquam instituit immensa dicere qui non dixerit minora veris? Nam tanta superbia elatus, ut rem parvam existimaret subigere Græciam, et id sui monumentum relinquere cupiens quod humanam naturam excederet, non prius destitit quam id excogitasset perque vim extorsisset quod omnibus in ore est, ut cum exercitu continentem navigarit, pedibus mare ambularit, tum Hellesponto ponte juncto, tum Atho monte perfosso. Illi igitur cujus tanta fuit animi elatio, qui res tantas gesserat, qui tot populis imperabat, occurrerunt distributo periculo, Lacedæmonii ad Thermopylas pedestrem exercitum prohibituri, delectis mille de suis et sociorum paucis assumptis, ut eum in angustiis ulteriore progressu excluderent; nostri patres ad Artemisium, sexaginta triremibus contra universam hostium classem instructis. Et hæc fecerunt non tam hostium contemptu quam quadam inter se contentione, Lacedæmonii, quod gloriam urbis nostræ ob Marathoniam pugnam æmulantes se nobiscum exæquare studebant, veriti ne Græcia secundum continenter a nobis conservaretur; nostri majores tum ut partam gloriam tuerentur et omnibus declararent priorem etiam victoriam non fortunæ sed suæ virtuti esse tribuendam, tum ut Græcos ad navalis prælii fortunam tentandam adducerent eisque declararent multitudinem non minus mari quam terra cedere virtuti.

26. Quum autem par fuisset audacia, non parem fortunam sunt experti; nam illi quidem occiderunt, victores animis, corporibus defatigati — dictu enim nefas est, eos esse victos; quum nemo eorum fugere voluerit —, nostri autem, quum primis navibus victis transitu potitos esse hostes audivissent, navibus domum reductis [urbanisque rebus ordinatis] ea de cæteris consilia inierunt, ut post multas res præclare gestas in extremis periculis longe fuerint excellentiores. Nam, quum omnes socii animos desponderent, quum Peloponnenses muro isthmum intercluderent suæque salutis privatim rationem haberent, quum aliæ urbes a barbaris superatæ sub illis militarent, nisi forte aliqua ex minoribus per contemptum præterita esset, quum triremes mille ac ducentæ appellerent, terrestres vero copiæ innumerabiles in Atticam irruptura essent, nec ulla salutis spes ostenderetur, quum et destituti essent a sociis et spe omni frustrati, quamvis non illa tantum pericula effugere verum eximios etiam honores consequi liceret, quos eis rex offerebat, existimans se nostræ urbis classe adjuncta mox etiam Peloponnesi potiturum, ejus munera repudiarunt, nec ira concitati adversus Græcos a quibus deserti essent cupide pacificationem barbaricam arripuerunt, sed tum ipsi ad bel-

lum pro libertate gerendum sunt accincti, tum aliis qui servituti se tradiderant ignoverunt. Humilibus enim oppidis quavis conditione salutem esse quærendam, urbibus autem quæ Græciæ principatum sibi vendicarent nullo modo pericula esse detrectanda, putabant; sed ut viris fortibus optabilius est honeste mortem oppetere quam vivere turpiter, sic etiam primariis urbibus expedire magis ex hominum memoria prorsus deleri quam servitute oppressas conspici. Atque his eos animis fuisse perspicuum est: quum enim fieri non posset ut contra utrasque copias simul exercitum instruerent, assumpta omni oppidana multitudine in vicinam insulam trajecerunt, ut per vices cum alteris copiis [et non simul contra ambos exercitus] Martis aleam experirentur.

27. Enimvero viri præstantiores illis aut Græcorum amantiores ostendi qui possint, qui, ne servitutis causa Græcis essent, et urbem desolatam et agros vastatos et sacra direpta et templa incensa, universi denique belli molem in patriam suam conversam, intueri non recusarunt? ac ne his quidem contenti, contra naves mille et ducentas soli pugnare aggressi, non tamen etiam siti fuerunt: Peloponnenses enim eorum virtute pudefacti, et, si nostri periissent, ne se quidem fore incolumes, sin vicissent, suas urbes in ignominia fore cogitantes, adire periculorum societatem sunt coacti. Ac tumultus qui in ea re inciderunt et clamores et cohortationes, quæ communia sunt omnium bellorum navalium, non video quorsum attineat commemorare: quæ autem hujus loci propria sunt et digna principatu et supra dictis consentanea, ea demum est mei officii dicere. Tantum enim nostra urbs, dum incolumis esset, cæteris antecelluit, ut eversa etiam plures triremes ad id prælium in quo Græciæ salus agebatur contulerit quam cæteri omnes qui pugnæ illi interfuerunt, neque vero quisquam animos adeo a nobis habet alienos, quin fateatur id navale prælium victoriæ totius belli causam exstitisse, atque idipsum nostræ urbi acceptum esse referendum.

28. Enimvero quum bello petendi erunt barbari, quorum esse decet principatum? Non eorum qui bello superiore præclarissime se gesserunt, qui et privatim pericula pro aliis sæpe adierunt et primas in communibus discriminibus meruerunt? non eorum qui pro salute Græciæ patriam deseruerunt? non eorum qui et olim plurimas urbes condiderunt et easdem maximis e calamitatibus denuo eripuerunt? An vero non iniquissime nobiscum ageretur qui maximam partem malorum exantlavimus, si in judicio dignitatis minus honoris consequeremur? si, qui tum pro salute omnium in acie prima stetimus, nunc alios sequi cogeremur?

29. Hactenus equidem scio constare inter omnes nostram urbem et plurima in Græciam beneficia contulisse et deberi illi principatum: post hæc autem sunt qui nos accusent, ut qui suscepto maris imperio multis cladibus Græcos affecerimus, et inter alia crimina

Meliorum nobis excidium et Scionæorum interitum objiciant. Ego vero nullum hoc male gesti principatus signum esse puto, si acrius in aliquos eorum qui bello nos petierunt animadverterimus, sed illud longe majus esse argumentum nos sociorum saluti et commodis consuluisse, quod nulla urbs conjuncta nobiscum in tales clades incidit. Deinde, si qui alii in iisdem negotiis majore clementia essent usi, jure nos vituperarent: si vero nec hoc factum est, et fieri nequit ut tanta urbium multitudo sine animadversionis severitate in officio contineatur, nonne protinus laudandi sumus, qui male tractatis quam paucissimis imperium quam diutissime tenuerimus?

30. Ego vero omnium judicio eos Græcorum patronos fore optimos existimo, quibus qui paruerunt maxime floruerunt. At nobis principibus et privatarum familiarum felicitatem plurimum auctam et urbes maximas esse factas inveniemus. Nec enim earum incrementis invidebamus, neque turbas in iis excitabamus contrariis reipublicæ formis introductis, ut factionibus inter cives ortis utrique nos colerent, sed concordiam sociorum ex æquo prodesse omnibus existimantes, iisdem legibus urbes omnes administrabamus, ea consilia secuti non quæ dominationem sed quæ societatem decerent; nam summam quidem rerum penes nos esse voluimus, seorsim vero libertatem singulis concessimus, et multitudinem tutati dominationibus adversati sumus, quod iniquum nobis videbatur multos paucorum imperio regi, et eos, qui re quidem tenuiore cætera vero nihilo deteriores essent, magistratibus et honoribus excludi, præterea, quum patria sit communis, alios regnum obtinere, alios inquilinorum esse loco, et natura cives reipublicæ functionibus lege privari. Hæc quum in paucorum dominatu reprehendenda haberemus et plura his, eandem reipub. formam qua nos utebamur etiam apud alios constituimus, quæ cur prolixius laudanda sit equidem non video, præsertim quum res paucis absolvi possit. Hac enim per annos septuaginta usi, expertes tyrannidum, inviolati a barbaris, sine seditionibus inter nos ipsos, denique pacate cum hominibus universis, vixerunt.

31. Pro quibus meritis æquius fuerit a prudentibus magnam gratiam haberi nobis quam colonos sorte delectos atque in alias terras ablegatos objici, quos in urbes desertas præsidii causa non ex avaritia misimus. Quarum rerum illud signum est, quod quum agrum haberemus si civium multitudo spectetur angustissimum, imperium vero amplissimum, et triremes duplo plures quam reliqui universi possideremus, et eas quidem quæ cum bis totidem dimicare possent, cumque Eubœa infra Atticam sita esset, quæ ingenio loci ad maris imperium aptissima cæteris commoditatibus omnes reliquas insulas superaret, quamvis ea in nostra potestate magis esset quam noster ager, atque etiam sciremus et a Græcis cæteris et barbaris eos in primis magni

fieri qui pulsis finitimis copiosam et facilem sibi vivendi rationem constituerunt, nulla tamen harum rerum sumus ad insulares violandos impulsi, sed soli ex iis qui magna potentia præditi sunt tenuius vivere non recusavimus quam hi qui servire scilicet dicebantur. Enimvero si nostri emolumenti rationem duxissemus, non utique Scionæorum agrum appetiissemus, quem nos profugis Platæensibus tradidisse constat, tantam autem regionem, quæ nos omnes ditasset, neglexissemus.

32. Et, quum ita nos gesserimus ac abstinentiam nostram tantis veluti pignoribus confirmaverimus, illi tamen accusare nos audent qui in decurionum numero fuerunt, qui patriam suam afflixerunt, qui ut veterum injuriæ parvæ viderentur effecerunt, qui denique nihil iis reliqui fecerunt, qui in posterum studiosi erunt improbitatis; profitentur illi qui quidem se studere Laconibus atque illorum instituta æmulari, sed diversam ab illis rationem sequuntur, ac Meliorum calamitates deplorant, quum suos ipsi cives inexpiabili scelere violare non dubitarint. Quam enim injuriam prætermiserunt? a quo turpitudinis et sævitiæ genere sibi temperarunt? non iniquissimos pro fidelissimis habuerunt, et proditores ut beneficos coluerunt? non mancipiis quibusdam servire voluerunt, quo patriæ suæ liceret insultare? non eos qui se nefariis civium cædibus contaminarant, magis quam parentes suos honorarunt? non in eam nos omnes crudelitatem impulerunt, ut, quum felici superiorum temporum statu, nostrum unusquisque vel in parvis incommodis multos haberet qui vicem ipsius dolerent, istis imperantibus domesticis oppressi malis aliorum alii misereri destiterimus? neque enim cuiquam tantum otii reliquerunt, ut alienis malis afficeretur. Nam quis eorum effugere potuit violentiam? quis a publicis functionibus adeo remotus fuit, quin vicinus esse calamitatibus, in quas ista nos conjecerunt ingenia, cogeretur? Neque porro pudet eos, quum suas urbes tam crudeliter tractarint, immerito nostram accusare, sed præter alia et privata et publica judicia apud nos facta proferre audent, quum ipsi tribus mensibus indicta causa plures interfecerint quam nostra urbs totius imperii tempore in judicium adduxit? Exsilia porro et seditiones et legum confusiones et rerum publicarum mutationes, stupra præterea liberum et probra uxorum et direptiones pecuniarum, quis possit enumerare? Illud certe quidem in universum habeo dicere, imperii nostri severitatem facile uno senatusconsulto averti, cædes autem et injurias sub istis perpetratas a nemine potuisse sanari.

33. Jam ne pax ista quidem, et libertas quæ, quum in urbibus nulla sit, fœderibus inscripta habetur, amplectenda magis est quam noster principatus. Quis enim talem statum expetat, quo et piratæ mare tenent, et parmati urbes occupant? quo non modo pro imperii

defensione cum exteris non confligitur, sed intra ipsa mœnia cives inter sese prœliantur? quo plures urbes captæ sunt quam ante pacem constitutam? quo propter mutationum frequentiam ii qui urbes tenent rebus suis diffidunt magis quam qui exsiliis sunt multati? Nam illi quidem impendentia mala formidant, hi restitutionem semper exspectant. A libertate vero et suis legibus tantum absunt, ut aliæ tyrannis pareant, aliæ a Laconicis præfectis teneantur, aliæ funditus eversæ, aliæ a barbaris oppressæ jaceant: quos in Europam trajicere ausos et animis ultra quam par erat elatos ita nos compescuimus, ut non tantum nullas contra nos expeditiones susciperent, sed suos etiam agros vastari paterentur, et eos, qui mille ducentis navibus Græciam circumnavigarant, ad eam humilitatem redegimus, ut intra Phaselidem longa nave non appellerent, sed quiescerent et occasiones exspectarent, neque potentiæ suæ confiderent. Atque hæc ob majorum nostrorum virtutem ita se habuisse, urbis nostræ calamitates perspicue docuerunt: simul enim et nobis principatus est ereptus et calamitatum principium Græcis est exortum. Nam post cladem Hellespontiacam aliis imperium adeptis barbari et navali prœlio vicerunt, et maris imperium tenuerunt, et plerasque insulas occuparunt, et excensum in Laconiam fecerunt, et Cythera vi expugnarunt, et universam Peloponnesum classe circumvecti afflixerunt.

34. Magnitudo autem mutationis illius ita maxime perspicietur, si fœdera, tum ea quæ nobis imperantibus facta tum quæ nunc in literas relata sunt, legantur. Nos enim tunc et fines designasse imperii regis et tributa quædam ordinasse et maris eum usu prohibuisse constabit: nunc ille is est qui Græciam gubernet, qui quid singulis faciendum sit imperet, et tantum non præfectos in urbibus constituat. Quid enim reliqui est uno hoc excepto? Non et bellum in potestate habuit, et pacis interpres fuit, et rerum quæ geruntur omnium factus est moderator? non ad eum tanquam ad dominum navigamus, alii alios accusaturi? non eum quasi bello capti Regem Magnum appellamus? annon in bellis inter nos intestinis spem salutis in eo, qui nos utrosque internecione deletos vellet, collocamus? Æquum igitur fuerit his rebus consideratis tum hunc rerum statum iniquis ferri animis, tum nostram imperandi rationem desiderari, tum Lacedæmoniis succenseri, qui, quum initio bellum suscepissent quasi Græcos liberaturi, ad extremum tam multos eorum barbaris dediderunt, et Iones colonos nostros sæpeque a nobis conservatos a nostra urbe abstractos barbaris subjecerunt, quibus invitis et regionem suam tenent et contra quos belligerari nunquam destiterunt. Ac tum quidem indignabantur, quum nos legitimum in quosdam imperium usurparemus: nunc vero illos tali servitute oppressos nihil curant; nec enim hoc mali satis est, quod et tributa

pendunt et arces suas ab hostibus occupatas vident, sed præter publicas calamitates suis etiam corporibus quam apud nos ære empta mancipia tolerant atrociora: nostrum enim nemo famulos suos ita flagellat, ut in homines ingenuos illi animadvertunt. Illud autem summum malum est, quum ad hanc ipsam servitutem stabiliendam una militare, et contra eos arma ferre coguntur a quibus in libertatem asseruntur, eaque pericula subire, in quibus et si vincantur statim sint perituri, et si vicerint durius in posterum servituri.

35. Quæ quibus imputanda sunt nisi Lacedæmoniis? qui tanta præditi potentia non moventur sociorum dudum suorum calamitatibus, Græcorumque viribus imperium suum firmare barbarum patiuntur. Ac olim quidem illi et tyrannos ejiciebant et libertatem defendebant, nunc autem usque adeo mutati sunt, ut cum rebuspublicis bella gerant, monarchiis constituendis sint adjutores. Mantinensium certe urbem pace jam facta everterunt, Cadmeam Thebanorum occuparunt, etiam Olynthios et Phliasios bello cingunt, Amyntæ autem Macedonum regi et Dionysio Siciliæ tyranno et barbaro Asiæ dominanti navant operam, ut illi quam maxima imperia consequantur. Quid vero absurdius est quam Græciæ præsides uni viro tot hominum, quorum inire numerum haud facile sit, tradere dominatum, maximas autem urbes ne sui quidem juris esse pati, sed vel cogere servire vel maximis afficere cladibus? Jam illud omnium acerbissimum est eos, qui principatum sibi vendicant, tantum non singulis diebus bella inferre Græcis, cum barbaris autem æternam societatem coiisse.

36. Neque vero me quisquam iratum putet, quod asperius horum feci mentionem, initio præfatus me de reconciliatione acturum esse: nec enim hæc eo pertinent, ut apud alios Lacedæmoniorum urbem in odium adducam, sed ut, quantum oratione consequi licet, ab isto instituto abducam. Fieri autem nequit ut a peccando deterreas et ad alias cogitationes impellas, nisi præsentes acriter objurgaris: nam accusare putandi sunt qui lædendi causa talia dicunt, admonere qui propter audientium utilitatem convitia faciunt. Nec enim de eadem oratione sentiendum est idem, si animo non eodem dicatur. Nam illud etiam eis objicere possumus, quod finitimos suæ civitati servire cogunt, sociorum autem reipublicæ nihil ejusmodi conferunt, cum per eos ut liceat controversiis nostris abolitis barbari universi totius Græciæ servi efficiantur. Enimvero decet eos, qui natura et non fortuna magnis animis sunt, hujusmodi facinora suscipere potius quam exactionibus vexare insulares, quorum misereri erat æquius, nempe quos videant agri penuria coactos montes excolere, quum Asiani ob regionis amplitudinem maximam partem incultam negligant, ex illa autem quam colunt tantis affluant divitiis.

37. Equidem si qui aliunde profecti harum rerum spectatores

essent, ab iis utrosque nostrum maximæ insaniæ reos actum iri arbitror, qui ob res adeo minutas periculose dimicemus, quum secure tenere multa possemus, et nostrum agrum ipsi populemur, Asia qua frui liceret neglecta. Regi certe Persarum nihil perinde curæ est atque illud, quonam pacto efficiat ut intestinis bellis inter nos conflictari nunquam desinamus; nos vero tantum abest ut ullas ejus res conturbemus aut seditionem in regno illius excitemus, ut etiam fortuito coortos tumultus consopire studeamus, qui exercituum Cypriorum altero eum uti alterum obsidere sinamus, quum uterque sit e Græcia collectus. Nam et qui defecerunt amicitia nobiscum sunt conjuncti et fidei Lacedæmoniorum se committunt, et Tiribazi milites et præstantissimi quique peditum ex his locis illuc venerunt, et classis maxima pars ex Ionia secuta est, qui quidem conjunctis viribus Asiam vastare longe mallent quam inter sese ob res exiguas belligerari. Quorum nos nullam rationem habemus, sed dum de Cycladibus insulis rixamur, adeo temere barbaro tantam urbium multitudinem tradidimus et tam ingentes exercitus. Itaque ille alia tenet, aliis imminet, aliis insidiatur, nobis omnibus jure contemptis. Id enim assecutus est quod majorum ejus nemo unquam: nam et nos et Lacedæmonii Asiam regis esse confessi sumus, qui quidem Græcas urbes sic in potestatem suscepit, ut alias demoliatur, in aliis arces exstruat. Atque hæc omnia facta sunt nostra amentia, non ejus potentia.

38. Etsi autem quidam regiarum opum magnitudinem admirantur, et bellum cum eo fore difficillimum dictitant, atque recensent quantas inter Græcos mutationes effecerit. Ego tamen istos non tam expedire quam accelerare expeditionem arbitror: nam si nobis omnibus consentientibus ipse turbis agitatus non facile oppugnari poterit, illud haud dubie tempus valde metuendum erit, quum res barbarorum pacatæ concordesque ipsi fuerint, nos vero uti nunc hostilibus inter nos animis fuerimus. Etsi autem meam illi sententiam confirmant: tamen ne sic quidem recte illius potentiam æstimant. Nam si demonstrarent eum antehac aliquando urbem simul utramque superasse, non injuria nunc etiam terrere nos conarentur: si vero nunquam id factum est, sed, dum nos et Lacedæmonii digladiamur, cum alterutris conjunctus opes eorum florentiores reddidit, nullum hoc signum est potentiæ illius. Sæpe enim hujusmodi temporibus exiguæ vires multum momenti habuerunt: nam et de Chiis possim dicere, cum utris illi fecerint eos in mari fuisse potentiores.

39. Verum non ex eo spectandæ regis opes sunt, quando cum alterutris se conjunxit, sed inde quum ipse per se bellum gessit. Ac primum Ægyptus quum defecisset, quid contra illos effecit qui eam tenebant? Annon bellum maximæ inter Persas auctoritatis viris, Abrocomæ et Tithraustæ et Pharnabazo, mandavit? Hi vero bello

in tertium annum ducto, pluribus cladibus acceptis quam illatis, adeo turpiter discesserunt, ut qui defecerant non jam contenti libertate finitimos etiam invaderent? Post hæc bello contra Evagoram moto, unius urbis [Cypriæ] dominum et in fœdere deditum, qui quum insulam incolat et mari prius cladem acceperit et pro suæ regionis defensione tria millia cetratorum duntaxat habeat, tamen copias adeo tenues rex bello superare nequit, sed et jam in eo sex annos contrivit, et, si conjectura futurorum e præteritis capi debet, sperandum est fore ut alius quispiam prius deficiat quam hic in deditionem redigatur: adeo lente ac segniter actiones regis procedere solent. In bello autem ad Rhodum gesto, quum Lacedœmoniorum socios ob gubernationum sævitiam bene cupientes haberet nostrisque remigiis uteretur, Conone illi ducente exercitum, omnium imperatorum et diligentissimo et fidelissimo Græcis et peritissimo rei militaris, quanquam talem nactus adjutorem, tamen classem pro Asianis periclitantem tantum a centum triremibus triennio passus est obsideri et XV mensium stipendio militem fraudavit; itaque quod ad illum quidem attinebat sæpe dilapsi fuissent, sed propter imminens periculum et societatem ad Corinthum constitutam vix tandem navali prælio vicerunt. Hæc sunt ejus maxime regia splendidissimaque facinora, quæ jactare verbis nunquam desistunt amplificandæ barbaricæ potentiæ studiosi.

40. Itaque nemo dicere potest me non iis exemplis uti quibus deceat, aut parvis commemorandis immorari maximis rebus prætermissis: nam, quo crimen hoc declinarem, clarissima ejus facta recensui, non quin illa etiam meminissem, Dercyllidam mille armatis Æolidem occupasse, Draconem Atarneo capto et tribus millibus cetratorum collectis Mysium campum vastasse, Thibronem paulo pluribus trajectis totam Lydiam esse populatum, Agesilaum Cyri usum exercitu provinciis prope omnibus quæ intra Halym amnem sitæ sunt esse potitum. Neque vero vel exercitus qui regi perpetuo præsto est, vel fortitudo Persarum extimescenda est: nam, qui cum Cyro in Persiam adscenderunt, nihilo præstantiores eos esse quam maris accolas aperte ostenderunt. Ut enim cætera prælia quibus victi sunt præteream, et eos in dissensione contra fratrem regis strenue pugnare noluisse concedam: at Cyro mortuo quum omnes qui Asiam incolunt convenissent, illis temporibus bellum adeo turpiter gesserunt, ut nihil quod dicant iis reliqui fecerint qui Persarum fortitudinem prædicare consueverunt. Quum enim in sex millia Græcorum incidissent, qui quidem non ex optimis delecti, sed homines ita perditi fuerunt ut in suis civitatibus vivere non possent, ignari regionis, destituti a sociis, a comitibus proditi, duce quem secuti fuerant amisso, tanto tamen his inferiores fuerunt, ut rex animi dubius quid agendum esset, suis copiis contemptis, principes

auxiliares contra fidem datam comprehendere non dubitaret, tanquam violata jurisjurandi religione conturbaturus exercitum, et in deos impius esse mallet quam aperto Marte cum eis dimicare. Quum autem hæ insidiæ non processissent conatusque is fuisset irritus, et milites ea calamitate non consternati una mansissent, in eos abeuntes Tisaphernem cum equitibus immisit, a quibus in toto itinere insidiis appetiti perinde perrexerunt ac si officii causa deducerentur, nihil ita metuentes ut loca deserta, idque summum bonum existimantes, si in hostes quam confertissimos incidissent. Illud autem caput est eorum quæ diximus, quod, quum neque prædas abegissent neque villam occupassent, sed infestis armis ipsum regem petiissent, minore cum periculo descenderunt quam qui expetendæ Persarum amicitiæ causa legationes obierunt. Itaque mihi videntur ubique terrarum perspicue mollitiem suam demonstrasse: nam et in maritimis Asiæ locis multis præliis victi sunt, et in Europam transgressi pœnas dederunt — alii enim eorum male perierunt, alii turpiter evaserunt —, denique ad ipsam regiam se deridendos præbuerunt.

41. Neque horum quicquam temere factum est, sed omnia jure meritoque evenerunt: nec enim fieri potest ut, qui sic educantur et ad hunc modum res suas administrant, vel ulla virtute præditi sint vel devictis hostibus triumphent. Quo enim pacto inter eos his moribus vel egregius imperator vel miles strenuus possit exsistere? quorum pars maxima est turba incomposita et militiæ rudis, ut bello gerendo dissoluta, sic ad servitutem famulis nostris melius erudita; celeberrimi autem et honoratissimi quique eorum nunquam æquabiliter aut populariter civiliterve vixerunt, sed omnem ætatem ita exegerunt ut aliis insultarent aliis inservirent, quippe homines corruptissimis ingeniis, ac corpora illi quidem propter divitias exornant, animis autem propter monarchiam humilibus et consternatis præditi trepidant, ut qui ad ipsam regiam præstolentur et procumbant et omnibus modis abjecto esse animo meditentur, quum quidem hominem mortalem adorent et deum appellent, deos autem magis quam homines contemnant. Proinde isti qui ad mare descendunt, quos satrapas vocant, non dedecori sunt Persicæ disciplinæ, sed eadem tenent instituta, amicis fidem non servantes, contra inimicos effœminati, partim abjecte partim superbe viventes, quum socios despiciant, hostes colunt. Agesilai certe quidem exercitum suis sumptibus octo menses aluerunt, qui vero pro eis in acie steterant, eos bis totidem mensium stipendio fraudarunt; ac iis quidem qui Cisthenen occuparant centum talenta sunt largiti, eos autem qui cum ipsis in Cypro militarant contumeliosius quam captivos tractarunt. Et ut in pauca rem conferam neque singula consecter, sed in genere dicam, quis aut bellum cum eis gessit quin locupletatus recesserit, aut in eorum potestatem cecidit quin per cruciatum in-

terierit? Nonne Cononem, qui quum pro Asia duceret exercitum Lacedæmoniis imperium eripuerat, comprehensum interficere sunt ausi? Themistoclem vero, qui pro Græciæ defensione prælio navali eos vicerat, ingentibus præmiis affecerunt? Quis igitur illorum amicitiam expetendam ducat, qui et bene meritos suppliciis coercent, et hostibus tam insigniter adulantur? Quos vero nostrum non violant? Quo tempore insidiari Græcis destiterunt? Quid rerum omnium habemus, in quod isti non animo sint hostili, qui et simulacra deorum immortalium et templa spoliare priore bello et comburere non dubitarunt? Quare laudandi sunt Iones, quod diris eos exsecrationibus devoverunt, qui templa cremata turbarent aut in iisdem fundamentis exædificarent, non quod deesset unde ea reficerent, sed ut monumenta posteris essent barbarorum impietatis, et nemo fidem iis haberet qui ad eum modum in sacra deorum immortalium grassari non dubitassent, sed eos et caverent et formidarent omnes, quos non tantum corporibus nostris cernerent sed etiam religioni bellum intulisse.

42. Possum et de civibus nostris talia referre. Nam cum cæteris contra quos bella gesserunt simulac in gratiam reditum est, inimicitiarum veterum obliviscuntur, Asianis autem ne pro acceptis quidem beneficiis gratiam habent: adeo immortalem in eos iram gerunt. Nam et patres nostri multos capitis damnarunt quod Medis studere viderentur, et in conciliis etiam hodie, antequam publice quicquam aliud decernatur, si quis civium Persarum pacem aut amicitiam expetat, eum devotionibus obstringunt: Eumolpidæ autem et Ceryces in festo initiorum, cæteris quoque barbaris horum odio, tanquam homicidis, sacra interdicunt. Natura porro sic eos odimus, ut nullis fabulis perinde gaudeamus ac Trojanis et Persicis, e quibus clades eorum cognoscere liceat. Illud etiam reperias de bellis barbaricis hymnos, de Græcis nœnias exstitisse nobis, ac illos quidem in festis cani, harum autem in calamitatibus nos meminisse. Atque etiam Homeri poesin propterea in majore esse pretio arbitror, quod eos qui barbaros oppugnarunt præclaris laudibus extulit, nostrosque majores artem ejus propterea honoratam esse voluisse tum in certaminibus musicis tum in educatione puerorum, ut sæpe carmina illa audientes inimicitias quæ nobis cum barbaris intercederent ediscerenus, et virtutem nostrorum qui ad Trojam militarunt admirantes, eorundem facinorum gloriam adamaremus.

43. Itaque mihi quidem nimis esse multa videntur quæ nos incitent ad bellum eis inferendum, in primis autem occasio, quæ [tam præclara quum sit] non est amittenda: etenim turpe fuerit, ea dum adest non uti, elapsam desiderare. Quid enim regi bellum illaturi optabimus amplius, quam ea quæ nunc suppetunt? Non Ægyptus et Cyprus ab eo defecerunt? Non Phœnicia et Syria bello vastatæ

sunt? Non Tyrus, quæ animos illi fecit, ab hostibus ejus occupata est? Non Ciliciæ civitates plerasque hi tenent qui nobiscum faciunt, reliquæ facile subigentur? Lycia vero Persarum nemo unquam potitus est. Jam Hecatomnus Cariæ præses revera jam olim defecit; sed id præ se feret ubi nos voluerimus. A Cnido Sinopem usque Græci Asiam accolunt, quibus non persuadendum sed obstandum non est ut bellum gerant. Quum igitur tantas opportunitates habeamus, tantumque bellum Asiam circumdaturum sit, quorsum attinet eventura quæ sint exquirere accuratius? Qui enim a parvis partibus vincuntur, ii evidenti sunt fato, siquando totius Græciæ vires sustinuerint. Res autem ita se habet. Si quidem barbarus maritimas civitates firmaret, majoribus quam nunc præsidiis impositis, fortassis etiam insulæ Asiæ vicinæ, ut Rhodus et Chius et Samus, ad illius fortunas inclinarent: si vero nos priores eas occupaverimus, etiam Lydos et Phryges et cæteros qui supra illos incolunt, in eorum potestate fore probabile est qui hinc bellum moverint. Quare festinandum est et nulla mora interponenda, ne idem quod nostris patribus nobis accidat. Qui, quum barbaris segniores quosdam e sociis deseruissent, pauci cum multis pugnare sunt coacti, quum, si priores in Asiam trajecissent, totius Græciæ viribus singulas gentes per vices subigere licuisset. Nam, quum bello petendi sunt homines qui multis e locis colliguntur, res ipsa declarat non exspectandum esse dum convenerint, sed dispersos adhuc esse invadendos. Illi igitur, quum in hoc principio peccassent, omnia hæc correxere periculosissimis præliis commissis. Nos autem, si sapimus, statim initio cavebimus operamque dabimus ut exercitu circa Lydiam et Ioniam collocato antevertamus, edocti quod rex vel Asianis imperet non volentibus, sed quia semper majores copias secum habeat quam singuli illorum: quibus si nos robustiorem exercitum trajecerimus, id quod velimus modo facile fiet, secure universa Asia fruemur. Multo autem præclarius est cum illo de regno pugnare, quam inter nosmetipsos contendere de principatu.

44. Æquum et illud est, expeditionem hac suscipi ætate, ut qui calamitatum socii fuerunt, iidem rerum secundarum etiam fructum capiant neque omnem ætatem in miseriis exigant. Satis enim longum fuit superius tempus, quo quæ acerbitates non acciderunt? Quum enim natura humana per se multis malis obnoxia sit, nos ipsi plura etiam necessariis excogitavimus, bellis et seditionibus inter nos excitatis, unde alii in suis urbibus per injuriam occiduntur, alii peregre cum uxoribus et liberis oberrant, multi apud hostes stipendia facere inopia coacti, dum contra amicos pugnant, pro inimicis mortem oppetunt. Hæc nemini unquam indignationem moverunt: calamitates quidem a poetis conflictæ lacrymas eis excutiunt, sed vera mala multa et peracerba quæ bellum peperit intuentes adeo misericordia non

commoventur, ut alii aliorum malis plus gaudeant quam suis bonis. Fortassis autem simplicitatem meam deridebunt multi, qui calamitates hominum his temporibus deplorem, quibus et Italia devastata est, et Sicilia servitute oppressa, et tot urbes concessæ barbaris, cæteræque Græciæ partes in maximis periculis versantur.

45. Ego vero miror quomodo principes civitatum sibi superbiendum censeant, si nihil unquam tantis de rebus neque dicere neque cogitare potuerunt. Decuerat eos, si qua florent auctoritate ea digni essent, relictis rebus omnibus consilii de bello barbaris inferendo se duces auctoresque profiteri. Fortassis enim aliquid profecissent: et, ut prius diem suum obirent, at orationes suas posteris tanquam oracula relinquerent. Nunc isti, quorum summa est auctoritas, minuta quædam tractant, nobis autem, qui negotia reipublicæ non attingimus, rerum tantarum deliberationem reliquerunt. Enimuero quanto pusilliores animi sunt principum nostrorum, tanto accuratius aliis providendum est qua ratione has inimicitias deponamus. Nam nunc quidem frustra pactiones de pace fiunt: nec enim bella componimus sed differimus, et illud tempus exspectamus quo alios alii pessundare possimus.

46. Sunt autem repudiatis prorsus hujusmodi insidiis ea suscipienda, per quæ et nostras urbes securius teneamus et majore benevolentia conjungamur. Quibus de rebus simplex et facilis est oratio: nec enim firma pace fruemur, nisi communiter bellum barbaris intulerimus, neque Græci consentient, priusquam et auxilia propter eosdem et bella contra eosdem paraverimus. His autem perfectis, et egestate propulsata, quæ et societates dirimit et jura necessitudinum inimicitiis impetit et omnes homines bellis ac seditionibus involvit, fieri non poterit quin et in concordiam redigamur et vera omnes benevolentia conjungamur. Quibus de causis occupati hac una re esse debemus, ut primo quoque tempore bello hinc in Asiam translato hoc saltem boni ex intestinis bellis consequamur, ut rei militaris peritia hic parta contra barbaros nobis abutendum esse videatur.

47. At propter fœdus fortasse cunctandum est, et non festinandum neque temere bellum suscipiendum. Quidni vero? propter quod fœdus et civitates in libertatem assertæ regi gratiam habent, tanquam eo beneficio ab illo affectæ, et deditæ barbaris potissimum quidem Lacedæmonios accusant, sed tamen cæteros etiam qui pacis conditiones acceperunt, tanquam servire propter illos coactæ. Illudne fœdus ratum est habendum, quod talis opinio consecuta est, barbarum et Græciæ gerere curam et pacis esse custodem, nostrum vero quosdam exstitisse qui eam vexarent et infestarent? Jam illud maxime ridiculum est, quod in conditionibus eas religiosissime servamus quæ deterrimæ sunt. Nam quæ tum insulis tum urbibus

Europæis libertatem restituunt, jam olim abrogatæ sunt et frustra pilis inscriptæ: quæ vero et nobis dedecori sunt et multos e sociis barbaro dediderunt, eæ demum immotæ manent; illa omnes comprobamus quæ tollenda sunt nec unum diem toleranda, quum putanda sint jussa, non pactiones. Quis enim nescit eas esse pactiones, quum par et æquum jus utrisque tribuitur, jussa vero quum alteri præter jus et æquum deteriore sunt conditione? Quare legatos et hujus pacis interpretes jure culpamus, quod missi a Græcis fœdus pro barbaris fecerunt. Eos enim decuisset, seu visum fuisset singulis sua tenenda, sive etiam in bello captos jus habendum, sive ea retinenda esse quæ pacis tempore habuissemus, unum aliquid ex illis definisse ac jure in medium proposito sic in literas ea retulisse. Nunc urbi nostræ ac Lacedæmoniorum nihil honoris tribuerunt, barbarum autem totius Asiæ dominum constituerunt, quasi nos pro eo bellum gessissemus, aut Persarum imperium antiquum esset, nos recens in his urbibus consedissemus, et non illi nuper hoc honore potiti essent, nos autem ab omni ævo principatum Græciæ teneremus.

48. Arbitror autem, quam contumeliose nobiscum actum et quanto rex meliore conditione sit, sic fore dilucidius. Nam quum terra universa, quæ cœli circumflexu tegitur, in duas sit divisa partes, quarum hæc Europa, Asia illa dicitur, semissem accepit ex pacto, quasi non cum hominibus jungeret fœdus, sed cum Jove imperium partiretur. Et hæc coegit nos lapideis inscripta columnis in publicis templis consecrare, id quod multo pulcrius trophæum est quam ea quæ in præliis statuuntur: illa enim ob parva quædam opera et unum eventum, hæc vero de toto bello et contra totam Græciam ponuntur. Quapropter et irascendum est, et ineunda ratio aliqua ut et superioris temporis injurias ulciscamur et ne quid in posterum Græcia detrimenti capiat prospiciamus. Nam quum barbaris privatim servis utendum censeamus, tantam sociorum multitudinem per socordiam nostram illorum dominatu premi turpe fuerit: quum Trojani belli tempore majores nostri unius mulierculæ raptum ita vindicandum censuerint, ut finem belli ante non fecerint, quam urbs ejus a quo orta fuerat injuria everteretur; nos, quum tota Græcia violetur, de ultione publica non cogitabimus? præsertim quum ea perficere liceat quibus nec optari meliora possint. Solum enim hoc bellum paci præstat, spectaculo potius quam expeditioni simile, et utrisque utile, tam quietis amantibus quam belli appetentibus. Nam illi quidem secure frui suis opibus poterunt, hi magnas aliorum opes occupabunt.

49. Quod si quis in omnes partes verset animum, has actiones maxime nobis expedire deprehendet. Age vero, si nihil iniqui petas, sed ipsam tantum æquitatem spectes, quibus tandem bellum est

inferendum? Annon iis qui et olim Græciam afflixerunt et nunc insidiantur et hoc erga nos esse animo nunquam destiterunt? Quibus vero invidere par est homines non prorsus effœminatos, sed ea re moderate utentes? Nonne illis qui divina prope potentia præditi nequiores sunt hominibus apud nos calamitosis? Quibus vero bellum inferre debent viri et pietatis studiosi et suæ utilitatis haud negligentes? Nonne et natura hostibus et paternis inimicis, et iis qui maximas opes habent, quum ad eas defendendas minime sint parati? Atqui hæc in illos conveniunt omnia.

50. Præterea civitatibus deligendo ex eis milite non erimus molesti, quam rem in his intestinis bellis gravissime et iniquissimis animis patiuntur: multo enim (opinor) pauciores erunt qui manere velint quam qui expeditionis hujus comites esse cupiant. Quis enim sive juvenis sive senex ita ignavus est, ut ei militiæ interesse nolit, cujus duces sint Athenienses atque Lacedæmonii? quæ pro sociorum libertate suscipiatur? quæ consensu totius Græciæ mittatur? quæ ad ulciscendos barbaros proficiscatur? Quantam vero famam, quantam memoriam et gloriam censendum est aut viventes habituros aut post obitum relicturos esse eos qui in talibus operibus præ aliis præclare se gesserint? Quum enim ii, qui adversus Alexandrum militarunt, una urbe expugnata tantis laudibus celebrentur, quid iis fore credendum est qui totâ Asia potientur? Quis enim sive poeta sive orator non laborabit et meditabitur, ut simul et sui ingenii et virtutis illorum æternum relinquat monumentum?

51. Ego certe quidem non ita nunc sentio ut orationis initio. Tum enim me pro dignitate rerum posse dicere putabam: nunc vero magnitudinem earum non assequor, multaque mihi eorum quæ dicere institueram exciderunt. Vobis igitur ipsis reputandum est cum animis vestris, quantam felicitatem adipisci liceat, si bellum quod modo nos urget in Asianos converterimus, et Asianorum opes in Europam transtulerimus, neque vero his auditis duntaxat abeundum est, sed et qui in rebus gerendis versantur alii alios cohortando operam dabunt ut nostram et Lacedæmoniorum rempublicam reconcilient, et eloquentiæ studiosi scribere adversus depositum desinent cæterisque nugis omnibus omissis quibus nunc student in hoc argumento inter sese certabunt, operamque dabunt ut his de rebus melius quam ego dicant; satis enim intelligitur eos non decere ut magna professi parvis rebus occupentur, eave dicant per quæ ii quibus persuaserint nihilo futuri sint feliciores, sed in illis potius est elaborandum, quibus perfectis et ipsi inopia præsenti liberentur et de aliis præclare meriti esse videantur.

ISOCRATIS

AD PHILIPPUM

ORATIO.

ARGUMENTUM

AUCTORE IGNOTO.

Sciendum est, orationem hanc ab Isocrate ad Philippum scriptam esse post pacem illam ab Æschine et Demosthene factam: quare data ei est occasio ad Philippum ut amicum Atheniensis populi scribendi. Hortatur autem eum specie laudationis, ut, reconciliatis præcipuis Græciæ civitatibus quæ quasi civile bellum inter sese gerebant, expeditionem adversus Persas suscipiat. Hoc enim te facere decet, inquit, quum sis et ex Herculis familia oriundus et tanta potentia præditus. Ac Philippus quidem accepta lectaque oratione non paruit Isocratis consilio, sed rem distulit: post autem filius ejus Alexander eadem oratione lecta incitatus, bello Darium posteriorem qui Ochus dicebatur petiit. Nam verum ejus nomen Ochus fuit: sed Darii cognomentum a Persis per assentationem ei tribuebatur, quasi a majoribus id accepisset.

Deliberativi generis est oratio, ab Isocrate jam sene scripta paulo ante et ipsius et Philippi obitum, Hermippo auctore.

ALIUD ARGUMENTUM EJUSDEM ORATIONIS

EX DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quis vir magnus et justi exercitus imperator ea non magnifaciat quæ ad Philippum Macedonem scripsit? quum imperatoris præsertim tam potentis officium esse dicit urbes dissidentes reconciliare et non inter se collidere, et Græciam e parva magnam reddere, despectoque minutarum rerum studio ea facinora suscipere, quæ et si feliciter peregerit omnium ducum clarissimus futurus sit, et si impegerit saltem Græcorum benevolentiam sit consecuturus: cujus compotes longe lateque præclariores habeantur iis qui magnas urbes et multas provincias evertant. Præterea hortatur ut Herculis institutum ac cæterorum principum qui cum Græcis adversus barbaros militarunt imitetur. Eos enim qui præsteut reliquis suscipere debere magnas res easque strenue perficere, cogitantes nos, quum mortale corpus habeamus, fieri virtute immortales, ac eos qui aliorum bonorum insatiabili cupiditate teneantur invisos esse, contra honoris subinde augendi studiosos commendari; et quibus rebus plerique gaudeant, ut opibus, ut imperio, ut potentia, iis sæpenumero etiam hostes potiri, virtutis autem et popularis benevolentiæ domesticos cujusque hæredes esse. Omnino enim necesse est principes qui hæc legunt et majores animos concipere et vehementiore studio virtutis inflammari.

1. Ne mireris, Philippe, cur non ab ea oratione, quæ tibi recitabitur et nunc ostendetur, sed ab ea quæ scripta est de Amphipoli, dicendi capiam exordium. Hac de re pauca præfabor, ut et tibi

et aliis ostendam, me neque per amentiam neque hoc languore meo deceptum hæc scribere ad te instituisse, sed justis causis et paulatim fuisse adductum.

2. Nam quum bellum a te et civitate nostra de Amphipoli gestum multorum malorum esse causam viderem, et de urbe et regione ista non eodem modo quo aut amici tui aut nostri oratores solent dicere sum aggressus, sed sic ut quam longissime ab illorum opinione recederem. Nam illi quidem, dum vestris cupiditatibus subserviebant, oratione sua vos ad bellum incitabant: ego vero, de ipsis controversiis nihil pronuntians, id orationis genus eligebam quod ad pacem conciliandam aptissimum fore mihi videbatur, utrorumque errorem reprehendens, quod et tu bellum pro nostris commodis gereres, et nos potentiam tuam stabiliremus: nam agrum istum nos tenere tibi quidem esse utilem, nostræ autem urbi ejusdem recuperationem nullo modo expedire. Et hæc ita explicare videbar audientibus, ut nemo eorum orationem aut dictionem tanquam elaboratam et puram (ut solent quidam) laudarent, sed rerum veritatem omnes admirarentur, et hanc unam esse orationem constituendæ inter vos concordiæ putarent, si et tibi persuaderetur pluris esse Atheniensium amicitiam quam redditus Amphipolitanos, et nostra civitas intelligeret eas colonias fugiendas esse quæ colonos suos quater aut quinquies perdidissent, illaque potius quærenda esse loca quæ procul abessent ab iis qui imperare possent, vicina autem iis qui servire consuevissent, cujusmodi in locum Lacedæmonii Cyrenæos colonos miserunt: ad hæc, si tu animadverteres te, si nobis verbo istam regionem tradidisses, ipsum revera esse retenturum, atque etiam benevolentiam nostram tibi conciliaturum — tot enim nostræ amicitiæ obsides accepturum, quot in regnum tuum colonos mitteremus —, nostrum autem populum si quis doceret nobis, si Amphipolim teneremus, necesse fore non minus tuis consultum velle rebus ob cives nostros qui in tuo imperio consedissent, quam veteris illius Medoci propter eos qui in Chersoneso prædia habebant.

3. Quum igitur multa ejusmodi dicerentur, speravere quicunque audierant, edita hac oratione bellum vos composituros et periculosis consiliis abjectis de communi aliquo vestro bono deliberaturos. Sive igitur prudenter sive temere ita judicarint, id ipsis scilicet imputandum est: verum quum ego in hoc argumento versarer, vos prudenti omnino consilio pacem fecistis, priusquam oratio absolveretur; nam quocunque modo pacem esse præstabat, quam conflictari malis illis quæ bellum afferebat.

4. Quum autem decreto pacis delectarer, eamque non nobis solum sed et tibi et cæteris Græcis omnibus profuturam existimarem, facere non potui quin ea quæ restabant perlexerem, statimque cogitandum esse duxi qua ratione ea quæ transacta essent

rata haberentur, veritus ne nostra civitas post temporis exiguum spatium alia bella desideraret: quæ quum mecum ipse reputarem, nullo alio modo quieturam esse reperiebam, nisi maximæ civitates pace inter se facta bellum in Asiam transferendum, et emolumenta quæ nunc a Græcis extorquerent, e manubiis barbarorum petenda esse censerent; id quod et in panegyrica oratione consului.

5. Quæ quum animo agitarem, nec argumentum vel honestius vel magnificentius vel nobis omnibus utilius unquam ne excogitari quidem posse persuasum haberem, ad id de integro tractandum sum incitatus, et si rerum mearum nihil ignoro, et satis intelligo negotium hoc non meæ senectuti esse aptum, sed virum postulare florentis ætatis et aliis ingenio multum excellentem; atque illud etiam video quam difficile sit binas de eadem re tolerabiles habere orationes, præsertim si ea quæ prius edita est sic scripta sit, ut eam vel invidi nostri imitentur et magis admirentur quam ii qui summis laudibus extollunt. Verum ego omnibus hisce difficultatibus neglectis in senectute adeo sum factus acer, ut per ea quæ tibi dico meis etiam discipulis demonstrare planumque facere studuerim, conventibus ingerere sese et ad omnes eos qui ibi concurrunt verba facere perinde esse ac si nemini loquerentur; nam hujusmodi orationes non minus esse irritas quam leges et respub. a sophistis scriptas: oportere autem eos qui non frustra nugari sed aliquod operæpretium facere vellent, quique sibi aliquid utile reipublicæ reperisse viderentur, omissis celebritatibus eorum quæ facienda censerent, ducem atque auctorem aliquem ex iis eligere, qui et dicendo et rebus gerendis valerent, magnaque præditi auctoritate attente eos audituri essent.

6. Quibus ego perspectis tecum disserere constitui, nec ea delegi quæ auditu jucunda essent, — etsi me jucunda tibi posse dicere in primis vellem, tamen id mihi propositum non fuit. Nam alios quidem præstantes viros rebuspublicis et legibus subjectos videbam non audere facere quicquam nisi quod juberentur, neque etiam ulla ex parte pares esse magnitudini rerum de quibus dicendum est, tibi autem soli magnam potestatem a fortuna datam esse et legatos mittendi quo velles et excipiendi a quibus videretur et dicendi quod utile judicares, præterea tantas divitias et copias suppetere quantas in Græcia nemini, quæ res solæ persuadendi et cogendi vi sunt præditæ; hisque ad ea quæ dicenda sunt opus fore puto. Cohortaturus enim te sum, ut et concordiam inter Græcos constituas et bellum contra barbaros suscipias. Est autem persuadere quoad Græcos commodum, vi vero cogere quoad barbaros utile. Summa igitur totius orationis hæc est.

7. Sed quibus mihi rebus quidam familiarium molesti fuerint, indicare tibi non dubitabo: id enim fore puto operæpretium. Nam

quum me orationem ad te missurum esse illis narrassem, quæ non ad ostentationem comparata esset aut bellicas tuas laudes celebraret—id enim alios esse facturos—, sed qua te ad res convenientiores et pulcriores et utiliores iis ad quas nunc animum adjecisses exhortari conarer, usque adeo veriti sunt ne senio delirarem, ut, quod prius facere non consueverant, objurgare me auderent; quum dicerent me absurda et prorsus inepta moliri, qui Philippo suasionem missurus esses. Qui, ut hactenus ab ullo prudentia superari se censuisset, nunc ob successuum magnitudinem fieri non posse quin se prudentius aliis deliberare posse existimaret. Præterea Macedonum integerrimos quosque familiares illi esse, quos consentaneum esset, ut cæterarum rerum imperiti essent, quid ei expediret melius me intelligere. Ad hæc Græcorum etiam multos illic habitare, viros nec obscuros nec hebetes, quorum ille consiliis usus non minuisset imperium, sed ea gessisset quibus ne optari quidem meliora possent. Quid enim prætermisit? Nonne Thessalorum animos, qui pridem regnum Macedonicum affectarunt, ita sibi conciliavit, ut eorum nemo non plus ei quam suis civibus fidat? nonne urbium in vicinia illa, beneficiis alias ad societatem sibi devinxit, alias quæ se pertinacius opposuerant funditus evertit? non Magnetes et Perrhæbæos et Pæones subegit, et omnes in ditionem redegit? non maximæ partis Illyriorum, iis qui Adriam accolunt exceptis, victor ac dominus evasit? non universæ Thraciæ quos voluit dominos fecit? Talem igitur virum tantis rebus gestis non maxima stultitia occæcatum esse judicaturum illum censes qui libellum istum miserit, quod is et eloquentiæ vim et ipsius ingenium prorsus ignoret?

8. His ego auditis non dicam, neque ut primum perculsus fuerim, neque quum recepissem animum quid ad singula dicta responderim, ne quibus ipse mihi valde placere videar de urbana eorum confutatione: quum autem—ut mihi quidem persuadebam—eos qui me reprehendere ausi fuerant molestia mediocri affecissem, tandem pollicitus sum mē solis eis ex omnibus civibus orationem ostensurum, nec quicquam aliud de ea statuere velle nisi quod ipsis videretur. His illi auditis abierunt, quo animo nescio. Sed, non multis diebus post absoluta oratione et eis ostensa, ita mutati sunt, ut eos eorum quæ audacius dixerant puderet, et omnium quæ locuti fuerant pœniteret, utque faterentur se nulla unquam tanta in re ita fuisse deceptos, studerentque innixius quam ego ut mitteretur tibi hæc oratio; aiebant enim sperare se non te solum et rempublicam

nostram habituros mihi gratiam de his quæ dicta essent, sed et Græcos universos.

9. Hæc eo tibi commemoravi, ut si quid initio tibi aut non credibile aut non posse fieri aut tibi factu indecorum esse videbitur, non indignabundus abjicias reliqua, neque idem quod mei familiares facias, sed tranquillo animo judicium differas, dum ad finem usque rem omnem audieris. Arbitror enim aliquod me dicturum quod et opportunum sit et tibi expediat.

10. Neque vero me latet, quantum ad persuadendum intersit inter orationes quæ ab ipso oratore pronuntiantur et eas quæ recitantur, neque ignoro omnes existimare, illas de rebus gravibus et necessariis haberi, has autem ostentationis aut lucelli alicujus gratia scriptas esse. Ac in his quidem non stulte judicant: nam, si oratoris et auctoritate et voce et actionis varietate in eloquentiæ studiis usitata destituatur oratio, atque etiam occasionibus et studio gerendæ rei, nihilque sit quod vires augeat et ad persuadendum adjuvet, sed tum his omnibus careat tum vero inepte nulloque cum affectu ab aliquo recitetur qui verba quodammodo numeret, eam contemni ab auditoribus quis miretur? quæ res et hanc orationem quæ tibi nunc offertur maxime lædere poterunt atque efficere ut deterior esse videatur: neque enim compositionis aut reliquorum ornamentorum rationem habuimus, quæ et ipse dum essem junior usurpavi, et aliis demonstravi, ut in promptu haberent quibus rebus orationes suaviores et probabiliores simul redderentur. Quæ omnia huic ætati meæ desunt, cui id unum satis fuerit, si res ipsas simpliciter exponere potuero. Arbitror autem te quoque decere neglectis cæteris omnibus ad has solas animum intendere. Nam ita demum evidentissime et pulcherrime cognosces quod sit pondus nostræ orationis, si rhetoricas difficultates quæ legendis orationibus objiciuntur amoveris, et unumquodque singulatim animo complexus expenderis, non quidem obiter aut segniter, sed summo studio et cogitatione adhibita, quæ erudito homine (in quo te quoque numero esse ferunt) digna est. Quod si hac potius ratione usus fueris quam populari opinione, rectius de rebus omnibus statues. Ac quæ præfari apud te volui, hæc sunt.

11. Nunc ad res ipsas explicandas aggrediar. Sic igitur sentio, tibi tuarum quidem rerum nullam esse negligendam, sed in eo laborandum ut inter Argivos et Lacedæmonios et Thebanos et nostram civitatem pacem facias. Quas urbes si reconciliaris, non utique difficile erit etiam cæteras in concordiam reducere: omnes enim his obnoxiæ sunt, et ad aliquam harum quo casus tulerit, quum timent, confugiunt opemque inde petunt. Itaque si consiliis tuis quatuor duntaxat urbes ad sanam mentem revocaris, etiam reliquas multis malis liberabis.

12. Nullam autem harum tibi esse negligendam ita cognosces, si res gestas illarum ad tuos majores retuleris: in qualibet enim amicitiam erga vos singularem et magna beneficia exstare comperies. Nam et Argos patria tua est, nec minori cura tuendum quam parentes tui; et Thebani principem generis vestri supplicationibus et sacrificiis præter cæteros deos venerantur; et Lacedæmonii posteris ejus regnum et imperium in omne tempus dederunt: nostram autem civitatem illi quibus de memoria vetustatis credimus, Herculi immortalitatis—quod quomodo factum sit, tibi alias cognitu facile, mihi nunc commemoratu intempestivum est—, liberis autem ejus salutis, auctorem simul fuisse perhibent. Sola enim eos susceptis maximis periculis adversus Eurysthei potentiam defendit, et illius ferocia repressa metu semper imminente liberavit. Quibus de rebus non eos tantum qui tum servati sunt æquum erat nobis gratiam habere, sed etiam hos qui hodie supersunt: nostra enim opera vivunt et suis bonis fruuntur; nisi enim illi mansissent incolumes, hi prorsus ne nasci quidem potuissent.

13. Quum igitur hæ urbes ita se gesserint, par sane fuerat nullum tibi unquam cum ulla earum fuisse dissidium. Verum ita natura comparatum est, ut omnes sæpius peccemus quam officio fungamur. Quæ igitur antehac facta sunt fragilitati humanæ jure tribuuntur: in posterum vero prospiciendum est ne quid tale tibi usueniat, et in id incumbendum ut beneficium aliquod et te et illarum meritis dignum in eas conferas. Cujus rei jam datur occasio: nam dum gratiam pro acceptis beneficiis referes, ob tantum spatium temporis interjectum te conferre in se non reddere beneficium putabunt. Præclarum autem est te de maximis urbibus bene merentem tibi ipsi nihilo minus quam ipsis prodesse. Præterea, si quibus illarum ut nonnihil molestus esses accidit, ea omnia obliterabis: hujus enim temporis beneficia superiores offensas utrinque oblivione tegunt. Jam illud etiam notum est, omnes eorum beneficiorum quæ in calamitatibus acceperint maxime solere meminisse. Quibus autem malis propter bella conflictentur vides, et ut iis sint similes qui privatim inter se pugnant. Quos gliscente iracundia reconciliare queat nemo, sed ubi alteri alteros male mulctarint, nemine dirimente ultro discedunt. Id quod etiam has urbes credo facturas, nisi tu prius curam earum susceperis.

14. At enim forsitan refragari aliquis his quæ dicta sunt audeat, eaque me tibi suadere dicat quæ fieri non possint: neque enim Argivos unquam Lacedæmoniis amicos fore neque Lacedæmonios Thebanis, denique nunquam fore ut ii, qui omni tempore plus vendicare sibi consueverint, in pari æquoque jure acquiescant.

15. Ego vero, si nostra civitas in Græcia dominaretur aut Lacedæmonii, ne tentandum quidem tale quicquam in spe perficiendi

censeam; utraque enim hujusmodi conatus facile interturbaret: nunc, quum videam omnes urbes calamitatibus quasi exæquatas esse, aliter sentio; quare has civitates commoda concordiæ longe prælaturas superiorum actionum lucellis existimo.

16. Deinde a cæterorum mortalium nemine in concordiam eas posse reduci assentior, tibi autem nihil ejusmodi difficile est, quem multa perfecisse videam quæ aliis desperanda et admirabilia viderentur; quare mirum non erit, si tu solus etiam hæc potueris consequi. Magni autem et excellentis animi est non ea suscipere quæ præstare quivis e populo possit, sed illa quæ nemo alius cenari audeat nisi et ingenio tibi par et potentia.

17. Demiror equidem, si qui horum aliquid perfici posse negant, nec vel ipsi sciunt vel ex aliis audiverunt multa et atrocia bella exarsisse, quæ qui deposuerunt maximis ultro citroque se beneficiis affecerunt. Quicquamne ad magnitudinem odii Græcorum in Xerxem accedere potuisset? At hujus amicitia universi sciunt et nos et Lacedæmonios magis esse delectatos quam eorum qui utrisque nostrum constituendi imperii adjutores fuerant. Quorsum autem vetera illa et barbarica referre attinet? Nam si quis clades Græcorum intueatur et consideret, ne minima quidem pars eorum malorum esse videantur quæ Lacedæmonii nobis Thebanique attulerunt. Tamen quum Lacedæmonii contra Thebanos exercitum ducerunt ac Bœotiam vastare et urbes dissipare vellent, nos opem tulimus et compressimus eorum cupiditates: rursus, quum mutata fortuna Thebani et Peloponnenses omnes Spartam e medio tollere conniterentur, nos soli omnium Græcorum Lacedæmonios inita cum eis societate conservavimus. Vecordem igitur omnino eum esse necesse est qui, quum tantas mutationes fieri videat, et civitates neque inimicitiarum neque jurisjurandi neque ullius rei alterius rationem ducere nisi si quid sibi profuturum putent, idque solum amplecti in eoque adipiscendo et conservando nihil non facere, etiam nunc eodem animo eas fore non putabit, te præsertim auctore pacificationis, et utilitate alliciente, et malis istis adigentibus. Ego quidem harum rerum adjumento fretus omnia recte fore mihi persuadeo.

18. Puto autem te sic facile animadversurum, utrum istæ urbes mutuo vel paci vel bello paratæ sint, si neque simpliciter prorsus neque accurate nimis maxima quæque de hoc earum statu percensuerimus.

19. Ac primum res Lacedæmoniorum consideremus. Qui, quum non ita olim terra marique inter Græcos dominarentur, tantam mutationem post cladem Leuctricam acceptam experti sunt, ut et principatu Græciæ privarentur, et eos viros amitterent qui se potius mori præoptarunt quam vivere victos ab iis quibus imperarant. Ad hæc a Peloponnensibus omnibus, qui prius cum ipsis contra alios

militabant nunc Thebanis addicti sunt, agros suos incursari viderunt; cum quibus non in agro de frugibus, sed in media urbe ad ipsa prætoria de uxoribus et liberis, dimicare et tale discrimen subire coacti sunt, quo si impegissent mox funditus periissent, victoriam vero adepti malis nihilo quam ante minoribus conflictantur: nam et a finitimis bello infestantur, et Peloponnensibus omnibus suspecti et Græcis plerisque omnibus invisi sunt, et a suis servis noctu et interdiu direptionibus vexantur, denique nullo tempore non aut aliquos oppugnant aut prælia committunt aut suis pereuntibus opitulantur; et, quod malorum omnium maximum est, perpetuo timent ne a Thebanis pactione cum Phocensibus facta reversis majoribus cladibus quam antehac unquam afficiantur. Nonne autem consentaneum est eos cum quibus ita agitur libentissime visuros virum magna præditum auctoritate, et ita paratum ut bella eos urgentia depellere possit, qui se pacis auctorem profiteatur?

20. Argivos autem partem eadem qua Spartanos, partim etiam deteriore fortuna, uti videas: belligerantur enim ex quo urbem tenuerunt cum finitimis, ut et Lacedæmonii, sed illud interest, quod his cum imbecillioribus res est, illis cum potentioribus; quod omnes maximum malum esse fateantur. Bellum autem tam infeliciter gerunt, ut singulis fere annis agrum suum diripi vastarique patiantur. Et, quod acerbissimum est, a bellicis cladibus feriati nobilissimos et opulentissimos cives interficiunt, eaque re ita lætantur ut nulli alii cæsis hostibus. Tam perturbatæ autem vitæ nulla alia causa est nisi bellum; quo sopito, non his tantum calamitatibus eos liberabis, sed ut cæteris quoque rebus aliquanto rectius consulant efficies.

21. Thebanorum porro quæ ratio sit, ne te quidem præterit. Etenim pulcherrimam victoriam consecuti, et maximam inde gloriam adepti, successibus male utendo effecerunt ut nihilo cum eis melius agatur quam cum victis et adversam fortunam expertis. Quum primum enim hostes vicissent, neglectis rebus omnibus molesti fuerunt civitatibus Peloponnesi, et Thessaliæ servitutem afferre ausi et Megarensibus vicinis suis minitati sunt, et nostræ urbi agri partem eripuerunt, et Eubœam vastarunt, et Byzantium triremes ablegarunt, tanquam terra marique dominaturi. Postremo Phocensibus bellum intulerunt, ut et urbes brevi in potestatem redacturi, et locum illum circumquaque occupaturi, et privatis sumptibus Delphicas pecunias superaturi. Quorum nihil factum est: tantum enim abest ut Phocenses civitates ceperint ut suas ipsi perdiderint; quod si in hostilem agrum impressionem faciunt, non tot mala dant hostibus quot ipsi priusquam abeunt sustinent: nam in Phocide mercenarios aliquot milites, quibus mori magis expedit quam vivere, occidunt, recedentes autem nobilissimos cives et ad mortem pro patria oppetendam maxime paratos perdunt. Eoque res eorum

rediere, ut, quum se totius Græciæ potituros imperio sperarent, nunc spem salutis suæ in te colloeent. Quare hos etiam alacriter existimo quicquid jusseris et suaseris esse facturos.

22. Reliquum jam nobis esset de urbe nostra verba facere, ni sapienti consilio ante cæteras pacem fecisset. Nunc etiam adjutricem fore puto iis rebus quæ a te agentur, præsertim si perspicere potuerit hæc tibi curæ esse antequam expeditionem contra barbaros suscipias.

23. Ac fieri quidem posse ut urbes has in gratiam reducas, ex his quæ dicta sunt planum tibi fore existimo : facile autem isthæc eadem fieri per te posse, me tibi multis exemplis ostensurum arbitror. Nam si declaratum fuerit alios quosdam veterum non quidem pulcrioribus aut sanctioribus rebus animum adjecisse quam hæ sunt quarum nos tibi auctores sumus, sed majora tamen et perplexiora perfecisse, quid reliquum erit adversariis quominus te celerius faciliora quam illos difficiliora confecturum esse fateantur?

24. Alcibiadem in primis vide, qui, quum a nobis in exsilium actus alios ante se illa calamitate accepta trepidasse videret urbis magnitudine perterritos, non eodem animo fuit, sed vi reditum in patriam sibi patefaciendum esse ratus bellum adversus eam suscepit. Verum singula quæ tum facta sunt si quis dicere conari ausit, neque perspicue exponere potuerit, et in præsentia molestus fortasse fuerit: ita autem perturbatam reddidit non urbem modo nostram, sed et Lacedæmonios et cæteros Græcos, ut tum ea nobis acciderent quæ omnes norunt, tum alii tantis malis affligerentur ut ne nunc quidem obliteratæ sint in urbibus illius belli calamitates, tum Lacedæmonii qui eo tempore florere videbantur in hæc mala per Alcibiadem conjecti sint; quum enim maris imperium ejus impulsu concupissent, etiam terræ principatum amiserunt, quare qui dixerit tunc eis exstitisse malorum principium quum maris accepere principatum, mendacii non arguetur. Is igitur tantis motibus excitatis in urbem ab exsilio rediit, magnam ille quidem gloriam adeptus, non tamen probatus omnibus.

25. Non multis annis post Conon similia his perfecit. Quum enim navali bello circa Hellespontum non ejus sed collegarum culpa male pugnatum esset, redire domum erubuit, Cyprumque profectus ad tempus suarum rerum cura occupatus fuit; ubi, quum Agesilaum magnis copiis in Asiam trajectis agros populari sensisset, tanta fuit animi magnitudine, ut omni alia ope destitutus excepto corpore et ingenio sperarit se Lacedæmonios bello superaturum qui cæteris Græcis terra marique imperabant, et hæc missis ad regis duces literis se confecturum pollicebatur. Et quid pluribus opus est? Classe circa Rhodum coacta, et Lacedæmoniis navali prælio victor ademit imperium, et cæteros Græcos in libertatem asseruit; neque

vero mœnia patriæ solum erexit, sed et civitatem in eundem dignitatis locum unde exciderat restituit. Enimvero quis exspectasset a viro tam abjecto statum Græciæ mutandum esse, et ex Græcis urbibus alias depressum iri alias emersuras?

26. Jam Dionysius — volo enim multis exemplis adductis persuaderi tibi facilem esse rem ad quam te adhortor — quum unus e multis esset Syracusanorum et genere et gloria et omnibus aliis rebus, et monarchiam sine omni ratione perque furorem concupisset, quia tentare omnia quæ ad eam rem facerent audebat, Syracusas occupavit, et universas Siciliæ urbes quæ quidem Græcæ essent cepit, tantasque copias tum pedestres tum navales comparavit quantas vir nemo ante illum.

27. Præterea Cyrus — ut etiam barbarorum mentionem faciamus — a matre quidem abjectus in viam, a Persica vero muliere sublatus, tantas fortunæ vicissitudines subiit ut Asiæ totius dominatu potiretur.

28. Quum igitur Alcibiades exsul, Conon clade accepta, Dionysius obscurus, Cyrus ex tam miserabili nativitatis primordio, eo usque sint progressi tantasque res gesserint, tu his natalibus oriundus, et Macedoniæ rex, et tot hominum dominus, non facile hæc perficies?

29. Jam considera talia suscipere quam sit operæ pretium, quæ si ex sententia gesseris, non minorem quam celeberrimi quique gloriam consequeris; sin exspectationi eventus non responderit, saltem Græcorum benevolentiam contrahes, quam parasse gloriosius est quam multas Græcas urbes vi cepisse: nam istiusmodi res nec invidia carent nec odiis neque multis maledictis, cum eo autem consilio quod nos tibi damus nihil horum est conjunctum. Atque adeo si quis tibi deus optionem daret, quibus studiis et exercitationibus ætatem exigere velles, nullam aliam huic rationi, me quidem auctore, anteponeres. Neque enim alii tantum te mirabuntur, sed et tu ipse beatum te judicabis. Nam quid ad magnitudinem felicitatis illius queat accedere, si ex maximis urbibus spectatissimi quique viri legati in tuum regnum venerint, cum quibus ita tu de salute communi deliberes, ut ea præterea nemini tantæ fuisse curæ videatur? si Græciam senseris universam erectam atque alacrem a te duce pendere? si nemo parvi faciet a te constituta, sed alii sciscitabuntur quo in loco res suæ sint, alii vota facient ut fortuna tuos conatus adjuvet, alii solliciti erunt ne antequam conata perficias aliquid humanitus tibi accidat? Quæ quum fient, annon jure optimo magno animo eris? Qui fieri poterit ut non vita cum summa lætitia peragas, in tantarum rerum administratione ac fastigio constitutus? Et quis tandem est vel mediocri prudentia qui te non hortaretur ad ea suscipienda quæ utraque hæc simul ferre possent, tanquam fructus, tum voluptates eximias tum honores immortales?

30. Contentus essem hæc jam dixisse, nisi quiddam non oblivione sed verecundia retardatus omisissem, quod nunc mihi dicendum censeo: nam et tibi profuturum, et officii mei id esse puto, ut pro consuetudine mea quæ sentio libere dicam.

31. Animadverto esse qui te criminentur ex iis qui et tibi invident, et suas civitates perturbare solent, et aliis pacem communem existimant, suis vero privatis rebus bellum: hi igitur cæteris rebus neglectis omnibus de tua potentia dicunt, eam augeri non ad erigendam Græciam sed ad eandem opprimendam, teque jam longo tempore nihil aliud nisi nobis universis insidiari, ac profiteri quidem te Messeniis opem laturum, revera autem id machinari ut Phocensibus rebus constitutis Peloponnesum subigas; ac Thessalos quidem et Thebanos et omnes Amphictyoniæ participes te ducem libenter secuturos, Argivos autem et Messenios et Megalopolitas aliosque multos belli tibi fore socios ad delendos Lacedæmonios; quibus rebus confectis, facile te etiam reliquos Græcos superaturum. Hæc illi dum nugantur et satis scire se dictitant et verbis omnia celeriter evertunt, multis fidem faciunt, his præsertim qui eorundem malorum cum nugatoribus illis cupidi sunt, deinde iis qui de statu reipublicæ nihil ipsi prudenter cogitant, sed plane stupent magnamque gratiam illis habent qui se sollicitos esse ac eis timere simulant; huc et illi accedunt, qui proniores sunt ad suspicandum te insidiari Græcis crimenque illud cupiditate non indignum putant: qui tantum absunt a sapientia, ut ignorent, una eademque oratione alios lædi, alios ornari. Quod hic quoque usuvenit; si quis enim dicat Asiæ regem Græcis insidiari et apparasse bellum contra nos, nihil de eo mali dixerit, sed id effecerit ut ille fortior et præstantior haberetur; si cui vero ex posteris Herculis, qui totam Græciam beneficiis affecit, tale crimen inferret, eum maxima ignominia afficeret. Quis enim non indignetur et ægre ferat, si quis iis insidiari putetur, pro quibus auctor generis ejus suscipere pericula voluit, neque benevolentiam, quam ille posteris suis reliquit, conservare conetur, sed his neglectis res probrosas et pravas expetat?

32. Quibus consideratis non tibi committendum est ut talem de te suboriri famam patiaris, qualem inimici de te spargi student, amicorum autem nemo est quin reclamare et refutare audeat. Quid autem tibi expediat, ex horum utrorumque sententiis maxime verisimeque perspicies.

33. Fortassis igitur existimes pusilli animi esse maledicorum et nugatorum et eorum qui illis aures præbent ullam rationem habere, præsertim si tibi sis nullius delicti conscius. Verum contemnenda multitudo non est, neque omnium approbatio parvi æstimanda; nam ea demum vera gloria est et magna, cum te tum tuis majoribus digna rebusque gestis, si effeceris ut Græci eodem sint erga te animo, quo

Lacedæmonii in reges suos atque in te amici tui sunt affecti. Hæc vero non est difficile consequi, modo velis, primum si eundem te præbere volueris erga omnes, et aliis civitatibus conjunctus ab aliis alienus esse desieris; deinde si ea susceperis, propter quæ Græci tibi fidant, barbari perterrefiant.

34. Neque vero mireris, id, quod etiam ad Dionysium scripsi tyrannide potitum, me, qui neque dux neque orator sim aut alioqui potens, liberius quam alii solent egisse tecum. Nam ad gerendam quidem rempubl. omnium civium sum ineptissimus — neque enim vocem habeo satis magnam, neque audaciam agendi cum populo et conflictandi atque convitia audiendi ab iis qui in concionibus volutantur —, recte autem sentiendi et honestæ institutionis, tametsi hoc alicui dictum videbitur arrogantius, in contentionem si descendendum sit, non in postremis sed in principibus potius me numerarim. Quare sic consilium dare conor, ut natura et vires meæ ferunt, tum patriæ tum aliis Græcis et illustrissimis quibusque viris.

35. Ac de meipso, et iis quæ tibi facienda sunt erga Græcos, fere audivisti: de expeditione autem Asiatica urbibus, quas a te dixi in concordiam reducendas, tum de bello barbaris inferendo consulemus, quum eas consentire viderimus; nunc ad te mea se convertet oratio, neque vero ita animo sum affectus ut illa ætate, qua idem hoc argumentum tractavi. Tum enim hortabar auditores ut me et deriderent et contemnerent, nisi pro dignitate rerum et existimatione mea et tempore quod orationi impendissem dicere viderer: nunc autem vereor ne multo tenuius disseruerim quam ea quæ dixi omnia postulabant. Nam præter alia Panegyrica oratio, quæ alios studiis deditos copiosiores reddidit, me valde inopem fecit: neque enim eadem quæ illic scripta sunt inculcare denuo volo, nec exquirere nova possum. Non tamen ab incœpto desistendum est, sed de proposito argumento dicendum, quicquid inciderit et conducibile fuerit ad persuadendum ut hæc agas. Etsi enim alicubi me vires defecerint, quo minus eodem modo scribere possim quo prius editæ orationes confectæ sunt, at non ineleganter neque inepte primas quasi lineas me ducturum opinor, ut alii postea qui eam facultatem habent ornamenta vivosque colores adhibeant.

36. Et quidem principium totius orationis tale me sumpsisse puto, quale deceat eum qui bellum Asiæ inferendum esse suadeat. Nihil enim prius agendum est, quam ut Græci aut adjutores sint aut rebus gerendis maxime faveant. Quæ Agesilaus, quum Lacedæmoniorum prudentissimus haberetur, neglexit, non ille quidem ex improbitate sed ex ambitione. Habebat enim duas ille cupiditates, præclaram utramque, sed non inter se consentientes nec ejus generis quæ simul confieri possent. Quum enim et regi bellum inferre et amicos ab exsilio in patriam quemque suam restituere ac

summæ rerum præficere decrevisset, fiebat ex illo conatu de amicis, ut et Græci in malis ac periculis versarentur, et ipse propter tumultum hic excitatum pugnandi contra barbaros otium et facultatem non haberet. Quare ex his, quæ illo tempore ignorata sunt, facile intelligitur eum, qui recte rebus consultum velit, non prius regi bellum inferre debere, quam Græcos reconciliarit illorumque hunc furorem compescuerit; quod nos et tibi consuluimus.

37. Et hæc quidem nemo prudens negare audebit: arbitror autem, si quibus aliis visum fuerit suadere ut bellum in Asiam transferatur, ad hanc adhortationem deventuros, ut dicant quicunque bellum contra regem susceperint, iis omnibus usuvenisse, ut ex obscuris illustres fierent, e pauperibus divites, ex humilibus amplæ regionis et urbium domini. Ego vero his locis ad te adhortandum non utar, sed eorum exempla proferam qui male gessisse rem putantur, eos autem dico qui cum Cyro et Clearcho militarunt. Illos enim in confesso est pugnando vicisse universas regis copias, usque adeo quasi cum eorum mulieribus conflixissent, quum autem jam adepti victoriam viderentur, ob Cyri temeritatem impegisse lætitia exsultantis; qui quum longe ante alios eveheretur, in medios hostes illatus interierit. Quamvis igitur rex tanta hac fortuna uteretur, tamen suas copias tantopere contempsit ut, Clearcho et aliis ducibus ad colloquium evocatis, tum illis ingentia munera daturum tum reliquos milites integro stipendio persoluto se dimissurum sit pollicitus, quos quum talibus promissis, fide data quæ apud illum maxima habetur, pellexisset, comprehensos interfecit, ac in deos impius esse quam cum militibus ita destitutis armis decertare maluit.

38. Quæ vero adhortatio pulcrior esse hac et plus ad persuadendum valere queat? nam omnino illi, si absque Cyro fuisset, Persico regno potiri potuissent. Tibi autem et calamitatem quæ tum accidit cavere non difficile est, et exercitum eo longe firmiorem a quo regis copiæ victæ sunt facile comparabis. Quæ utraque si præsto fuerint, annon de expeditione hac optime sperandum erit?

39. Neque vero quisquam existimet dissimulare velle me horum quædam eodem modo exposuisse quo prius. Quum enim in easdem cogitationes incidissem, nolebam elaborare appetendo ut bene evulgata aliter dixerim: si enim ad ostentationem hæc scriberemus, animum attendissem ad omnia talia cavendum, cum vero tibi consilium daremus, desiperem, si compositioni dictionis diutius immorarer quam rebus ipsis; præterea si, quum alios meis sententiis uti videam, ego solus iis quæ ante a me dicta essent abstinerem? Propriis igitur forsitan utar, sicubi res valde postularit neque dedecuerit, alieni vero nihil adsciscam, id quod etiam antehac vitavi.

40. Sed hactenus; jam deinceps mihi de apparatu disserendum videtur, tum hoc quo tu instructus es tum eo quem illi habuerunt. Tu igitur, quod maximum est, Græcos benevolos habebis, siquidem ea quæ supra dicta sunt servare volueris, illi autem ob decuriones a Lacedæmoniis constitutos eosdem inimicissimos habuerunt. Existimabant enim, si Cyrus et Clearchus vicissent, se duriorem servitutem servituros, sin rex superior evasisset, urgentia mala depulsuros: id quod accidit. Præterea tibi in expedito erit conscribere milites quot volueris; nam hic Græciæ status est, ut facilius sit exercitum majorem et robustiorem ex erronibus conscribere quam e civibus: illis vero temporibus peregrinus miles nullus erat, unde quum e civitatibus colligere copias necesse esset, largitiones in coactores insumptæ pluris illis fere constabant quam stipendia militum. Enimvero si considerare voluerimus et comparationem facere inter te qui nunc exercitum duces et de omnibus rebus deliberabis et inter Clearchum qui tum summæ rerum præfuit, illum reperiemus prius nunquam ullas copias sive navales sive pedestres in potestate habuisse, sed ex Asiana calamitate nobilitatum, te autem tot tantasque res gessisse, de quibus si apud alios verba facerem, non incommode dici potuisset, quum autem tecum agam, jure ut demens simul et in re supervacaneâ occupatus deriderer, si tua facta commemorarem.

41. Operæ pretium porro fuerit regum etiam amborum meminisse, tum hujus contra quem tibi bellum suscipiendum suadeo tum illius quem Clearchus invasit, ut vires et animum utriusque cognoscas. Ejus igitur pater nostram urbem et Lacedæmoniorum item debellavit; hic nullum unquam exercitum ditionem ejus populantem superavit. Deinde ille Asiam universam ex pacto a Græcis accepit; hic tantum abest ut aliis imperet, ut ne illarum quidem urbium sit dominus quæ sunt ipsi traditæ. Quare nemo est quin dubitet, utrum existimandum sit hunc eas amisisse ultro ob ignaviam, an illas despexisse et contempsisse barbaricum dominatum.

42. Quis autem est qui ubi audierit quomodo in imperio ejus agatur, non inflammetur ad bellum ei inferendum? Nam Ægyptus etiam illo tempore defecerat, sed metuebant tamen ne quando rex ipse suscepta expeditione Nili transitu et reliquo apparatu omni potiretur: nunc autem hic illis metum illum ademit. Comparato enim exercitu quanto maximo potuit, belloque contra illos moto, non solum victus inde recessit, sed etiam derisus, eo quod neque regia neque imperatoria virtute præditus esse videretur. Jam Cyprus et Phœnicia et Cilicia finitimaque loca, unde classem instruere solebant, tunc erant cum rege, nunc alia defecerunt, alia bello et iis malis conflictantur, ut nullæ harum gentium ei sint

utiles, tibi vero, si bellum adversus eum gerere volueris, oppor tunæ futuræ sunt.

43. Idrieum porro opulentissimum Asiæ satrapam aut infestiorem esse regi quam eos qui palam bellum gerunt, aut omnium hominum abjectissimum esse necesse est, si hoc imperium corruere nolet, quod fratrem ejus excruciavit, quod bellum contra ipsum gessit, quod perpetuo insidias struxit ut et corpore et opibus ejus potiretur. Quarum rerum metu perterritus nunc regem colere et quotannis magnam pecuniæ vim mittere cogitur: sed te, si in Asiam trajeceris, non ille modo libens viderit, adjutorem sibi advenire existimans, sed et aliorum satraparum multos ad defectionem impelles, ostensa spe libertatis, istoque nomine in Asia divulgato, quod quum in Græcia percrebuisset et nobis et Lacedæmoniis eripuit imperium.

44. Plura dicerem, qua ratione bello administrando regis potentiam facillime vinceres, nisi vererer quorundam reprehensionem, si ego, qui nunquam bellica gesserim, nunc tibi post plurima et præclarissima belli facinora edita præscribere studerem. Quare de his quidem pluribus verbis opus esse non puto.

45. Quod autem ad reliqua attinet, arbitror et patrem tuum et eum qui regnum vobis peperit et vestri generis auctorem, si huic liceret, illis facultas data esset, eadem haud dubie quæ ego tibi consulturos. Cujus rei conjecturam ex rebus illorum gestis capio. Nam et pater tuus civitatibus his omnibus, quarum amicitiam expetendam tibi censeo, amicus fuit: et is, qui regnum constituit et altiores quam sui cives spiritus habuit, regnandi cupiditate incitatus, non eadem quæ alii in honorum talium appetitione consilia secutus est. Nam illi quidem excitatis in suis urbibus seditionibus et tumultibus et cædibus eum honorem arripuerunt, is vero Græcorum ditionem universam reliquit et regnum Macedonicum occupare studuit: norat enim nec Græcos ferre monarchiam consuevisse, et cæteros sine hac imperii forma non posse vitam suam gubernare. Quod quum sapienter animadvertisset, etiam regnum ab aliis longe diversum exstitit: nam solus Græcorum peregrinæ gentis imperium adeptus, solus etiam pericula quæ monarchiis imminent effugit. Nam qui inter Græcos tale aliquid confecerunt, eos non ipsos tantum perisse, sed et genus eorum funditus exstirpatum esse inveniemus; ille autem et ipse feliciter ævum egit, et imperium quod tenuerat suis per manus tradidit.

46. De Hercule vero, alii quidem fortitudinem ejus divinis laudibus celebrare et certamina enumerare non desistunt, aliorum vero quæ animo insunt bonorum nemo vel poetarum vel scriptorum mentionem fecisse reperietur. Ego vero locum peculiarem video et inelaboratum, non parvum neque sterilem, sed multis laudibus

et honestis actionibus refertum, ejus generis tamen qui virum desideret non parva eloquentia præditum. In quem si junior incidissem, vestræ familiæ auctorem et prudentia et liberalitate et justitia plus antecelluisse superiorum temporum hominibus omnibus quam robore corporis facile demonstrassem: nunc ubi ad illum accessi, et quam multa dicendo explicanda insint vidi, cum ingenii facultatem quæ hoc tempore mihi est imparem esse argumenti gravitati intelligo, tum orationem duplo fore longiorem animadverto. Cæteris igitur his de causis præteritis, unam inde actionem delegi, quæ quidem cognata et conveniens his est quæ prædicta sunt, et neque brevior neque prolixior quam ea quæ dicenda restant postulent.

47. Nam is quum vidisset Græciam fervere bellis et seditionibus et multis aliis malis, sopitis illis et pace inter urbes facta demonstravit posteris, quibus sociis adscitis contra quos bella gerenda essent. [Nec enim otio et languori se dedidit.] Expeditione enim adversus Trojam suscepta, quæ tum in Asia potentissima erat, tanto dux præstantior fuit iis qui post eandem oppugnarunt, ut quam illi totius Græciæ viribus contractis vix anno decimo expugnarunt, hic paucioribus diebus quam illi annis, quum paucos omnino milites haberet, facile per vim ceperit. Et deinde reges gentium in utraque Asiæ ora accolentes universos occiderit, quos nunquam perempturus fuit, nisi et copias illorum vicisset. His rebus gestis columnas illas quas Herculeas vocant constituit, ut et trophæum barbarorum essent, et monumentum virtutis suæ ac præliorum, et ditionis Græcorum limites. Hæc ea de causa tibi commemoravi ut non alias res suadere tibi orationem meam intelligeres, quam quas majores tui factis ipsis declararunt se cæteris omnibus summa cum laude anteposuisse.

48. Itaque cum reliquos omnes decet in optimum exemplar intuentes conari id exprimere, tum vero te vel in primis. Nam quum exemplis tibi non alienis utendum sit, sed domesticum in promptu habeas, annon illud te excitabit ut summa contentione par esse Herculi tui generis conditori studeas? Neque vero te omnia Herculis facta imitari posse dico — nam id vel deorum quidam nequirent —, sed, si tantum mores ejus facillimos et humanitatem et benevolentiam in Græcos secutus fueris, ad consiliorum illius similitudinem accesseris. Quod si mihi parueris, eam gloriam quam ipse voles adipisceris: facilius enim est isto rerum tuarum statu parare pulcherrimam, quam iis rebus quæ initio tibi contigerunt eam qua nunc frueris consequi. Illud considera me non, ut cum barbaris contra eos ducas exercitum quos oppugnari nefas est, horteri, sed ut cum Græcis adversus eos bellum suscipias quos ab Herculis posteris oppugnari decet.

49. Neque vero mireris cur te per totam orationem et ad demerendos Græcos et ad mansuetudinem et humanitatem adhorter: nam difficiles mores molestos esse video tum iis penes quos sunt tum his qui eorum consuetudine utuntur, mansuetudinem vero non in hominibus solum et cæteris animantibus omnibus sed in diis quoque celebrari; nam qui nobis benefaciunt cœlites dicuntur, qui vero calamitatibus et pœnis præsunt atrociora etiam nomina habent, ac illi quidem et privatim et publice templis arisque honorantur, hos autem neque precibus neque sacrificiis coli, sed nobis esse detestabiles, constat. Hæc igitur considerans assuefacere te ac meditari debes ut mortales omnes magis etiam quam nunc talem de te concipiant opinionem. Qui autem eximiam gloriam expetunt, eos animo complecti decet res non quidem eas quæ fieri nequeant, sed quæ voti similes sint, et ita in illis studiose elaborare ut rerum tulerint occasiones.

50. Multis autem e rebus cognosces ita esse faciendum, sed in primis ex Iasonis eventu. Qui, quum nihil tale quale tu præstitisset, maximam gloriam non ex iis quæ gessit, sed ex iis quæ dixit, est adeptus: ita enim verba faciebat, ut qui in Asiam transiturus et regi Persarum bellum facturus esset. Si igitur Iason verbis tantum ita res suas auxit, quam de te opinionem fore censes, si re ipsa ista perfeceris conatusque faeris maxime quidem universum regnum capere, sin minus, plurimas inde provincias avellere Asiamque intercapere, ut dicunt aliqui, a Cilicia usque ad Sinopen? Præterea condendæ urbes erant in loco illo, atque in eas collocandi qui nunc ob rerum necessariarum penuriam oberrant et obvia queeque infestant. Quibus nisi obstiterimus ne in posterum congregentur victu illis affatim suppeditato, paulatim tanta eorum futura est multitudo, ut nihilo minus Græcis quam barbaris sint metuendi: at nos nihil illos curamus, neque animadvertimus nos communem metum et periculum nobis omnibus alere. Est igitur viri magnanimi et Græcorum studiosi et longe præ cæteris in posterum prospicientis, ut abusus talibus hominibus adversus barbaros tantum terræ illis adimat quantum paulo ante diximus, et mercenarios milites malis liberet tum iis quæ ipsi ferunt tum quæ aliis inferunt, et civitates ex eis constituat quæ Græciam muniant et quasi vallum pro nobis omnibus objiciantur. Nam eo pacto non illos solum felices, sed nos etiam omnes securos reddes. Ut autem hæc tibi non contingant, at illud facile consequeris, ut urbes Asiaticas in libertatem vindices. Quodcunque autem horum perfeceris aut tantum conatus faeris, aliis utique gloria et laudibus antecelles, idque optimo jure, ut qui et ipse talia aggrediaris et Græcos ad eadem cohorteris.

51. Nam quæ hactenus quidem facta sunt, quis non jure miretur nosque despiciat? Quum apud barbaros, quos molles putabamus

et bellicæ rei imperitos luxuque perditos, viri nati sint qui se Græciæ dignos imperio censuerunt, Græcorum neminem ea esse animi magnitudine ut vel conetur nos Asiæ dominos facere, sed usque adeo ab eis vinci nos ut, quum illi non dubitarint nos ultro lacessere inimicitiis, ne de vindicanda quidem injuria cogitemus? quum in omnibus illi bellis ostendant se neque milites habere neque duces neque quicquam aliud bellis gerendis aptum et ea omnia a nobis accersant, in eam venimus cupiditatem malefactis inter nos certandi, ut quamvis illorum opibus secure frui liceret, et ipsi de minutis quibusdam rebus belligeremur, et iis qui a regis imperio defecerunt sub jugum reducendis navemus operam, neque sentiamus nos patriis hostibus nonnunquam præsto esse ad gentiles et populares nostros evertendos.

52. Quare tibi conducere puto, in tanta aliorum ignavia, ut te ducem belli barbarici profitearis. Nam alios quidem ab Hercule ortos, qui reipublicæ legumque vinculis quasi adstricti tenentur, ea urbe in qua habitant contentos esse decet, te autem tanquam emancipatum totam Græciam patria caritate complecti, ut is fecit qui vos genuit, et non minora illius causa pericula adire quam propter ea quæ antiquissima tibi sunt.

53. Erunt fortasse qui me reprehendere ausint, iique potissimum qui hoc unum didicerunt quod, quum te et ad oppugnandos barbaros et ad tuendos Græcos voluerim adhortari, de mea urbe nihil dixerim.

54. Ego vero, si cum ullis aliis prius instituissem his de rebus agere quam cum patria quæ ter Græciæ libertatem restituit, bis profligatis barbaris, semel jugo Lacedæmoniorum excusso, faterer me deliquisse: nunc me illam primum ad hæc adhortatum esse maximo quo potuerim studio constat, quam quum minus ea quæ a me dicerentur curare viderem quam eorum verba qui pro suggestu insaniunt, illam quidem missam feci, a meo autem instituto non recessi. Quare jure laudarer ab omnibus, quod iis copiis quas habeo nunquam destiti bellum cum barbaris gerere, et partim eos accusavi qui non ita ut ego sentirent, partim eos quos videbam et Græcis posse benefacere et barbaris suas opes eripere sedulo sum hortatus. Qua de causa nunc etiam apud te verba facio, non ignarus fore multos qui meæ orationi invideant, iis autem quæ a te agentur congratulaturos esse omnes. Nam in eorum quidem quæ dicta sunt nemo societatem venit, utilitatum vero quæ inde parabuntur nemo est quin se quoque fructum percepturum esse putet.

55. Cogita porro quam turpe sit committere ut Asia floreat afflicta Europa et barbari sint opulentiores Græcis, et ii qui ad Cyrum genus referunt, quem mater in viam abjecit, amplissimum imperium habeant ac reges magni appellentur; Herculis autem posteri, quem

pater ob virtutem inter deos retulit, humilioribus nominibus salutentur. Atqui horum nihil ita relinquendum est, sed hæc omnia commovenda et invertenda sunt.

56. Omnino autem statuere debes me nihil hujusmodi tibi suasurum fuisse, si imperium duntaxat et divitias inde vidissem parandas: arbitror enim te jam antea omnibus copiis harum rerum circumfluere, eumque prorsus inexplebilem esse qui subire periculum non recuset quo aut iis potiatur aut vita privetur. Ego vero non ita hæc dico ut possessiones eorum spectem, sed quod ex his te putem maximum clarissimumque triumphum consecuturum. Cogites velim mortale corpus omnes nos habere, sed gloria, laudibus, fama, memoriæ perpetuitate fieri compotes immortalitatis, cujus cupiditate omnes vires exercendæ, nulli labores, nulla pericula recusanda sunt. Nam privatorum hominum aliquos cernas et eos quidem optimos qui, quum vitæ caritatem nulla re alia permutatam velint, adipiscendi honesti nominis gratia in bellis occumbere non dubitent; denique eos, qui semper tenentur augendæ gloriæ studio, laudari ab omnibus, qui autem aliquid cæterarum rerum insatiabiliter complectuntur, hos et incontinentiores et nequiores haberi. Et quod maximum est, opum atque imperiorum sæpe accidere ut hostes potiantur, sed benevolentiæ civium et cæterorum quæ diximus non alios heredes relinqui quam liberos e nobis procreatos. Quare, nisi propter hæc tibi consuluissem militiam hanc suscipendam esse et bellum gerendum et dimicandum, erubescerem.

57. Sic autem his de rebus rectissime statues, si cogitabis non solum hanc orationem esse quæ te hortetur, sed accedere majores quoque tuos et barbarorum ignaviam et eos etiam qui celeberrimi facti sunt et semidei habiti ob expeditionem contra barbaros susceptam; in primis autem excitare te debet occasio, quum et tu tantis opibus et copiis polleas quantis eorum nemo qui in Europa habitarunt, et is, contra quem bellum geres, in tanto sit odio et contemptu omnium in quanto nemo regum unquam fuit.

58. Vehementer autem velim me posse colligere ac uno veluti fasce complecti ea quæ de his rebus dixi omnia: magis enim argumento digna hæc oratio videretur. Verum te quoque decet considerare ex omnibus ea quæ huc pertinent et ad bellum hoc adhortantur: sic enim de iis optime consulueris.

59. Neque vero ignoro Græcorum multos in ea opinione esse ut regem Persarum inexpugnabilem putent: quos sane mirari æquum est, si id imperium, quod est ab homine barbaro et male instituto constitutum et ad servitutem congregatum, a viro Græco et bellicis in rebus multum exercitato non putant spe recuperandæ libertatis proposita dissolutum iri, præsertim quum sciant constituere omnia quam sit difficile, quam facile vero dissolvere.

69. Cogita porro in quanta admiratione sint apud omnes, quanto honore afficiantur, qui utrumque possunt, et domi rempublicam gerere et foris bello tueri. Quod si eos qui in una urbe hoc sunt ingenio præditi maxime celebrari vides, cujusmodi fore laudes censendum est quæ de te prædicabuntur, si et beneficiis inter omnes Græcos te gessisse rempublicam, et te imperatore barbaros expugnatos esse viderint? Equidem nihil accedere posse credo, neque ullo tempore majora posse ab ullo geri: neque enim in Græcia ullum tantum facinus editum est, quantum fuerit nos omnes e tantis bellis perduxisse ad concordiam, neque verisimile est unquam in posterum inter barbaros tantam potentiam constitutum iri, si eam quæ nunc est dissiparis. Quare nemo posterorum, etiamsi excellenti præter cæteros natura sit, quicquam tale facere poterit. Nam veterum res gestas superare possumus his ipsis quæ jam a te gesta sunt, non lubrice, sed vere: nam quum tot gentes subegeris quot urbes nemo Græcorum cepit, nonne si te cum singulis eorum conferrem, facile demonstrarem te majora quam illos designasse? Verum hac orationis forma duabus de causis abstinere statui, tum quia plerique parum tempestive ea utuntur, tum quia per me nolo his qui nunc vivunt, eos qui semidei usurpantur, minores existimari.

61. Cogita etiam, ut et vetera proferamus, Tantali opes et Pelopis imperium et Eurysthei potentiam a nemine laudari vel oratore vel poeta: sed post Herculis excellentiam Theseique virtutem tum eos qui ad Trojam militarunt tum qui similes illis exstiterunt ab omnibus celebrari. Etsi insignes illorum et præstantissimos quosque scimus parvis oppidulis et insulis imperasse. Prope tamen divinam et latissime patentem sui nominis gloriam reliquerunt: omnes enim amant non eos qui sibi maxima imperia pepererunt, sed qui plurima in Græcos beneficia contulerunt.

62. Neque erga hos tantum eo animo sunt, sed æque in omnes. Nam et nostram rempublicam nemo eo nomine laudaverit, vel quod maris imperium tenuit, vel quod tantam pecuniam exactam a sociis in arcem retulit, ac ne ob illud quidem quod in ejus potestate fuit e multis urbibus alias evertere, alias amplificare, alias suo gubernare arbitratu — hæc enim ei licuerunt omnia —; verum ob hæc in crimen sæpe venit: sed tum ob Marathoniam pugnam et navale ad Salaminem prælium, tum eo potissimum quod pro salute Græciæ quam urbem nostri cives reliquerunt, universi eam celebrant. Neque aliter etiam de Lacedæmoniis sentiunt: nam et illorum cladem in Thermopylis acceptam magis admirantur quam alias eorum victorias, ac tropheum contra illos a barbaris erectum amant et spectant, Lacedæmoniorum autem trophæa contra alios collocata non laudant invitique vident. Nam illud quidem virtuti, hæc avaritiæ tribuuntur.

63. Hæc igitur omnia perpendenda et seorsum tibi excutienda sunt, et, si quid mollius aut minus accurate dictum fuerit, ætas mea in culpa est, cui merito veniam dabunt omnes: sin iis similia quæ superioribus temporibus a me edita sunt videbuntur, existimandum erit ea non senectuti meæ accepta referenda, sed dei alicujus benevolentiæ, qui non de me sit sollicitus, sed Græciæ salutem cura sua complectatur, quique studeat cum urgentibus eam malis liberare, tum te gloria ornare ea quam nunc habes longe majore. Arbitror autem te non ignorare quo pacto dii res humanas administrent. Non enim ipsi sua manu impertiunt vel prospera vel adversa quæ hominibus contingunt, sed eam mentem dant singulis, ut vel cladibus ultro citroque se afficiant vel communes utilitates in medium afferant mutatione officiorum. Ad hunc modum fieri potest ut nobis orationem tribuerint, te vero gerendis rebus præfecerint, existimantes et te pulcherrime ista obiturum, et orationem meam audientibus minime gravem et molestam futuram. Ac ne superiorum quidem temporum res gestas tantas fuisse futuras existimo, nisi deorum aliquem propitium et adjutorem habuisses, non profecto ut barbaros Europæos bellis perpetuis infestares, sed ut, illis quasi velitationibus exercitatus partaque peritia ét nobilitata virtute tua, hæc quæ ego nunc tibi suadeo expeteres ad eaque capessenda animum extolleres. Turpe igitur fuerit fortunam recte præeuntem non alacriter sequi, neque ultro ad majora vocanti obtemperare.

64. Æquum autem esse censeo, ut cum omnibus iis honorem habeas qui res a te gestas prædicant, tum eorum verissimis te celebrari laudibus existimes qui naturam tuam majoribus negotiis parem esse censent tantisque rebus animo et sententia sua te præficiunt quantas ego nunc exposui; neque enim hi soli magnificiendi sunt qui auribus in præsentia blandiuntur, sed qui efficient ut apud posteros in tanta sis admiratione in quanta nemo unquam fuit. In hanc sententiam plura quidem cupio disserere: sed quam ob causam id facere nequeam, plus satis est dictum.

65. Restat igitur ut in summam omnia cogam, ut quam paucissimis perspicias totius consilii caput. Aio igitur et Græcos beneficiis tibi adjungendos esse, et imperium in Macedones exercendum, et barbaris quam plurimis imperandum. Quæ si feceris, omnes tibi gratiam habebunt, Græci ob accepta beneficia, Macedones ob regiam et non tyrannicam sui gubernationem, reliquæ nationes quod barbarico dominatu liberatæ Græcorum dexteritati ac fidei salutem suam commendatam viderint. Hæc quam temporibus apte quave diligentia scripta sint, e vobis qui audieritis cognoscendum erit: sed meliora his et ad hunc rerum statum magis accommodata tibi suasurum esse neminem, satis mihi scire videor.

ISOCRATIS

ARCHIDAMUS.

ARGUMENTUM
INCERTO AUCTORE.

Post pugnam Leuctricam Thebani Lacedæmonem incursabant et multis cladibus afficiebant, adeo ut Lacedæmoniis subinde fugientibus uxores tandem occurrentes dicerent, Nunquid denuo vos in uteros recipere possumus? Itaque in hostem conversi ad Mantineam vicerunt, ab equitatu Atheniensium strenue adjuti. Post res ad Mantineam gestas per legatos a Thebanis pacem petiere: qui se illam daturos ea conditione promiserunt, si Messenam instaurarent et liberam esse paterentur. Quod quum alii non recusandum censerent, Archidamus junior adversatur. Hoc autem minoris Archidami genus est: Zeuxidamus, Archidamus, Agis, Agesilaus, e quo natus est hic Archidamus. Sunt qui dicant, Archidamum Athenis hanc orationem ab Isocrate accersivisse: alii sentiunt scriptam esse ab Isocrate exercendi ingenii gratia, ut ostenderet quidnam ab Archidamo in senatu Lacedæmoniorum dicendum videretur. Et argumentum quidem orationis hoc est: pertinet autem ad genus deliberativum; et loco utilitatis præcipue nititur.

ALIUD ARGUMENTUM
E DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quis vel rempubl. vel homines privatos facilius in suam adducat sententiam hoc oratore? cum multis aliis in locis, tum in Laconica oratione, quæ Archidamus inscripta, illud argumentum continet, neque Messenam Bœotis tradendam, neque hostium imperata esse facienda. Nam adverso Marte pugnarant Lacedæmonii et ad Leuctra et deinde in multis aliis præliis, ac Thebanorum quidem opes florebant et ad imperii magnitudinem processerant, Spartanorum autem res afflictæ erant et longe a dignitate veteris principatus degenerarant. Tandem igitur Spartani, ut pacem impetrarent, deliberabant essetne agro Messenio cedendum; nam hæc eis necessitas a Bœotis imponebatur. Quum igitur videret Isocrates eos indigna suis majoribus esse facturos, Archidamo, qui quidem adolescens necdum regno potitus erat, sed magnam tamen spem habebat ejus honoris adipiscendi, hanc orationem composuit. In qua commemorat primum jure tenere Messenam Lacedæmonios, tum a Cresphontæ liberis regno pulsis traditam, tum Delphico oraculo confirmatam quo jussi fuerint et urbem accipere et affectis injuria opitulari, tum bello constabilita possessione et temporis diuturnitate corroborata. Docet etiam, non Messeniis qui nulli jam essent, sed servis et mancipiis quos Helotas vocant id oppidum portum et confugium tradituros. Enumerat et pericula quæ majores eorum imperii causa adierint, et qua sint apud Græcos existimatione commonefacit. Hortaturque ne fracti rebus adversis animos abjiciant, sed potius spe fortunæ melioris confirmati ut cogitent multos Thebanis potentiores ab imbecillioribus esse victos, multos cinctos obsidionibus et gravioribus malis quam Spartanos conflictantes eos a quibus oppugnarentur delevisse. Adducit exemplum civitatis Atheniensium, quæ, quum ma-

xime floreret, eversa extrema quæque perpessa fuerit ne audiens esset dicto barbarorum. Monet ut præsentia perferant et de futuris bene sperent, quum tales calamitates a civitatibus emendari sciant prudenti constitutione reipubl. et peritia rei militaris, quibus Sparta reliquas urbes superabat. Censet iis potius cum quibus bene agatur quam ipsis rebus suis adversis pacem expetendam, quum nova molientibus spes fortunæ melioris proposita sit: nam, si discrimen subeant, partas opes ab eis posse conservari. Præterea multis aliis præclaris operibus commemoratis, quæ clarissimi cives publice privatimque in bellis ediderint, colligit quantum dedecus susceperint et in quantum apud Græcos crimen sint venturi, sin arma ceperint, asserit eis ab omni parte auxilia præsto esse futura, a diis immortalibus, a sociis, ab universis hominibus, qui Thebanæ potentiæ incrementis invideant; denique ostensa confusione et tumultibus quibus urbes Græcæ Bœotis rerum potientibus agitentur, ut nihil horum eveniat nec ulla spes incolumitatis alia relinquatur, urbem eos deserere jubet, docetque uxores et liberos cæteramque turbam in Siciliam et Italiam et reliqua loca eis amica mitti, ipsos vero castello aliquo munitissimo occupato et ad gerendum bellum opportunissimo hostes summis viribus terra marique persequi oportere. Nullum enim exercitum ausurum esse collatis signis cum viris Græciæ bellicosissimis, qui vitam vilissimam censeant, et quibus justa ira et causa honestissima eam necessitatem imposuerit, dimicare. Hæc ego non tam Lacedæmoniis, quam aliis quoque Græcis atque adeo hominibus universis, eum suadere dixerim longe melius quam omnes philosophos, qui summum vitæ bonum in virtute et honestate ponunt.

1. Vestrum aliqui fortasse mirantur cur ego, qui hactenus instituta nostræ urbis ut haud scio an quisquam alius meorum æqualium servavi, tantam mutationem fecerim, ut, quibus de rebus seniores verba facere verentur, de iis ego adolescens sententiam dicere aggrediar. Ego vero, si quis alius eorum qui apud vos concionari solent pro dignitate reipublicæ dixisset, longa silentia fecissem: nunc, quum videam alios hostium imperatis patrocinari, alios non fortiter adversari, alios prorsus obmutuisse, surrexi ut quod his de rebus sentio exponerem, id nimirum turpe esse ratus si, ut propriam meæ vitæ rationem teneam, rempublicam contra dignitatem suam decernentem despexerim.

2. Quod si de aliis quidem rebus decet adolescentes conticere, bellum certe vel suadere vel dissuadere iis maxime convenit ad quos periculorum pars maxima redundabit, quum præsertim quid facto sit opus videre atque intelligere in medio sit omnibus positum. Nam si exploratum esset, seniores de omnibus rebus rectissime judicare, adolescentes autem ubique falli et hallucinari, non immerito nobis dicendæ sententiæ jus adimeretur: sed quum non annorum spatium, sed ingenium et diligentia, in causa sit, ut alios alii prudentia superemus, nonne utriusque ætatis periculum faciendum est, ut ex omnibus iis quæ dicta fuerint vobis deligere liceat utilissima? Perabsurdum autem esse judico, si qui sunt qui censeant nos quidem terra marique exercitibus cum imperio præesse oportere, ubi non nisi magna clade reipubl. delinquitur: dicere autem quæ sentiamus ubi totius rei judicium et potestas penes vos est, non oportere, ubi si scopum attigerimus utilitas publice ad omnes, sin impegerimus,

nfamia et dedecus privatim ad nos pertinebit, sine ullo reipublicæ detrimento. Neque vero vel ulla dicendi cupiditate, vel pristinæ meæ vitæ mutandæ consilio impulsus, hæc commemoravi, sed vos hortari volui ne ullam ætatem improbaretis, sed in omnibus potius quæreretis si quis forte existeret qui de præsenti statu rerum quippiam utiliter admoneret.

3. Nec enim ab urbe condita vel bellum factum vel periculum de tantis rebus oblatum est, de quantis nunc deliberamus. Nam antehac quidem de imperio in alios exercendo dimicabamus, nunc autem hoc agitur ne ipsi imperata faciamus: quod signum libertatis est, pro cujus defensione nullæ acerbitates, nulla pericula sunt recusanda, non nobis tantum, sed etiam aliis qui se viros esse meminerunt, neque virtutis laudem prorsus adspernantur. Ego certe, si quid de me privatim dicendum est, emori jam detrectato imperio malim, quam ætatem longe ultra naturæ fines producere, si ea quæ Thebani jubent calculo meo approbassem: puderet enim me, et ex Herculis familia natum, patrisque regis filium, cui dignitatis idem gradus propositus est, committere, quantum in me quidem fuerit, quam provinciam majores nostri nobis reliquerunt, eam servi nostri ut obtinerent. Sed et vos in eadem esse mecum sententia vellem, illud reputantes nos in hunc usque diem prælio Thebano adversiore fortuna usos, et corporibus quidem culpa ducis superatos, animos autem adhuc invictos et erectos gerere videri: si vero metu imminentium periculorum quicquam de jure nostro concesserimus, insolentiam Thebanorum confirmabimus et trophæum Leuctrico illo multo gravius et illustrius contra nos ipsi erigemus; nam illud quidem temeritati fortunæ, hoc autem nostræ ignaviæ tribuetur. Neminem igitur vos inducere patiamini ut tantum dedecus publice suscipiatis.

4. Nam socii præpropere quidem illi vobis consuluerunt, omissa Messena pacem ut faceretis. Quibus vos multo æquius et gravius irasceremini quam iis qui initio a vobis defecerunt. Illi enim, quum ab amicitia nostra se removissent, suas ipsi urbes exagitatas seditionibus et cædibus mutatoque statu in deterius everterunt, hi vero vobis nocere instituunt: qui auctores esse non dubitent ut gloriam, per septingentos annos magnis laboribus et periculis majorum partam nobisque per manus traditam, paulo momento temporis abjiciamus, quo nec Lacedæmoni contumeliosius nec acerbius quicquam excogitare potuissent. Adeo porro sui compendii cum nostro incommodo studiosi sunt, nosque ita ignavos esse censent, ut quos sæpe ad bellum pro sujs agris gerendum impulerunt, eosdem nunc de Messena pugnare vetent, et, quo ipsi suis opibus secure fruantur, persuadere studeant hostibus de nostro jure cedendum esse, neque his contenti minitentur etiam, nisi assentiamur, se pacem pro sese

facturos. Ego vero sic existimo non tam fore vobis sine istis belli discrimen gravius, quam honestius et illustrius et ubique gentium gloriosius. Nam si non aliorum ope freti sed nostris subnixi viribus esse incolumes victoresque hostium studeamus, id aliis nostræ civitatis facinoribus erit consentaneum. Etsi autem eloquentiam nunquam suspexi, sed istos qui in eo studii genere versarentur in rebus gerendis ignaviores esse existimavi, nunc tamen nihil mihi perinde in votis est quam ut de propositis rebus ex animi mei sententia verba facere possim. Quod si essem assecutus me reip. plurimum hoc tempore sperarem profuturum.

5. Ac primum disserendum est vobis quo pacto Messena in vestram potestatem venerit, et quas ob causas in Peloponneso, quum Dorienses a prima sitis origine, consederitis. Altius autem rem totam propterea repetam, ut intelligatis eam provinciam vobis eripi, quam non deteriore jure quam reliquam Lacedæmonem possidetis.

6. Quum enim Hercules e rebus humanis sublatus immortale cum diis ævum agere cœpisset, initio liberi ejus ob inimicorum potentiam variis erroribus et periculis agebantur, post obitum autem Eurysthei apud Dorienses consederunt. Tertia demum ætate certis de rebus oraculum petituri Delphos sunt profecti. Verum Apollo ad quæstiones propositas nihil respondit, sed in patriam terram eos abire jussit. Considerato igitur oraculo, repererunt Argos propinquitatis jure ad se rediisse — nam exstincto Eurystheo soli de Persei familia supererant —, Lacedæmonem vero dono accepisse — nam Tyndareus, Castore et Polluce exstinctis, regno pulsus et ab Hercule restitutus, illi regionem tradiderat cum ob beneficium hoc tum ob cognationem liberorum suorum —, Messenam autem quæ vi expugnata fuisset suam esse factam — Hercules enim bobus Erytheidibus a Neleo et ejus filiis, Nestore excepto, spoliatus, quum urbe potitus esset, eos quidem a quibus erat affectus injuria interfecit, Nestoris autem fidei oppidum commisit, cordatum hominem esse ratus, quod etsi natu minimus fraterni delicti socius esse noluisset —.

7. Quum igitur oraculi sententia hæc esse videretur, adhibitis vestris majoribus exercituque comparato, regionem suam inter commilitones distribuerunt, et regni prærogativam ab illis receperunt, atque his conditionibus fide data et accepta expeditionem susceperunt. Ac itineris discrimina et cæteras res gestas, quæ ad institutum non pertinent quid necesse est prolixius commemorare? Bello autem victis eorum locorum quæ diximus incolis regna tripartito diviserunt. Et vos quidem in hunc usque diem pacta et jusjurandum majoribus nostris datum servatis. Quapropter et superiori tempore feliciores aliis fuistis, et in posterum, quum tales sitis, bona spes est melius quam nunc actum iri vobiscum. Messeniorum autem tanta fuit impietas, ut Cresphontem, et conditorem urbis, et

provinciæ dominum, et ex Herculis posteritate ortum, et ducem suum, per insidias occiderint. Cujus liberi vitato periculo supplices huic urbi facti sunt, traditaque regione petierunt ut patris necem ulciscereminí. Vos igitur consulto oraculo, jussi et accipere quæ offerrentur et opem ferre affectis injuria, victis bello Messeniis sic eorum agrum et urbem in vestram ditionem et potestatem redegistis.

8. Ac de primo quidem vestro jure etsi non accurate disserui — nec enim hoc tempus patitur consectari omnia, sed necesse est brevitatis potius quam perspicuitatis rationem habere —, ex his ipsis tamen omnibus perspicuum esse arbitror non aliam fuisse rationem ejus regionis acquirendæ quam nostram esse confitentur omnes quam controversæ. Tum enim hanc colimus, et ab Herculis posteritate datam, et Delphico oraculo confirmatam, et incolis ejus bello superatis: tum illam ab iisdem eodemque modo accepimus et iisdem usi vaticinationibus. Quod si hoc animo sumus ut nulla in re eis repugnemus, etiamsi Spartam deserere nos jusserint, supervacaneum est de Messena magnopere laborare: sin nemo vestrum est qui patria spoliatus vivere sustineat, non aliter etiam de illa debetis esse animati. Idem enim utrinque jus, eadem defensio nobis est.

9. Præterea nec illud vos præterit, possessiones sive privatas sive publicas præscriptione longi temporis et confirmari et patrimonii loco habendas, persuasum esse omnibus. Nos autem Messenam cepimus priusquam Persæ regno potirentur Asiamque subigerent, et priusquam pleræque Græcæ urbes conderentur. Et quum tanta nostræ causæ sit æquitas, Thebani barbaro Asiam tanquam patrimonium adjudicant, qui nondum ducentos annos rerum potitus est, nobis autem Messenam, quam duplo longius tenuimus, ereptum eunt: ac Platæas quidem et Thespias nuper admodum everterunt, hanc autem post quadringentos annos sunt instauraturi, horum utroque jusjurandum et fœdera violantes. Quod si germanos Messenios restituerent, injuste quidem facerent, sed minus queri tamen de eorum injuria possemus: nunc Helotas in vicinia nostra collocant, quare non hoc gravissimum est, si præter jus et æquum nostra possessio nobis adimetur, sed si dominos illius esse videbimus nostros servos.

10. Jam ex his quæ sequuntur magis etiam perspicietis, et nunc inique tractari nos et tunc Messenam jure tenuisse. Nam post multa prælia commissa tandem pacem facere coacti sumus, quum quidem multo pejus nobiscum quam cum hostibus ageretur. Atqui quum iis temporibus conditiones ferrentur, quibus fieri non poterat ut nos meliore conditione essemus, de aliis quibusdam rebus contentiones inciderunt, sed Messenam injuste nos tenere, neque rex

Persarum neque civitas Atheniensium nobis unquam objecit. Quod autem evidentius de jure judicium eo queat esse quod et ab ipsis hostibus et adversis nostris rebus est editum?

11. Præterea oraculum, quod omnes et antiquissimum et communissimum et fide maxime dignum esse fatebuntur, non eo duntaxat tempore nostram esse Messenam statuit, quum Cresphontæ liberis dantibus accipere nos donum et oppressis injuria opem ferre jussit, sed tunc etiam quum bellum prorogaretur, et utrique Delphos misissemus (nam illi quidem de salute sua consulebant, nos vero de expeditissima urbis capiendæ ratione), illis ut iniqua petentibus nihil respondit, nobis vero significavit et quæ sacra facienda, et auxilia unde accersenda essent.

12. Quod igitur testimonium majus et evidentius his afferri potest? Quum declaratum sit nos primum ab iis quorum erat hanc provinciam accepisse — quid enim vetat eadem denuo paucis perstringere? —, deinde bello cepisse, quo modo pleræque urbes illis temporibus constitutæ sunt; postea eos qui Herculis liberos nefario scelere violarant ejecisse, quos quidem æquum fuerat ex universo terrarum orbe exterminari; denique et longitudine temporis et hostium judicio et dei oraculis jure obtinere. Quorum singula calumnias eorum satis refutant, qui crimini dare audent nos aut nunc pacem ex avaritia repudiare, aut olim alienarum rerum cupiditate inflammatos bellum cum Messeniis gessisse. Ac de Messenæ quidem possessione plura his dici fortasse queant, sed et hæc sufficere arbitror.

13. Qui autem faciendæ pacis nobis auctores sunt, negant viris sapientibus idem sentiendum in rebus secundis et adversis, sed e re nata consilium semper capiendum et fortunam sequendam esse, neque plus animorum esse oportere quam virium, neque talibus temporibus quid justum sit sed quid expediat quærendum.

14. Ego vero quod ad cætera quidem attinet non repugno, sed justitiæ præferendum ulla ex parte esse aliquid nemo ulla ratione persuadebit. Nam et leges ideo latas esse video, et præstantes viros hoc sibi laudi ducere, et urbes quæ bene præclareque administrantur in hoc maxime studere; præterea superiorum temporum omnia bella eos exitus habuisse non qui a viribus duntaxat sed et a justitia penderent; denique vitam humanam interire flagitiis, virtute conservari. Quare non abjectis animis eos esse decet qui juris sui defendendi causa pericula sunt adituri; illos timere sibi decet qui elati superbia res secundas moderate ferre non possunt. Deinde nec illud negligendum est, quod de jure omnes consentimus, de utilitate litigamus. Propositis autem duabus rebus bonis, quarum altera evidens est altera obscura, nonne ridiculum fuerit vos certam repudiare, controversam velle amplecti, præ-

sertim quum in ipsa optione tantum intersit? Mea enim oratio hue pertinet ut ne quid nostrum amittamus neque dedecus aliquod publice suscipiamus, in spe bona nos, etiamsi justitiæ causa pugnandum sit, hostibus fore superiores; illi autem quid tandem dicunt, nisi jam Messena cedendum esse? quum hoc delicto in vosmet ipsos admisso illud etiam fieri possit ut et utilitate et justitia et cæteris quæ exspectatis omnibus frustremini? Neque enim hoc exploratum est, si ea quæ jubent hostes fecerimus, nos firmam pacem habituros. Arbitror enim non ignorare vos, cum iis qui ad vim propulsandam parati sunt omnes de jure disputare, illis autem qui nimis expedite imperata faciunt, subinde plus quam initio cogitarant oneris imponere solere; unde fit ut ad gerendum bellum parati qui sunt æquiorem pacem impetrent quam ii qui temere pactiones faciunt.

15. Ne vero in his diutius immorari videar, his omnibus omissis id jam dicam quod est omnium simplicissimum. Si nulli unquam post clades acceptas revocatis viribus victores hostes superarunt, ne nobis quidem bellum gerentibus victoriæ spes proposita esse debet: sin autem sæpe usuvenit ut et qui majores copias haberent ab imbecillioribus vincerentur et qui urbem circumsederant ab obsessis interirent, quid miri erit, si etiam harum rerum status aliquantum mutabitur?

16. Ac de nostra quidem republica nihil tale habeo dicere; nam superioribus temporibus nulli qui nobis essent fortiores in nostros agros invaserunt: alii quidem populi permulta nobis exempla suppeditant. Sed primum videamus Athenienses; quos apud Græcos in crimen ex eo venisse constat, quod aliis imperarent, quum autem iidem injurios ulciscerentur, a mortalibus omnibus gloriam consecutos. Quod si vetera pericula, quæ in bellis adversus Amazones aut Thraces aut Peloponnenses gestis adierunt quum Eurystheus in eorum agrum duxisset exercitum, recensuero, obsoleta fortassis et nimium a præsentibus rebus remota commemorare videbor: in Persico autem bello quis nescit post quæ mala quam sint felicitatem adepti? Nam soli eorum qui extra Peloponnesum habitant, quum barbarorum copias sustineri non posse cernerent, de imperatis faciendis sibi deliberandum esse non censuerunt, sed urbem eversam quam servitute oppressam videre statim maluerunt. Relicta igitur natali terra [et urbe] (nam patriam illi quidem libertatem censebant), periculorum societate nobiscum inita, tantam mutationem effecerunt ut, quum paucos dies suis rebus caruissent, per multos annos aliis imperarint.

17. Neque vero quanta bona pariat ulciscendi hostes audacia, hujus urbis tantum sed etiam Dionysii tyranni exemplo demonstratur, qui obsidione clausus a Carthaginiensibus, quum nullas pes

salutis esset in propatulo (nam et ab hostibus premebatur, et civibus invisus erat), fuga salutem quærere decreverat; quum autem quidam e familiaribus ausus fuisset dicere honestissimam sepulturam esse imperium, improbato turpi fugæ consilio belloque repetito, non modo ingentem hostium numerum cecidit, sed et dominationem in cives suam confirmavit, et potentiam pristinam plurimum auxit, et vitam in imperio exegit, et eosdem honores eandemque potestatem, quibus ipse fuerat usus, filio reliquit.

18. Similia his et Amyntas Macedonum rex fecit. Victus enim prælio a vicinis barbaris amissaque tota Macedonia, primum de regno deserendo cogitavit ut vitam conservaret, deinde quum audisset a quodam illud laudari quod Dionysio dictum fuerat, mutata ut ille sententia, parvum quoddam castellum occupavit et hinc accersitis auxiliis trimestri spatio Macedoniam universam recepit, et in regia dignitate senio confectus decessit.

19. Quod si omnia talia facta conquirenda sint, et ego dicendo et audiendo vos defatigaremini: nam si vel ea quæ Thebano bello acciderunt recordemur, fieri quidem non poterit quin calamitate nostra doleamus, sed iidem etiam de cætero spem concipiemus meliorem. Quum enim ausi essent illi nostras impressiones et minas sustinere, ita fortuna res eorum mutavit, ut qui ante nobis paruissent jam nobis imperandi potestatem sibi arrogent.

20. Qui igitur tantas mutationes accidisse videt, in nostris autem rebus nullas fore putat, non satis est consideratus: sed et præsentia æquis animis ferenda sunt et de futuris bene sperandum; constat enim a civitatibus tales casus, si domi consilium et disciplina, foris arma et peritia rei militaris vigeant, emendari. Neque vero quisquam refragabitur, quin et scientia bellicæ rei præstemus, et apud nos solos talis respublica sit qualem esse decet. Quæ quum ita sint, fieri omnino nequit quin feliciores futuri simus iis quibus neutrum horum magnæ curæ fuit.

21. At quidam in bellum invehuntur, ejusque perfidiam accusant, argumentis utentes cum aliis tum iis ipsis quæ nobis acciderunt, seque mirari dictitant quenquam esse qui rei tam sævæ ac temerariæ fidem habendam censeat.

22. Ego vero novi multos qui sibi magnam bello felicitatem pepererunt, multos item qui eadem pace amiserunt: nihil enim rerum talium per se omnino vel malum est vel bonum, sed ut quisque rebus atque occasionibus utitur, ita necesse est eventus consimiles inde consequi. Est autem felicibus expetenda pax; nam eo statu parta bona diutissime conservantur: calamitosis vero ad gerendum bellum animus adjiciendus; nam tumultu bellico et innovatione afflictæ res celerius eriguntur. Quorum ego vereor ne contrarium facere videamur: nam quum delicate nobis vivere lice-

ret, plura quam oportebat bella gerebamus; nunc necessitate periculi subeundi urgente, otium expetimus et de securitate consultamus. Atqui cupidis libertatis fœdera cum mandato conjuncta fugienda sunt, parum enim differunt a servitute; tum vero demum de conditionibus agendum, quum aut hostium copias vicerint aut suum robur illorum viribus æquarint: nam talem quidem omnes pacem habituri sunt, qualem belli finem fecerint.

23. Hæc cogitanda nobis sunt, neque committendum ut temere nos in turpes pactiones conjiciamus aut pejus de patria quam de aliis solemus mereamini. Sed illud recordandum, superiori tempore quum e sociis civitatibus alicui circumsessæ vel unus Lacedæmonius opem tulisset, fuisse neminem qui dubitaret quin ea per illum conservata esset. Ac talium virorum permulti a senioribus commemorantur, celeberrimos autem et ego referre possum. Pedaritus enim Chium profectus urbem conservavit: Brasidas Amphipolim ingressus, et instructa ex paucis eorum qui obsidebantur acie, multos qui obsidebant prælio vicit: Gylippus Syracusanis auxiliatus non illos solum conservavit, sed copias hostium etiam terra mariquo superiores in potestatem suam redegit universas. Quid vero dictu fœdius est quam quum olim singuli nostrum alienas civitates tueri potuerint, nunc universos de nostra patria defendenda dubitare ac ne conari quidem? quum bellis pro aliorum salute gerendis et Asiam et Europam trophæis repleverimus, pro patria, quæ tam insigni non injuria sed contumelia afficitur, nullum prælium aliquo nomine dignum commisisse? quum aliæ civitates nostri tuendi imperii causa extremas obsidiones tolerarint, nos ipsos, ne quid præter jus et æquum facere cogamur, eo esse animo ut ne parvum quidem incommodum ferendum nobis arbitremur? quum insignes equos alamus etiam nunc, pacem ita facere ut qui extrema necessitate conflictantur omniumque rerum inopia laborant?

24. Illud autem omnium indignissimum est, quod qui tolerantissimi laborum inter omnes Græcos habiti sumus, his de rebus segnius quam cæteri deliberamus. Quos enim novimus quorum vel mentio facienda est, qui semel victi unaque impressione facta adeo effœminate receperunt eos imperata facturos esse omnia? Quo pacto tales diuturnam calamitatem tolerarent? Quum Messenii vigiati annos in hac regione obsessi fuerint, qui nos non reprehenderent, si tam celeriter per pactiones ea urbe cederemus, ne majorum quidem memores, et quam illi multis laboribus et periculis paraverunt, eam nos adducti verbis amitteremus?

25. Quibus omnibus nonnulli neglectis, nullaque multiplicis dedecoris habita ratione, talia consulunt vobis, qualia reipub. nostræ contumeliosa futura sunt. Ac tam cupide vos ad Messenam tradendam hortantur, ut et nostræ urbis imbecillitatem et hostium

potentiam commemorare non dubitarint, et adversarios respondere sibi jubeant, quibus auxiliis freti belli suscipiendi auctores simus.

26. Ego vero nullum majus et firmius auxilium esse arbitror quam justa agere — consentaneum enim est etiam deorum immortalium benevolentiam his non defuturam, siquidem e præteritis conjectura futurorum capienda est —, præter hoc quam rempublicam bene administrare et temperanter vivere et cum hostibus pugnare velle et nihil horrendum magis esse ducere quam male audire a suis: quæ omnia nostri moris sunt magis quam ullorum mortalium. Quales ego malim belli socios habere quam infinitam turbam aliorum: nam majores quoque nostros hanc regionem occupasse scio, non multitudine fretos sed iis quas recensui virtutibus. Quare non eo hostes formidare, quod multi sunt, sed multo magis ea re freti esse debemus, quum nos ita videmus tulisse calamitates ut nulli alii tulerunt unquam, et leges moresque majorum conservasse, quum isti prosperam fortunam ferre non possint et in maxima perturbatione versentur, ac alii socias urbes occupent, alii illis adversentur, alii de finibus cum vicinis ambigant, alii invicem invideant potius quam nobiscum bellum gerant. Unde miror eos qui majora præsidia requirunt iis quæ delicta hostium suppeditant. [Hæc ipsa nos juvabunt.]

27. Quod si de externis etiam auxiliis dicendum est, multos futuros esse opinor qui nos salvos atque incolumes esse velint. Athenienses enim, etiamsi non per omnia nobiscum faciant, salutis tamen nostræ causa quidvis facturos esse novi: deinde cæterarum urbium nonnullas non minus nostris commodis quam suis consulturas: præterea neque Dionysius tyrannus neque Ægyptiorum rex neque alii Asiæ principes, quoad unusquisque valet, suis opibus et auxiliis nobis defuturi sunt: Græcorum denique locupletissimi et celeberrimi et optimarum rerum studiosissimi quique, etsi nobiscum se nondum conjunxerunt, at benevolentia sunt nobiscum, in quibus de cætero magna spes nobis debet esse.

28. Existimo etiam cæteram turbam Peloponnensem et populum, quem opinamur nobiscum potissimum bellare, nostram curam hoc tempore desiderare. Nihil enim e defectione talè sunt consecuti quale exspectarant; nam, dum libertatem petunt, servitute sunt oppressi — amissis enim suorum optimis in potestatem pessimorum civium ceciderunt —, dum suis legibus uti student, in multa et acerba contraria legibus inciderunt. Quum hactenus nobiscum aliis inferre bella consueverint, nunc ab aliis oppugnantur, et seditiones, quas prius apud alios esse audiebant, nunc apud semetipsos singulis fere diebus cooriri vident. Sic denique malis domiti sunt, ut nec dijudicare possint quinam sint inter ipsos calamitosissimi. Nulla enim urbs non afflicta est, nulla cui a vicinis pericula non im-

mineant: itaque et agri vastati sunt, et civitates eversæ, et privatæ ædes desolatæ, et inversæ respublicæ et leges abrogatæ, quibus dum utebantur felicissimi Græcorum fuerunt. Status autem suarum sibi rerum tam infidus ac adversus est, ut cives suos magis quam hostes metuant; et tantum abest ut secum in gratiam redierint et facultates invicem communicarint, ut a congressibus omnique humanitate abhorreant, atque ii qui rem habent pecuniam in mare demergere mallent quam indigentibus impertiri, et tenuiores a locupletioribus eripere quam forte fortuna invenire magis optent: sacris abrogatis in aris sese mactant; et nunc plures unius urbis exsules sunt quam antehac totius Peloponnesi. Et quum tot mala enumerata sint, plura prætermisimus quam recensuimus: nihil enim duri aut acerbi dici potest quod non ibi concurrerit. Quorum quia jam alios cepit, alios brevi satietas capiet: aliquod iis malis remedium invenire studebunt. Neque enim putare debetis fore ut in istis rebus acquiescant: nam quos secundæ res fatigarunt, adversas longo tempore qui tolerabunt? Quare non tantum si pugnando vicerimus, sed etiam si quieti exspectaverimus, eos mutata sententia videbitis suam salutem in nostra societate collocaturos. Et quæ sperem hæc sunt.

29. Tantum autem abest ut aliquid eorum quæ imperantur facere velim, ut, si nihil horum fieret neque ulla nobis auxilia præsto essent, Græcorumque alii nos læderent alii negligerent, ne sic quidem de sententia decederem, sed omnia pericula belli potius exspectarem quam ad tam turpes pactiones descenderem. Nam utriusque rei me puderet, sive majores damnaremus, quasi per injuriam Messeniis agros ademissent, sive nos, si illi recte et convenienter tenuissent, præter jus et æquum quicquam de illis concederemus. Quorum neutrum faciendum est, sed id spectandum ut pro dignitate nostra bellum administremus, neque eos qui urbem nostram celebrant mendacii arguamus: ita quidem gerere nos debemus, ut illi magnitudinem laudum nostrarum non videantur assecuti.

30. Equidem existimo graviora his malis non esse metuenda, sed hostes ea et deliberaturos et acturos esse quibus nos erigent: quod si spe frustrati et ab omni parte circumventi fuerimus ac ne urbem quidem amplius tueri potuerimus, difficilia quidem sunt quæ dicam, sed dicam tamen et libere aperteque dicam. Etenim honestius est ea prædicari apud exteros Græcos, nostraque virtute dignius, quam ea quæ nobis quidam suadent.

31. Sic enim censeo: parentes nostros cum uxoribus et liberis et reliquam bello inutilem turbam e civitate mittendam esse, et ex his alios in Siciliam, alios in Italiam, alios Cyrenen, alios in Asiam — quos hi omnes libentes suscipient et agro amplo assignando et cæteris ad victum necessariis rebus suppeditandis, alii ut gratum

nobis referant bene de se meritis, alii spe utile sibi futurum si qua in nos beneficia collocarint —, cæteris autem qui pugnare et volent et poterunt deserenda erit et urbs et aliæ possessiones, iis tantum exceptis quæ ipsi nobiscum auferre poterimus; occupandum deinde castellum aliquod quam firmissimum erit et ad gerendum bellum maxime opportunum, ut terra marique hostes spoliemus et infestemus tantisper dum eos pœniteat nostra sibi vendicasse. Quæ si abjecta omni cunctatione ausi fuerimus, eos qui nunc superbe imperant ultro nobis supplicantes videbitis ut Messenam recipiamus et pacis conditiones accipiamus.

32. Quæ enim Peloponnesi civitas tale sustinebit bellum, quale si vos volueritis futurum esse consentaneum est? Qui non exhorrescent et expavescent tales copias constitutas, quæ quidem et hoc modo se compararint, et harum rerum auctoribus non injuria irascantur, et mori tutum putent? et, quod ad aliarum rerum vacationem attinet soliusque bellicæ rei occupationem, conductitiis militibus similes sint? cæterum, si fortitudo et instituta vetera spectentur, tales quales ex universo humano genere colligi nequeant? præterea-que nullum certum vitæ institutum teneant, sed et sub dio agere et passim oberrare et arma circumferre possint, facileque vicini fieri quibus voluerint, et omnia loca bello opportuna patriam judicent? Equidem puto, si sermones hi tantum in Græcia dicantur et spargantur, hostes nostros in maxima perturbatione futuros, multoque in majore, si ea quæ decreta fuerint re ipsa præstare cogemur. Nam quo animo futuri sunt, si a nobis cladibus affici poterunt, nocere nobis vicissim non poterunt? Si suas quidem urbes obsideri, nostræ vero eam esse rationem videbunt ut ab omni oppugnationis periculo sit immunis? Præterea nobis cum ex nostris rebus tum ex manubiis victum fore facilem et expeditum, sibi vero difficilem et impeditum, quod alia res est, talem exercitum alere, atque oppidanas turbas sustentare? Jam quid acerbius illis accidere poterit, quam si nostros domesticos audierint amplis opibus florere, suos autem quotidie viderint fame laborare, ac ne opem quidem eis ferre poterunt? nam sive agros colere instituerint, etiam sementis jacturam facient, sive terram jacere incultam patientur, statim unde vivant non habebunt.

33. At enim fortasse coactis in unum copiis et communi expeditione suscepta persequentur, et nos nocere sibi prohibebunt. Et quid optabilius nobis esse queat quam ut congressi comminus in aciem descendant, et iisdem difficultatibus circumventi quibus nos, castra locent homines illi incompositi et ex colluvione quadam conflati et multis utentes imperatoribus? Nullo mediusfidius labore nobis tota res constabit, sed quamprimum eos cogemus non quum illis sed quum nobis opportunum erit dimicare.

34. Dies me defecerit, si quanto nos meliore conditione futuri simus explicare aggrediar. Illud certe quidem inter omnes constat, nos reliquis Græcis antecellere non magnitudine urbis nec multitudine virorum, sed eo quod nostra respublica exercitui similis est bene constituto et parere ducibus volenti. Quod si id repræsentabimus cujus simulacrum quoddam ita nobis profuit, quis dubitet quin hostibus superiores facile futuri simus?

35. Nec enim ignoramus eos etiam qui hanc urbem condiderunt, exiguo in Peloponnesum ducto exercitu multas et magnas urbes obtinuisse. Præclarum igitur fuerit nos majores nostros imitari, et ad principium regressos, quoniam impegimus, dare operam ut pristinam dignitatem ac imperium recuperemus. Omnium profecto indignissimum nobis faerit, salutem nostram non persuadere nobis urbem hanc ut relinquamus, quam sciamus Athenienses pro libertate Græciæ patriam suam deseruisse, et, quum aliis exemplum præbere debeamus hujusmodi facinorum, ne imitari quidem velle res illorum gestas. Multo magis etiam ridiculum est, quum Phocenses magni regis dominationem fugientes, relicta Asia Massiliam se contulerint, nos tam abjectis esse animis ut illis parere velimus quibus perpetuo imperavimus.

36. Neque vero animis nostris illa dies obversari usque adeo debet, qua carissimi quique a nobis segregandi erunt, sed illuc respicere debemus, fore tempus quo victis hostibus atque urbe in integrum restituta et domesticos nostros recipiamus, et omnibus probemus nos et nunc nullo nostro merito fuisse calamitosos, et superiori tempore non immerito principatum nobis vendicasse. Sic autem se res habet. Hæc quæ dixi non sic accipienda sunt, quasi ea mox fieri velim aut rebus aliter consuli nequeat, sed ut animos vestros quasi præpararem, ut sentiretis et has calamitates et longe his acerbiores vobis potius sustinendas esse, quam ad talem de Messena conditionem qualem illi præscribunt descendendum.

37. Neque vero ad bellum tanto studio vos hortarer, ni prospicerem ex his quæ ego dico pacem firmiorem fore, ex illis vero quæ alii suadent, non solum cum turpitudine conjunctam, verum etiam minime diuturnam. Etenim si Helotas juxta collocaverimus et hanc urbem auctam siverimus, quis non videt, nos in perpetuis tumultibus et periculis futuros esse? Qui igitur de securitate disputant, illi non animadvertunt se paucorum dierum pacem bello perpetuo redempturos.

38. Ego vero ex eis audire cupio pro quibus rebus in acie putent mortem nobis oppetendam. Non quum nobis hostes injusta imperant? non quum agrum eripiunt servosque nostros manumittunt? quum in ea terra collocant illos quam nobis patres reliquerunt? quum nos non tantum nostris opibus spoliant, sed etiam præter alia

mala contumeliis afficiunt? Ego vero harum rerum causa non bellum tantum, sed et exsilia et mortes nobis esse perpetiendas arbitror. Longe enim præstat in ea laude et gloria qua floremus emori, quam vivere cum dedecore quod perpetiemur si Thebanorum imperata faciemus. Quod si nihil dissimulandum est planeque dicendum, præstiterit nos deleri quam ab hostibus derideri. Quos enim tantis ornatos fuisse honoribus animorumque magnitudine constat, eos aut principes esse Græciæ oportet, aut prorsus non esse, modo incolumi dignitate, et vita honeste perfusa.

39. Hæc igitur animis versanda sunt abjecta nimia vitæ cupiditate, neque sociorum sententiis temere assentiendum, quorum nos duces antehac fuimus, quin ipsi potius re considerata non quod illis erit expeditissimum, sed quod et Lacedæmone et egregiis nostris facinoribus dignum erit, eligamus. Nam iisdem de rebus non eodem modo est deliberandum omnibus, sed pro eo, ut quique suarum actionum fundamenta jecerunt. Epidauriis quidem et Phliasiis et Corinthiis nemo vitio verterit, si nulla alia re sollicitentur nisi de vita quocunque modo conservanda et propaganda: Lacedæmonios vero instituta majorum salutis sine dignitate rationem habere non sinunt; quod si honesta incolumes esse nequimus, mors potius nobis oppetenda est. Nam qui virtutis studio ducuntur, iis nihil æque providendum est atque illud, ne quid turpe admisisse videantur. Civitatum porro ignavia e talibus consiliis non minus elucet quam e periculis bellicis. In quibus eorum quæ fiunt maximam fortuna sibi partem vendicat, quod vero hic deliberatur signum et nota est ipsorum animorum. Quare nihilo minore cura et sollicitudine ea quæ hic decernuntur, animadvertenda sunt, quam præliorum contentiones.

40. Equidem miror esse qui quum ad privatam existimationem tuendam mori non dubitent, de communi non eodem modo sentiant, pro qua nihil periculi recusandum erat, ne quod respublica dedecus susciperet, aut præsidium, in quo a parentibus locata est, desereret. Quum autem multæ res sint multaque pericula quæ nos urgeant atque effugienda sint, illud maxime cavendum est, nequid molliter et effœminate facere aut hostibus de jure nostro cedere videamur. Turpe profecto fuerit eos imperata facientes conspici qui principatum Græciæ tenuerunt, et a virtute majorum tantum degenerasse, ut quum illi quo aliis imperarent mortem oppetere non recusarint, nos ad servitutem effugiendam adire pericula non audere.

41. Pudere nos etiam debet et Olympiæ et aliorum celebrium conventuum, in quibus unusquisque nostrum præclarior et admirabilior est habitus quam pugiles in certaminibus victores. Quis enim ausurus ad eas celebritates accedere, ita nunc contemnendus

ut antea honoratus, ita nunc futurus conspicuus ob ignaviam ut antea ob virtutem illustris, quin et visurus servos nostros ex regione nobis relicta a patribus majores quam nos primitias et victimas offerre, eosdemque auditurus talibus in nos uti convitiis, qualia iis in promptu fore credibile est qui, quum duriorem quam alii servierint servitutem, nunc æquo jure cum dominis pacta fecerint: quæ unusquisque nostrum ita doleret, ut dicendo id mortalium consequi nemo queat. Hisce de rebus nunc consultandum est, et non tum graviter ferendum quum quiritari nihil proderit; nunc potius advigilare decet ne querela dignum aliquid eveniat. Quam enim turpe est, quum antehac ne ingenuos quidem exæquari nobiscum passi fuerimus, nunc servorum etiam in loquendo licentiam tolerare. Nam superiorum temporum acta insolentiæ nostræ tribuentur, qui, quum ingeniis nihil alios excelleremus, pertinacia et fastu non vera gravitate simus usi. Ne quam igitur ansam præbeamus nostris obtrectatoribus, sed eorum maledicentiam factis refutemus, ut nos majorum vestigiis religiose appareat institisse.

42. Recordamini qui ad Dipæam adversus Arcades dimicarunt, quos aiunt ita instructa acie ut phalanx uno viro densior non esset in fugam multa millia vertisse, et trecentorum illorum qui ad Thyreas Argivos universos superarunt, et mille virorum qui in Thermopylis cum septies centenis barbarorum millibus congressi neque terga verterunt neque victi sunt, sed quo in gradu collocati fuerant in eo oppetierunt, itaque se gesserunt, ut qui arte res gestas ornare solent nullas illorum virtutibus laudes æquare possint. Hæc igitur omnia cogitatione complexi bellum fortius administremus, neque exspectemus dum alii malis nostris medicinam adhibeant, sed quæ nobis ipsis evenere, eadem ipsi etiam propulsare studeamus. Præstantes porro viros talibus temporibus excellere decet: nam secundæ quidem res etiam ignavorum hominum vitia contegunt, adversæ autem quales quique sint statim ostendunt: in his igitur demonstrandum est, si quid nos aliis rectius educati et instructi sumus ad virtutem.

43. Neque vero desperandum est ex iis quæ nunc adsunt fore ut aliqua contingant quæ necesse sunt. Neque enim ignoratis, opinor, multa jam talia accidisse, quæ initio quidem in malis omnes numerarent et eorum quibus illa usuvenerant vicem dolerent, quum ea post maximorum bonorum causas fuisse intelligerent. Et quid opus est exemplis longe accersitis? quum nunc etiam principes quidem urbes, Atheniensium inquam et Thebanorum, non pace ad tantam magnitudinem pervenisse, sed ex belli calamitatibus pristinam dignitatem recuperasse videamus; unde altera principatum Græcum tenet, altera tanta in præsentia facta est quantam eam fore nemo unquam credidisset. Neque enim ignavum otium magnam gloriam

celebritatemque parit, sed ingentia certamina suscipienda, magna pericula illis adeunda sunt qui gloriæ splendorem expetiverunt: Quarum rerum cupiditate, neque corporibus nostris neque vitæ neque cæteris omnibus quæ habemus parcendum est. Nam si virtuti nostræ fortuna faverit ut rempublicam in pristinum amissæ dignitatis gradum restituamus, tum veterum laudes superabimus, tum posteris nihil quo gloria nobis fortitudinis antecellant reliqui faciemus, tum pro dignitate rerum gestarum nemo nos poterit celebrare. Sed nec illud ignorare debetis, multos erectos atque alacres exspectare quid in hoc concilio statuatur. Proinde sibi quisque apud animum suum proponat, se quasi in communi Græciæ theatro specimen ingenii animique sui præbiturum.

44. Neque vero multiplex est his de rebus deliberandi ratio. Nam si ob jus nostrum tuendum oppetere mortem voluerimus, non tantum laude et gloria, sed etiam securitate in posterum fruemur: sin pericula metuerimus, multis turbis ipsi nos implicabimus. Itaque alios alii cohortati patriæ nutricationis mercedem persolvamus, neque Lacedæmonem contumeliose tractari et contemni patiamur, neque spem et exspectationem eorum qui nobis bene cupiunt frustremur, neque vitam pluris æstimemus quam gloriam celebritatem que apud omnes homines obtinere, cogitantes quod præclarius est mortale et fragile corpus cum immortali gloria commutare, et animæ, cujus possessio paucorum annorum est, talem laudem et nomen comparare quo omnis nostra posteritas perfruatur, multo quidem melius, quam exigui temporis cupidi magno dedecore nosmet ipsos operire. Arbitror autem vos non alia ratione ad bellum suscipiendum incendi magis et inflammari posse, quam si animis intueamini tanquam adstantes parentes liberosque vestros, quorum illi hortentur ne turpem nomini Spartano aut legibus in quibus educati sumus aut pugnis sua ætate commissis notam inuratis, hi autem provinciam quam majores reliquerunt reposcant, et potentiam ac principatum Græciæ quem ipsi a patribus acceperimus: quid vero? num dicere poterimus vel hos vel illos iniqua postulare?

45. Quid multis opus est? Hoc unum dicam: quum hæc civitas plurimis bellis et periculis sit conflictata, nunquam hostes tropheum de nobis erexerunt duce rege e nostra familia. Prudentium autem virorum est, quibus ducibus in bellis victoria potiuntur, iis etiam quum bella suscipienda suadent potius quam aliis obtemperare.

ISOCRATIS

AREOPAGITICA.

ARGUMENTUM

E DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quis lecta oratione Areopagitica non modestior fieret? Quis institutum oratoris non laudet? qui apud Athenienses de reipublicæ forma disputare non dubitarit, et auctor esse ut democratia quæ tum usitata erat tanquam civitati perniciosa mutaretur, quæ de re magistratuum nemo referre instituebat, videbat enim Isocrates eam ita esse prolapsam et perturbatam ut jam nec a magistratibus privati coerceri possent, sed unusquisque cum diceret tum faceret quicquid collibitum esset, ac omnes importunam confidentiam libertatem popularem esse ducerent: suadet igitur ut a Solone et Clisthene constituta respubl. veluti postliminio revocetur. Cujus naturam et institutа recensens, ait illa ætate gravius existimatum esse dicendo adversari natu majoribus quam ordines deserere, democratiam eos judicasse non in petulantia et protervitate sed in moderatione et temperantia consistere, libertatem posuisse non in contemptu magistratuum sed imperatis faciendis, potestatem improbo nemini permisisse, sed spectatissimis viris mandasse magistratus, quod existimarent tales fore cæteros cives quales essent gubernatores civitatis, tantum vero abfuisse ut peculata rem familiarem amplificarent ut suas opes in reipubl. utilitatem effunderent. Præterea patribus majori curæ fuisse filios jam adultos quam pueros, quod adolescentiæ modestiam plus prodesse reipubl. putarent quam puerilem institutionem, et recta studia præstare legum accuratæ constitutioni; inque id eos incubuisse, non ut supplicils delinquentes coercerent, sed ut ne quid pœna dignum ab ullo committeretur, existimantes patriam quidem auctoritate magna florere, privatis autem licere nihil quod legibus interdictum esset oportere, sed eis et pericula subeunda et res adversas infractis animis esse perferendas.

1. Multos ego vestrum mirari puto quidnam in mentem mihi veniat ut indicto concilio providendum esse moneam ne quid respublica detrimenti capiat, quasi ea vel bellis urgeatur vel rebus dubiis conflictetur, quum et triremes amplius ducentas possideat, et agrum pacatum habeat et maris imperium teneat, et societate munita sit, tum multorum qui si res postulet alacriter nos adjuvent, tum longe plurium qui et tributa pendant et imperata exsequantur: quæ quum ita sint, nos quidem dixerit aliquis non immerito magnis esse animis, ut qui longe a periculis absimus, hostes autem nostros causas habere timoris ac saluti suæ consulere oportere.

2. Tametsi autem non ignoro vos ista cogitantes et denuntiationem meam contemnere, et sperare his copiis totius Græciæ potitu-

ros: mihi tamen hæc ipsa metum incutiunt, quippe qui videam florentissimas ut sibi persuaserunt civitates pessimis uti consiliis et eas quæ securissimæ sunt plurimis periculis circumveniri. In causa illud est, quod neque secundæ nec adversæ res ullæ mortalibus solæ contingunt, sed ita comparatum est ut opes et potentiam dementia et cum hac immodestia comitetur, inopiam autem et humilitatem prudentia et moderatio. Quare difficile judicatu est, utra istarum partium præoptanda sit, quam liberis quispiam suis relictam a se velit. Siquidem ex ea quæ deterior habetur res plerunque videmus incrementa sumere felicitatis, ex altera vero quæ præstantior putatur recidere solere in deterius. Quarum rerum exempla mihi præ manu sunt, plurima quidem ex privatis rebus ductis — eæ enim frequentissimis obnoxiæ mutationibus sunt —, verum enimvero majora et auditoribus evidentiora casus nostri et Lacedæmoniorum.

3. Nam et nos eversa urbe a barbaris ob cautam et diligentem rerum administrationem principes Græcorum evasimus, quum autem nos potentia esse præditos insuperabili putaremus, urbis excidium vix evitavimus: et Lacedæmonii ex ignobilibus olim et obscuris oppidulis progressi vitæ modestia et disciplina militari Peloponnesum subegerunt, post autem fastu et superbia elati et terræ marisque imperium adepti eadem quæ nos discrimina subierunt. Quisquis igitur hujusmodi mutationes non ignorat et, quum tantas opes tam subito eversas videat, præsenti statui tamen fidit, valde incogitans est, præsertim quum nostræ urbis res deteriore loco sint quam illo tempore, tum Græcorum odiis tum regis Persarum inimicitiis renovatis, quæ tum nos debellarunt.

4. Sum equidem animi dubius utrum existimem nulla vos affici reipublicæ cura, an, quum eam curetis, non tamen animadvertere in quantis turbis civitas nostra versetur. Nam ea rerum vestrarum forma et quasi facies est, ut et urbes Thracias omnes amisisse, et ultra mille talenta in stipendia militum profudisse, et Græcis suspecti esse et hostes facti barbaro, et Thebanorum amicos servare coacti, et nostros socios perdidisse videamini; ob hæc facta bis jam quasi re bene gesta supplicationes decrevimus, ac negligentius pro concione deliberamus quam ii quibus omnia secundissima acciderunt. Neque vero mirum est nos his tum actionibus tum casibus implicari: nihil enim rite ab ullis perfici potest, nisi de summa reipublicæ recte deliberarint; etsi enim nonnulla successerint seu fortuito seu virtute viri alicujus, paulo post tamen in easdem difficultates incurrunt. Id quod e nostris eventibus cernitur.

5. Quum enim universa Græcia post navale Cononis prælium et Timothei imperium in nostræ civitatis potestatem cecidisset, res secundas diutius retinere non potuimus, sed celeriter destruximus eas et dissipavimus. Rempublicam enim qua quicquam recte admi-

nistretur nec habemus nec consequi studemus. Atqui scimus omnes felicitatem potissimum et parare et retinere non eos qui maxima et pulcherrima sibi mœnia circumdederunt, aut qui maximam hominum turbam in locum eundem conduxerunt, sed eos qui suam urbem optime ac modestissime gubernant. Nec enim alia civitatis anima est quam forma reipublicæ, quæ vim eandem habet quam in corpore prudentia. Siquidem hæc est quæ de rebus omnibus deliberet, quæ et res secundas tueatur et calamitates evitet. Ad hanc et leges et oratores et homines privatos semet accommodare, et ea quosque fortuna uti necesse est, qualem habuerint civitatem. Quæ quum depravata sit nihil nos movet, neque de ea corrigenda cogitamus: sed in officinis quidem sedentes statum hunc accusamus, dictitantes in democratia nunquam fuisse rempublicam æque perturbatam, sed si res ipsa nostrique animi spectentur, magis ea delectamur, quam illa quæ nobis a majoribus fuit relicta. De qua ego verba faciam propterea que me huc accessurum denuntiavi.

6. Nam hanc unam rationem invenio qua et imminentia pericula declinentur et mala urgentia removeantur, si eam democratiam revocare voluerimus, quam et Solon quo nemo fuit populi studiosior legibus suis constituit, et Clisthenes tyrannis ejectis populoque in urbem reducto in integrum restituit. Qua nec populariorem nec reipublicæ utiliorem reperiemus. Cujus illud argumentum est maximum: quod qui ea usi sunt, rebus multis præclare gestis et apud omnes maximam adepti gloriam, imperium a Græcis ultro delatum acceperunt; qui autem hanc concupiverunt, omnibus invisi et acerba multa perpessi, excidium et internecionem vix evitarunt. Quis vero eam politiam laudet aut amplectatur, quæ et antehac tot malis causam præbuit, et nunc quotannis præceps subinde fertur in deterius? Annon metuendum est, ne his calamitatum incrementis tandem in acerbiores clades quam olim, incidamus?

7. Ne vero summatim tantum hæc audieritis, sed singulis plane cognitis et rectius his de rebus judicetis et potiora eligatis, vestri quidem officii est me dicentem attente audire, ego vero quam potero brevissime conabor de harum utraque apud vos disserere.

8. Nam, qui civitatem illo tempore gubernabant, rempublicam instituerunt non quæ nomine quidem humanissimo et lenissimo appellaretur, reipsa vero experientibus alia videretur, nec quæ sic cives erudivit ut in petulantia democratiam, in legum neglectu libertatem, in confidentia æqualitatem, et in licentia quidlibet faciendi felicitatem esse positam existimarent, sed, quum tales odissent et punirent, cives universos meliores et modestiores effecerunt. Plurimum autem ad statum felicem civitatis illud eis conferebat, quod quum duo æqualitatis putentur esse genera, quorum alterum idem omnibus alterum singulis pro dignitate tribuit, non ignorarunt utra esset uti-

lior, sed hac æqualitate quæ nullum discrimen inter bonos et improbos facit ut iniqua repudiata, illam quæ pro suo quemque merito et honorat et punit amplexi et in gerenda republ. secuti sunt; nec promiscue omnes ad societatem magistratuum admiserunt, sed optimum quemque et singulis muneribus obeundis aptissimum adhibito judicio prætuleruat. Nam ad eorum exemplum, penes quos summa rerum esset, etiam cæteros se comparaturos sperabant. Deinde populariorem putarunt hanc rationem quam quæ sorte magistratus creat: nam sortitionis gubernatrix fortuna est et sæpe magistratus contingunt paucorum potentiæ studiosis, quum autem integerrimi quique delectu habito potiores ferunt, in populi potestate est eos eligere qui præsentem statum maxime conservatum volunt.

9. Ut autem hæc multitudini placerent nullæque de magistratibus contentiones orirentur, in causa illud erat, quod laboribus et frugalitati assueverant; neque sua negligebant alienis inhiabant, nec e publico rem privatam stabiliebant, sed de suo quisque, quum res postulabat, rempubl. juvabat; nec melius sciebant quos e curia quam quos de suo reditus haberent. Quinetiam a vectigalibus civitatis tantopere abstinebant, ut illis temporibus difficilius esset invenire qui rempubl. capessere vellent quam nunc qui ejus administratione carere possint: nec enim reipublicæ curam negotiationem sed occupationem existimabant, nec a primo statim die computabant an priores magistratus sordidi aliquid lucelli reliquissent, sed multo magis an aliquid neglexissent quod primo quoque tempore conficiendum esset. Denique ut paucis absolvam, ita statuebant oportere populum tanquam dominum constituere magistratus et punire delinquentes et judicare de controversiis, iis autem qui otium agere possent quique haberent unde viverent ita curandam esse rempubliçam tanquam servis, qui si munus suum recte administrassent, laudandos eos esse illo honore contentos, sin male rem gessissent, nullam eis veniam tribuendam, sed mulctas maximas irrogandas. Enimvero quænam aut firmior aut justior democratia invenietur ea, quæ potentissimos quosque summæ rerum præficit, et eorum ipsorum populum dominum constituit?

10. Ac respubl. eorum hoc modo fuit ordinata: unde facile intelligitur, eos etiam in quotidianæ vitæ ratione honestatis ac legum perpetuo fuisse studiosos. Aliter enim fieri non potest quin qui summæ rerum fundamenta rite jecerunt, etiam singulas partes recte quasi exædificent.

11. Ac primum quod ad deos immortales attinet — hinc enim ordiri fas — non inæqualiter non perturbate vel ipsos colebant vel eorum festa celebrabant; nec, quando visum eis esset, boum trecentarum pompam instituebant, alias levi quapiam de causa etiam patria sacra omittebant; neque peregrinas ferias, quibus epulæ

adhibentur, splendide agitabant, in templis autem religiosissimis de locationis reditibus sacrificabant; sed illud accurate observabant, ne a patribus acceptum quicquam vel abrogarent vel ultra consueta adjicerent. Nec enim magnitudine sumptuum religionem metiebantur, sed eorum rituum observatione quos eis majores tradidissent. Quapropter etiam diis mutua eorum cura fuit, ne tempestates temere ac tumultuose errarent, sed ut et ad agros colendos et ad fruges percipiendas accommodatæ essent.

12. Consimilem ad modum etiam inter sese agebant. Nec enim de republ. tantum consentiebant, sed in privata quoque vita sic alios alii curabant, ut cordatos viros decet et communitate patriæ devinctos. Nam et tenuiores cives adeo non invidebant ditioribus, ut æque solliciti essent de magnis familiis ac de suis, existimantes illorum divitias suas esse copias; et locupletes tantum aberat ut despicerent eos qui re minus lauta essent, ut civium inopiam dedecori sibi esse putantes illorum necessitatibus subvenirent, aliis agros colendos mediocri pecunia locando, alios ad negotiationem ablegando, aliis sortem ad alios quæstus suppeditando. Nec enim metuebant ne alterutrum sibi usuveniret, ut vel totius summæ jacturam facerent, vel magnis molestiis partem aliquam feneratæ pecuniæ recuperarent: sed non minus tutam putabant pecuniam aliis mutuo datam, quam domi repositam. Videbant enim de pactis judices non abuti lenitate, sed legibus obtemperare, neque sibi in aliorum periculis delinquendi securitatem præparare, sed magis irasci fraudantibus quam eos ipsos quibus fiebat injuria; nam qui fidem contractuum violarent, eos pauperibus censebant plus nocere quam opulentis; hos enim, si desinerent fenerari, parvis reditibus spoliatum iri, illos, si deessent qui opem ferrent, extrema inopia laboraturos. Itaque quum his animis essent, neque opes suas celabat quisquam neque contrahere cum aliis recusabat, imo libentius videbant eos qui mutuum petebant quam qui reddebant. Utraque enim illis usuveniebant, quæ prudentes homines expetenda censeant, ut simul et civibus prodessent et sua re familiari quæstum facerent. Et quod summum est ac ad civilem consuetudinem aptissimum, ut et possessiones in tuto essent iis qui eas jure tenebant, et usus earum communis civibus omnibus qui indigerent.

13. Fortassis autem erit qui hæc quæ diximus reprehendat, quod actiones illorum temporum laudem, causas autem, propter quas et inter sese tam pacate vixerint et urbem tam præclare gubernarint, non explicem. Ego vero etsi nonnihil ejus quoque generis me dixisse puto, plura tamen et dilucidius his de rebus disserere conabor.

14. Nam illi quidem, non ut puerilis institutionis magnam curam suscipiebant, sic adultis omnem quidvis agendi licentiam dabant,

sed qui jam integra ætate erant diligentius observabantur quam in pueritia. Majores enim nostri modestiæ tantam rationem habuerunt, ut senatum Areopagiticum censuræ morum præfecerint, in quem ordinem admitti nefas erat nisi et honesto loco natos et virtute ac vitæ modestia spectatissimos, quare non mirum est eum senatum universis totius Græciæ conciliis antecelluisse.

15. Quæ autem olim ejus loci ratio fuerit, ex his quæ etiam hodie fiunt intelligitur: quum nunc etiam omnibus de delectu ac probatione prætermissis videamus, qui cæteris in rebus intolerabiles sint, ubi in Areopagum adscenderint, non audere naturæ suæ indulgere, sed illis institutis potius uti quam pravitati suæ immorari. Tantum illi metum improbis injecerunt, ac tam illustre suæ virtutis et modestiæ monumentum in eo loco reliquerunt.

16. Hunc igitur talem, ut dixi, senatum censuræ morum præfecerunt, qui quidem inscitiæ reos egit eos qui ibi præstantissimos viros fore putarent, ubi leges exquisitissimæ haberentur: quod si ita esset, nihil prohibere quominus omnes Græci æquales essent, quum proclive sit leges alios ab aliis exscriptas mutuari. Verum non eam rem virtutis afferre incrementa, sed quotidianæ vitæ consuetudinem: nam plerosque iis moribus similes evadere quibus singuli educati fuerint. Multitudinem autem et accuratiorem legum constitutionem signum esse mali status reipublicæ: nam, dum delicta quasi aggeribus objectis coercere conentur, necessario cumulari leges. Decere autem prudentes magistratus non porticus implere legibus, sed efficere ut cives animis insitum habeant justitiæ studium: non enim senatusconsulta aut plebiscita sed præclara instituta felicem efficere civitatem; nam homines male institutos leges etiam exquisitissimas negligere audere, qui autem recte et bene educati sint, eos demum simplicissimis legibus velle obtemperare. Hæc illi cogitantes non primum spectabant quibus modis immodestos punirent, sed qua ratione cives adduci possent ut ne quid vellent pœna dignum admittere: hoc enim ad se pertinere existimabant, suppliciis infligendis invigilare hostium esse.

17. Curabant igitur cum omnes cives, tum vero adolescentes in primis. Videbant enim eam ætatem turbulentissimis affectibus agitari et plurimis redundare cupiditatibus, maximeque necessarium esse ita illam institui ut honestis studiis et temperatis voluptate laboribus gauderet: eos enim qui liberaliter educati et magnitudini animorum assuefacti essent, in solis illis rebus perseveraturos. Universis porro easdem exercitationes præscribere in tanta rei familiaris inæqualitate non potuerunt: sed ut singulorum facultates ferebant, ita singulis præcipiebant. Nam tenuiores ad agriculturam et negotiationes deducebant, non ignari et inopiæ causam esse pigritiam et ad facinus inopia plerosque impelli; quare fonte

malorum sublato etiam cætera delicta quæ inde velut ebullirent censebant posse præcaveri: locupletes autem animum ad rem equestrem, ad gymnasia, ad venationes et philosophiam adjungere cogebant; hoc enim eam vim habere perspiciebant, ut alii virtutibus excellerent, alii flagitiis plurimis abstinerent.

18. Neque contenti solas leges tulisse de cætero negligentes erant, sed civitate in tribus, agro in municipia distributo, uniuscujusque vitam spectabant et immodestos in senatum ducebant: is vero alios monebat, aliis minitabatur, alios ut par erat puniebat. Duas enim sciebant esse rationes quæ et ad injurias ineitarent et a sceleribus revocarent: nam apud quos nemo studium habeat flagitia vel cavendi vel puniendi, ubi nulla severa judicia exerceantur, ibi etiam bona ingenia corrumpi; ubi autem delinquentes neque facile delitescant neque convicti veniæ spem habeant, ibi demum naturæ morumque pravitatem paulatim aboleri. Illi igitur his cognitis utraque re cives in officio continebant et pœna et diligentia: tantum enim aberat ut laterent eos hi qui deliquissent, ut ante animadverterent quosnam verisimile esset peccaturos esse. Quare non in lustris adolescentes aleam ludebant, nec versabantur apud tibicinas, aut in hujusmodi conventiculis in quibus nunc totos dies conterunt: sed iis studiis immorabantur quibus erant destinati, et qui principem in illis locum tenebant, eos admirabantur et æmulabantur. Forum autem ita fugiebant, ut si quando transire cogerentur, id magna cum verecundia et modestia facere viderentur. Senioribus vero adversari aut maledicere gravius esse putabant quam nunc parentes violare. Jam in caupona edere aut bibere nemo ne frugi quidem servus audebat: gravitati enim, sed non scurrilitati, studebant. Et homines dicaces et ad irridendum paratos, quos nunc facetos vocant, illi calamitosos judicabant.

19. Neque vero me quisquam existimet iratum esse isti ætati. Neque enim quicquam harum rerum adolescentibus est imputandum, et plurimos eorum scio ista ratione minime delectari, qua impune licet tam petulanter agitare: quare iniquum fuerit eis succensere, sed illi potius accusandi sunt qui paulo ante nos rempublicam gesserunt. Isti sunt qui huic licentiæ fenestram fracta senatus auctoritate patefecerunt.

20. Penes quem dum summa rerum esset, non accusationibus, non criminationibus, non exactionibus, non paupertate, neque bellis civitas redundabat, sed cives et inter se concordes et tranquilli erant et cum aliis universis pacate vivebant. Præbebant enim se et Græcis fideles et barbaris formidabiles. Nam illos quidem conservarant, hos autem sic ulti erant, ut bene secum agi putarent si nullis præterea malis afficerentur. Unde etiam factum est ut in magna securitate degerent, et pulcriora ac sumptuosiora essent ædificia et apparatus in

agris quam intra mœnia, multique civium nec in solennibus festis in urbem descenderent, sed sua re familiari quam publicis spectaculis frui mallent. Nec enim illa quorum gratia venissent aliquia, luxuriose aut superbe, sed cordate instruebant. Neque felicitatem pomparum aut ædilitiorum munerum contentionibus aut simili quapiam insolentia metiebantur, sed quotidianæ vitæ modestia et tali rerum necessariarum copia ut ne qui cives egerent. Quibus a rebus æstimandi sunt vere felices et non importune gerentes rempublicam: nam quis quæso vir prudens est ut nunc quidem res habet, quem hic status non magno dolore afficiat? quum viderit civium quosdam, an ipsi habituri sint ad victum necessaria necne, ante prætoria sortem ducere, et e Græcis eos qui remos agere voluerint ali jubere, in aureis vestimentis saltare, inque talibus hybernare qualia ego dicere nolo: sicut et alia multa prætereo, quæ inter sese minime consentiant in hac gubernatione ac magnum dedecus reipublicæ imprimunt.

21. Quarum rerum illo senatu nihil erat: levabat enim is inopia tenuiores, negotiationibus et locupletum adjumentis, juventutis intemperantiam honestis institutis et acri animadversione coercebat, magistratuum avaritiæ frenos injiciebat supplicüs et indagatione solerti injuriarum, senibus animi dejectionem excutiebat honoribus gerendorum magistratuum et adolescentum observantia. Quæ igitur per deos immortales respublica melius constitui queat ea quæ rerum omnium curam tam diligentem suscepit?

22. Ac instituta quidem illius ætatis plerasque recensuimus: si quæ vero prætermisimus, illorum quoque consimilem fuisse rationem de hisce facile intelligitur.

23. Non defuerunt autem qui audita hac oratione tum me maximis laudibus extulerint, tum majorum nostrorum felicitatem prædicarint qui hanc gerendæ reipublicæ rationem secuti essent, non tamen existimarint vos eam æmulaturos, sed fore ut vi consuetudinis impulsi malitis isto rerum statu acerba complura perpeti quam emendatione reipublicæ vitam degere feliciorem: addebant etiam esse mihi periculum, ne dum optima consulerem infensus plebi et oligarchiæ instituendæ cupidus viderer.

24. Ego vero, si de rebus ignotis et non communibus verba facerem, et ad illas constituendas vos indicto concilio creare consessores aut scribas deligere juberem, per quos antehac popularis status abrogatus est, jure hoc nomine accusarer: nunc tale nihil dixi, sed de gubernatione disserui non occulta sed omnibus manifesta, quam scitis omnes et patriam vobis esse et cum reipublicæ nostræ tum cæteris Græcis plurimas peperisse utilitates, atque etiam ab iis viris sancitam et constitutam, quos nemo est quin omnium civium maxime fuisse populares fateatur. Quare mecum iniquissime ageretur, si talis reipublicæ suasor novarum rerum cupidus existimaver.

Deinde vel ex eo mea mens facile perspicitur; quod e plerisque meis orationibus apparet oligarchias et injustas prærogativas a me vituperatas, æqualitatem vero et democratias laudatas esse, non quidem omnes, sed recte ordinatas, neque id a me factum esse temere aut fortuito, sed jure atque prudenter. Nam et majores nostros ea ratione longe aliis præstitisse, et Lacedæmoniorum ob hoc maxime rempublicam scio florere, quod populari statu maxime utuntur. Nam et in magistratuum creatione et in quotidianæ vitæ consuetudine cæterisque studiis apud eos æquitatem et æqualitatem plus valere videmus quam apud cæteros: quæ quidem instituta uti sunt oligarchiis contraria, sic in bonis democratiis usitata.

25. Quod si rem accurate perpenderimus, clarissimis et maximis civitatibus democratias utiliores oligarchiis esse inveniemus: etenim vel nostram rempublicam, quæ ab omnibus reprehendi solet, si conferatur non cum ea quam modo recensui, sed cum illa quæ triginta tyrannorum temporibus exstitit, nemo erit quin divinitus esse factam arbitretur.

26. Lubet autem, licet ab instituto alienum videri queat, significare et commemorare quantum inter hanc nostram et illam intersit, ne me quis existimet in populi delicta quidem severius inquirere, si quid autem præclare magnificeque ab eo gestum sit, præterire. Erit autem hæc commemoratio neque prolixior nec inutilis audientibus.

27. Nam quum navibus ad Hellespontum amissis illas respublica calamitates accepisset, quis e natu majoribus ignorat eos qui populares vocabantur quidvis perpeti pro tuenda libertate fuisse paratos, atque indignissimum judicasse eam civitatem quæ Græcis imperasset aliorum imperio parere [et hos quidem hostes judicatos], paucorum autem potentiæ studiosos non recusasse quominus et mœnia diruerent et servitutem se traderent? Ac tum quidem, quum summa rerum penes multitudinem esset, nos aliorum arcibus imposuisse præsidia, quum autem Triginta illi rempubl. gererent, ab hostibus nostram arcem occupatam? Illo tempore Lacedæmonios fuisse nostros dominos, postquam vero exsules reversi pro libertate pugnare ausi fuerunt et Conon prælio navali vicit, legatos ab eis venisse qui nostræ civitati maris darent imperium? Jam quis meorum æqualium non meminit, in illa democratia urbem sic exornatam fuisse et templis et sacrificiis, ut qui etiamnum huc adveniunt eam esse dignam censeant non Græciæ tantum sed totius etiam orbis imperio? Triginta vero tyrannos et sacrificia neglexisse, et fana expilasse, et navalia tribus talentis destruenda vendidisse, quæ reipublicæ non minus mille talentis constiterunt? Ac ne clementiam quidem illorum quisquam laudarit magis quam populi. Nam illi quidem ex senatusconsulto summa rerum potiti M et

ccccc cives indicta causa occiderunt, inque Pirœeum amplius quinque millia fugere coegerunt: hi autem consecuti victoriam et armis recuperata patria, non nisi nocentissimis e medio sublatis, suas controversias ea moderatione animorum et æquitate composuerunt, ut qui cæteros ejecerant æquali jure cum iis viverent qui sese ipsi restituissent.

28. Illud certe maximum est et pulcherrimum æquitatis et mansuetudinis populi argumentum: nam iis qui in urbe remanserant talenta c a Lacedæmoniis ad eos obsidendos qui Pirœeum occuparant mutuatis, indicta de reddenda pecunia concione, quum multi æquum esse dicerent ut Lacedæmoniis satisfacerent non ii qui obsidionem tolerassent sed qui mutuo sumpsissent, populus ut communiter ab omnibus solutio fieret decrevit. Enimvero quum his animis essent, in tantam nos concordiam redegerunt et sic rempublicam auxerunt, ut Lacedæmonii, qui in oligarchia singulis fere diebus nobis aliquid imperabant, in democratia supplices orarent ne se [a Thebanis] funditus exscindi pateremur. Ad summam utrisque hoc propositum, hoc constitutum ac deliberatum fuit; ut alteri civibus imperare, hostibus servire vellent, alteri aliis imperare, cum civibus pari et æquo jure vivere studerent.

29. Hæc duabus de causis recensui, primum ut ostenderem me nec oligarchiæ nec ullius injustæ prærogativæ suasorem esse, sed rempublicam justam et modestam desiderare; deinde ut perspiceretur et male constitutas democratias pauciores gignere calamitates, et eas quæ bene administrantur hoc ipso excellere quod et justiores sint et humaniores et civibus jucundiores.

30. Sed aliquis fortasse mirabitur, quid in mentem mihi venerit, qui vobis auctor esse non dubitem ejus reipub. quæ tanta et tam præclara fecerit mutandæ, alias tantopere democratiam laudem, alias temere mutata rursum sententia præsentem statum increpem et reprehendam.

31. Ego vero etiam privatos homines, qui pauca recte agunt, in multis delinquunt, accuso et deteriores existimo quam deceat: eos item, qui ex integerrimis viris nati hominibus nequissimis et improbissimis paulo quidem probiores sunt, sed a virtute parentum longe degenerarunt, vitupero, eosque monitos velim ut tales præbere se desisterent. Idem et de statu publico sentio: opinor enim nullam nobis causam esse cur superbiamus et præclare nobiscum agi putemus, si paulo major sit apud nos legum reverentia quam apud homines illos nefarios et insanos, sed indignari potius ac ægre ferre debemus nos majoribus nostris esse deteriores: nec enim cum triginta tyrannorum improbitate, sed cum horum virtute certandum nobis est, præsertim quum bonitate universis mortalibus nos deceat antecellere.

32. Ad hunc modum non nunc primum, sed sæpe jam et apud multos, disserui. Nam in singulis aliis locis peculiari quodam genio fructus et arbores et animantium innasci genera scio quæ longe aliis præstent: nostram autem tellurem viros gignere et educare posse, tum ad artes tractandas et res gerendas et literas excolendas ingeniosissimos, tum fortitudine et virtute præstantissimos. Idque et ex vetustis præliis judicandum est, quæ cum Amazonibus et Thracibus et Peloponnensibus universis commiserunt, et e periculis quæ bellis Persicis adierunt, in quibus et soli et Peloponnensibus sociis, tum pedestribus tum navalibus pugnis, barbaris superatis præter cæteros fortitudinis laudem clarissimis facinoribus editis meruerunt. Neque vero quicquam ejusmodi fecissent, nisi natura longe allis præstitissent.

33. Cæterum nemo putet ad nos qui nunc urbem tenemus laudationem hanc pertinere, longe aliter se res habet. Nam tales orationes ut iis laudi sunt qui se dignos virtute majorum præbuerunt, sic ad eos accusandos valent qui nobilitati suæ ignavia et flagitiis labem aliquam adsperserunt. Id quod nos facimus: nec enim dissimulanda veritas est: quum enim talis nobis natura esset, eam non conservavimus, sed in amentiam incidimus et tumultum et malarum rerum cupiditatem. Verum si dicendo pergam res præsentes reprehendere et ea quæ nunc geruntur accusare, vereor ne longius ab instituto aberrem.

34. Ac de illis quidem rebus et ante diximus, et iterum dicemus: nisi vobis persuasero ut talibus delictis modum faciatis: de his autem quæ ab initio institui ubi pauca disseruero, locum dabo allis si qui præterea dare consilium volent.

35. Nos si rempublicam ita geremus ut nunc fit, aliter fieri non poterit quin consimilem ad modum et consultemus et belligeremus et vivamus et fere omnia tum feramus tum faciamus, quæ et impræsentia et olim acciderunt: sin rempublicam mutaverimus, eadem ratione consentaneum est, tales nostras quoque res fore, quales majorum nostrorum fuerunt; ex eadem enim gubernandi ratione actiones etiam semper æquales et consimiles exsistere necesse est.

36. Deliberandum itaque maximarum rerum contentione facta, utræ nobis sint eligendæ. Ac primum videndum quomodo tum Græci tum barbari erga illam politiam affecti fuerint, et qui nunc illorum animi sint erga nos: nec enim hæc duo hominum genera minimam partem conferunt ad felicitatem, si de nobis bene senserint.

37. Græci igitur sic illo tempore nostris magistratibus fidebant, ut eorum plurimi ultro nostræ civitati se traderent: barbari vero tantum aberant ut se rebus Græcorum admiscerent, ut neque longis navibus cis Phaselidem accederent, neque cum exercitu intra

Halyn amnem descenderent, sed in summo otio se continerent. Nunc eo res redierunt, ut alteri nostram urbem oderint, alteri nos contemnant. Ac de Græcorum quidem odio prætores ipsos audivistis: rex Persarum autem suum erga nos animum literis missis declaravit.

38. Etiam illud addendum est, dum ille præclarus ordo in republica servabatur, ita cives ad virtutem fuisse institutos, ut inter ipsos nullæ molestiæ orirentur, sed ut omnes eos qui in Atticam impetum fecissent pugnando superarent. Nos contra alios alii lacessere nullum diem intermittimus, rem vero militarem ita negligimus, ut nec militiæ dare nomina audeamus, nisi accepta pecunia. Et quod maximum est: eo tempore nemo civis rei familiaris penuria laborabat, neque ab obviis stipe roganda urbem probro afficiebat, nunc plures sunt qui egeant quam qui rem habeant; quibus profecto vitio verti non debet, si rempublicam nihil omnino curant, sed semper in hoc unum sunt intenti, quibus rationibus urgentem quotidie famem depellere liceat.

39. Ego itaque quum nos putarem, si majores nostros imitaremur, et his malis liberatum iri, nec nostræ tantum civitati sed universis etiam Græcis fore saluti, ea de causa et huc accessi et hanc orationem habui: vos autem his omnibus consideratis ea decernitote quæ e republica fore maxime videantur.

ISOCRATIS

DE PACE vel SOCIALIS.

ARGUMENTUM

INCERTO AUCTORE.

Missus Chares ad Amphipolim, quæ tum libera suique juris erat, subigendam (nam et Lacedæmonios afflixerat clades Leuctrica, et Athenienses parum poterant), quum se illius urbis quovis tempore facile potiturum crederet ac veteris potentiæ Atheniensibus restituendæ cupidior esset, Chios et Rhodios cæterosque socios bello adortus, et illis resistentibus victus est, ita ut inops consilii nesciret quo se verteret: nam, si omissis illis Amphipolim petiisset, ipsi Atticam invasuri erant ad ulciscendas injurias. His Athenienses auditis pacem petierunt, quam Chii et Rhodii cæteique statim dederunt. Et hoc bellum illud est quod Sociale dicitur. Quum igitur indicta concione de bello componendo deliberaretur, Isocrates in medium progressus suadet omissis negotiis non necessariis otium esse complectendum. Bipertita est oratio: id enim agit, partim ut Chiis cæterisque sociis libertas permittatur, partim ut maris imperio abstineatur. Contra posteriorem hanc partem fertur Aristides edidisse orationem qua huic de pace inscriptæ contradicit. Hæc summa orationis est, præcipuum argumentum ab utili ducitur, deliberativi generis est oratio quum pax suadeatur. Quod si quando communi exordio uti cogeris, tractationem tamen peculiarem, ut hic fecit Isocrates, adhibeto; nam illud quidem de magnis rebus, pace nimirum et bello, deliberatur commune est; quum autem additur, tametsi omnes hoc modo exordiri solent, novitas orationi elegantissime conciliatur.

ALIUD ARGUMENTUM

EX DIONYSIO HALICARNASSEO.

Quisnam vehementius ad colendam justitiam et pietatem, cum singulos privatim tum publice totas civitates adhortari queat, quam scripta de pace oratio? Qua suadet Atheniensibus ne aliena appetant, sed suo contentos esse jubet, et parvis oppidis tanquam fundis suis parcere, ac socios in officio beneficiis, non vi et necessitate, continere, e majoribus autem imitari non eos qui ante bellum Decelicum propemodum civitatem evertissent, sed illos qui ante bellum Persicum perpetuum virtutis studium habuerunt. Ostendit non multitudine triremium aut imperio in Græcos per vim exercendo rempublicam augeri, sed justis potius consiliis injuriisque prohibendis. Benevolentiam Græcorum, quam ad beate vivendum plurimum conferre existimat, civitati ut concilient in primis hortatur, et ut ad bellum quidem parati sint et instructi, sed pacis ita studiosi ut neminem ullis injuriis afficiant, quod neque ad parandas opes neque ad gloriam neque denique ad felicitatem quicquam tantum conferat quantum virtus et ejus partes; eos autem qui aliter sentiunt reprehendit, qui existiment injustitiam quidem esse callidam, et ad quotidianam vitam utilem, justitiam vero incommodam et aliis quam his qui ea præditi sint conducibiliorem. Equidem ignoro an quisquam orationes vel meliores vel veriores vel magis philosophiæ consentaneas habere possit.

1. Solent omnes qui ex hoc loco verba faciunt ea dicere, de quibus ipsi consilium daturi sint, maximi esse momenti et reipubl. plurimum interesse: verum si ullis aliis negotiis tale convenit exordium, eo nobis in præsentia vel in primis utendum esse censeo. Nam in hoc conventu de pace et bello deliberatur, quæ duæ res maximas in vita mortalium vires habent, aliisque feliciores necessario reddunt eos a quibus prudenter administrantur. Tanta igitur res nunc agitur.

2. Vos tamen video non simili studio omnium orationes audire, sed aliis auscultare, aliorum ne vocem quidem tolerare. Id quod equidem nihil miror: nam superiori etiam tempore soliti fuistis cæteros omnes ejicere, præter eos qui cupiditates vestras defenderent. In quo certe reprehendendi estis; nam quum multas et magnas familias ab assentatoribus funditus eversas esse sciatis, et privatis in rebus eos qui ista arte sunt oderitis, in republica non eodem modo in illos estis animati, sed, quum eos reprehendatis qui istos admittunt eorumque consuetudine delectantur, vos ipsos plus illis credere quam reliquis civibus apparet. Etenim ipsi effecistis ut oratores meditentur et exquirant non ea quæ futura sint e republ., sed ut orationes habeant vobis gratas: ob quas etiam nunc eorum multitudo confluxit. Omnibus enim perspicuum erat vos iis studere magis qui ad bellum adhortentur quam his qui pacem suadeant. Nam illi quidem spem faciunt et possessionum quæ sunt in urbibus recipiendarum et veteris potentiæ recuperandæ; hi tale nihil ostentant, sed quiescendum esse dicunt neque res magnas per injuriam appetendas, sed in iis quæ adsunt quiescendum, quo maximæ hominum parti factu nihil est difficilius. Sic enim e spe plerique pendemus et insatiabili cupiditate rerum quæ aliquam vel injusti lucri speciem habent tenemur, ut ne locupletissimi quidem suis opibus contenti sint, sed in appetitione majorum copiarum partas opes in discrimen adducant. Et quidem providendum est, ne in similem nos quoque amentiam incidamus: nimis enim mihi quidam ad bellum videntur incitati, non quasi plebeius aliquis consuluisset, sed tanquam deus quispiam prosperrima quæque nobis et facilem hostium victoriam promisisset.

3. Est autem prudentium hominum de his quæ comperta habent non deliberare — supervacaneum enim fuerit —, sed quæ decreverint maturare; at quibus de rebus consultant, eas non exploratas sibi esse putare, sed conjectura uti, et in fortunæ arbitrio eventum esse positum existimare debent. Quorum vos neutrum facitis, sed in quanta maxima fieri potest versamini perturbatione. Nam ita quidem convenistis quasi ex omnium sententiis id sit eligendum quod sit e republ. maxime, sic autem, tanquam satis jam noveritis quid factu sit optimum, nonnisi eos audire vultis qui ad gratiam

concionantur. Enimvero decebat vos, si publicam utilitatem spectaretis, attentius eos audire qui voluntatibus vestris adversantur quam illos qui assentantur omnia; nec enim ignoratis, ab his qui ea quæ vultis ex hoc loco dicunt facile vos posse decipi — nam ad voluptatem audientis instituta oratio quasi tenebras circumfundit quominus id quod utilissimum est perspiciatis —, ab his autem qui consulendo vestram gratiam non aucupantur nihil est tale metuendum: nullo enim modo vos a sententia abducent, nisi quid expediat evidentissime demonstrarint. Præterea qui fieri potest ut illi vel de præteritis recte judicent vel de futuris prudenter deliberent, nisi contrarias inter se rationes conferant, et æquos utrisque auditores se præbeant?

4. Miror equidem neque senes adhuc meminisse, neque adolescentes e quoquam audivisse, per eos qui pacem retinendam esse monuerunt nihil unquam nobis accidisse mali, eos autem qui bella temere susceperunt nos in multas jam et magnas clades conjecisse. Quæ nos minime in memoriam revocamus, sed, quum rebus nostris ea ratione haud consulatur, tamen parati sumus et classem in mare deducere et tributa conferre et auxiliari et bella inferre quibusvis, quasi alienæ urbis periculo dimicemus. Hujus rei causa hæc est, quod quum respublica non minori curæ vobis esse debeat quam privata, erga illam non eodem animo affecti estis, sed quum vestris de rebus deliberatis, in consilium adhibetis eos qui prudentia vobis antecellunt, quum autem de republica convenistis, talibus quidem diffiditis et invidetis; improbissimos vero eorum qui suggestum conscendunt colitis et populariores esse ducitis ebrios quam sobrios et amentes quam cordatos et eos qui publicam pecuniam distribuunt quam hos qui de sua re familiari munera vobis obeunt. Quare mirum est, quenquam esse qui speret dum hi consultores audiuntur melius actum iri cum republica.

5. Ego vero quam arduum sit adversari vestris cupiditatibus non ignoro, et, quum popularis respublica sit, non esse libertatem, nisi hic stolidissimis vestrique contemptoribus, in theatro comœdiarum actoribus — idque omnium acerbissimum est, in majore apud vos eos esse gratia qui delicta urbis nostræ foras ad alios Græcos efferunt, quam eos qui de vobis bene merentur, his vero qui castigant aut monent ita infensos et iniquos esse vos, quasi contra rempublicam fecissent —: quamvis igitur hæc ita sint, non tamen ab instituto meo recedam. Non enim huc prodii gratificandi gratia aut magistratus ambiendi causa, sed ut ea quæ sentio dicerem primum de iis de quibus consules referunt, postea de cæteris reipublicæ negotiis: nec enim ulla erit decretæ pacis utilitas, nisi cæteris etiam rebus recte consuluerimus.

6. Pacem igitur esse faciendam censeo non modo cum Chiis et

Rhodiis et Byzantiis, sed cum universis hominibus, et pactionibus utendum non his quas nunc quidam scripserunt, sed illis quæ cum rege Persarum et Lacedæmoniis intercesserunt, quæ jubent Græcos esse liberos et præsidia ex alienis urbibus deduci et suas singulos civitates tenere. His enim neque justiores reperiemus neque reipublicæ utiliores.

7. Scio equidem, si hic dicendi finem fecero, me visum iri opes et dignitatem reipublicæ imminuere; quis enim æquum esse censeat ut Thebani Thespias et Platæas cæterasque urbes quas contra jusjurandum occuparunt teneant, nos vero nulla coacti necessitate iis quas habemus cedamus? sed si ab initio ad finem usque me disserentem attente audieritis, summæ amentiæ opinor et insaniæ condemnabitis eos qui injustitiam lucrosam esse putant et alienas urbes vi tenent, neque considerant quantæ calamitates consequi soleant. Et hæc sunt quæ per totam orationem vobis ostendere conabor.

8. Primum autem de pace disputemus, ac dispiciamus quidnam illud sit quod in præsentia expetamus. Quo vere prudenterque constituto, de aliis quoque, in hoc negotium velut exemplar quoddam intuentes, rectius consultabimus.

9. An vero non bene agi nobiscum statuemus, si et respublica nostra in tuto collocetur et eorum quæ ad vitam degendam attinent copiis augeamur et inter nos ipsi consentiamus et apud Græcos cæteros gloria floreamus? Ego certe quidem existimo, si hæc nobis contigerint, urbem nostram fore felicissimam. At bellum his rebus omnibus nos spoliavit: nam et opes nostras minuit, et in pericula multa nos conjecit, et apud Græcos in odium adduxit, omnibus denique modis afflixit. Si autem pace facta ea præstiterimus quæ communi fœdere præcipiuntur, et republica nostra sine ullius periculi metu fruemur, liberati bellis et pugnis et inter nos excitato nunc tumultu, et indies opes nostras augebimus, levati tributis et trierarchiis aliisque belli muneribus, et agros secure colemus et mare navigabimus et alia negotia tractabimus quæ nunc propter bellum neglecta jacent. Urbis præterea reditus conduplicari videbimus, et mercatores et hospites et inquilinos, qui nulli nunc adsunt, frequentes huc confluere. Et, quod maximum est, socii nobis erunt omnes homines, non coacti sed volentes, neque illi nos in rebus secundis observabunt propter potentiam, in periculis deserent, sed vere et sancte societatem atque amicitiam colent. Adhæc, quæ nunc bello et magnis sumptibus recuperare non possumus, ea per legatos facillime recipiemus. Nec enim putetis vel Cersobleptem propter Chersonesum vel de Amphipoli Philippum bellum facturum, si a rerum alienarum cupiditate nos esse viderint alienos. Nam nunc quidem — nos enim opibus nostris non contentos plura semper appetere cernunt — non injuria metuunt nostram urbem et suis

regnis vicinam esse nolunt, si vero mutatis nostris moribus melius de nobis existimare cœperint, non tantum nostra sibi non vendicabunt, sed et de suo nobis aliquid largientur: est enim eis utile futurum ut florentis nostræ civitatis amicitia freti suis imperiis secure potiantur. Quinetiam Thraciæ tantam partem vendicare nobis poterimus, ut non nobis tantum victus abunde suppetat, sed egentium quoque Græcorum necessitatibus et ob paupertatem incertis sedibus vagantium consulatur. Nam quum Athenodorus et Callistratus, alter homo privatus, alter etiam exsul, urbes condere potuerint, quanto nos magis, modo velimus, talia loca multa occupabimus? Longe autem gloriosius est eos qui Græciæ principatum sibi vendicant talium operum duces et auctores esse quam bella conflare et conductitios exercitus alere, quæ nunc nos appetimus.

10. Ac de is quæ legati pollicentur, et hæc sufficiunt, et plura adjungi possunt: sic autem censeo, non tantum decreta pace e concione abeundum, sed inita etiam ratione qua eam conservemus, neque committendum ut more nostro non multo post iisdem tumultibus agitemur, aut moram duntaxat aliquam his malis producamus, sed operam esse dandam ut eis omnino liberemur. Quarum rerum nihil fieri poterit, priusquam persuaderi vobis patiamini plus utilitatis et lucri esse in tranquillitate quam in conatu supervacaneo multarum rerum, et justitiam præstare injuriæ, suarumque rerum curam appetitioni alienarum. Quibus de rebus quum oratorum nemo unquam apud vos verba facere ausus fuerit, orationis meæ maxima pars in his ipsis consumetur: hinc enim pendere felicitatem video, et non in iis sitam esse rebus quas nunc agitamus. Omnino autem necesse est eum, qui a consueta dicendi ratione recesserit et a sententia vos deducere studuerit, multarum rerum facere mentionem et prolixiori oratione uti, et alia vobis in memoriam redigere, alia reprehendere, quædam laudare de nonnullis consilium dare: quæ si quis omnia præstiterit, tamen haud illi promptum erit vos ad meliorem mentem revocare.

11. Sic enim res habet. Mea quidem sententia universi mortales utilitatis suæ studiosi sunt et in eo elaborant ut plus possint aliis, verum quibus rationibus id assequantur, in eo falluntur plerique et differunt inter se opinionibus: nam alii recte judicant et bono consilio id deligunt quod est rebus atque temporibus maxime accommodatum, alli a ratione utilitatis toto (quod aiunt) cœlo aberrant. Id quod etiam nostræ civitati usuvenit. Nam in ea sumus opinione, si multis triremibus mare teneamus et urbes tributa pendere cogamus atque huc mittere assessores, nos aliquod fecisse operæpretium: in quo sane a veritate aberravimus, et spe nostra prorsus frustrati sumus; nam illæ ipsæ res et inimicitiarum et bellorum et multorum sumptuum causæ nobis exstiterunt; neque vere

mirum id est: nam prius etiam hujusmodi inquieta consilia nos in extrema discrimina conjecerunt; dum autem publice justitiæ studeremus, dum opem ferremus oppressis, dum nihil alienum concupisceremus, Græci principatum ultro nobis detulerunt: quos nunc longo jam tempore inconsiderate nimisque petulanter contemnimus.

12. Quidam enim eo dementiæ venerunt, ut existiment injustitiam probrosam quidem esse, sed afferre lucrum et in quotidiana vita cum primis esse conducibilem, justitiam vero etsi laudari soleat, nihil emolumenti parere et aliis utiliorem esse quam iis qui ea præditi sunt; verum illi non intelligunt neque ad parandas opes neque ad gloriam consequendam neque ad rem bene gerendam nec denique ad felicitatem adipiscendam tantam esse vim in injuria, quanta est in virtute et ejus partibus. Nam his bonis quæ animo insunt, etiam cæteras utilitates quibus opus est paramus: quare qui mentem suam negligunt, hi non animadvertunt se id negligere ut aliis neque rectius sentiant nec meliore fortuna utantur. Atque adeo mirum mihi videtur esse qui putent eos, qui in proposito et constantia colendæ pietatis et justitiæ labores suscipiant et pericula adeant, deteriore conditione fore quam improbos, nec in majore quam alios tam deorum quam hominum gratia futuros. Ego vero persuasum habeo solos hos iis rebus antecellere quæ veras utilitates pariant, reliquos falsa quadam et inani specie boni gloriari. Nam, qui injustitiam pluris faciunt et summum bonum in eo ponunt ut alienis opibus potiantur, eos similes esse video feris quæ inescantur, ac initio quidem his quæ prehenderint cum voluptate frui, sed paulo post in maximis esse malis: eos autem qui pietatem et justitiam colunt et perpetuo in tuto esse et de reliquo ævi spatio universo spem habere meliorem. Quæ si non in omnibus ita evenire consueverunt, at plerunque hoc modo fiunt. Est autem cordatorum hominum officium, quoniam quid profuturum sit semper non perspicimus, quod frequentius prodest, id amplecti. Quid autem est eorum opinione absurdius, qui quum honestiorem et deo gratiorem existiment justitiam injuria, eorum qui illa utuntur vitam fore miseriorem censent quam eorum qui se improbitati manciparunt?

13. Vtinam vero tam facile esset auditores amore virtutis inflammare, quam eam facile est collaudare: nunc metuo ne frustra hæc a me dicantur. Corrupti enim et depravati sumus jam longo tempore ab hominibus quorum omne artificium in decipiendo consumitur, quique populum usque adeo contemnunt ut, quum largitionibus ipsi corrupti bellum aliquibus inferre student, majores esse imitandos audeant dicere, neque committendum ut ludibrio simus aliis aut ullis mare pateat qui vobis pendere tributa nolint.

14. Ego vero perquam ex illis audire cupio, quorum superioris ætatis hominum nos similes esse jubeant? Eorumne qui circa bel-

lum Persicum fuerunt, an illorum qui ante obsidionem Decelicam rempublicam gesserunt? Quod si hos imitari jubent, quid quæso suadent aliud quam denuo periculum excidii esse adeundum? sin illorum vos similes esse volunt qui in Marathone barbaros vicerunt vel eorum qui ante illos fuerunt, annon sunt omnium impudentissimi, quum eos laudent qui tum rempublicam gesserunt et nunc contraria nobis facienda censeant, et ad ea delicta vos impellant de quibus quid faciam equidem dubito, utrum, ut in cæteris, id quod res est dicam, an metu vestræ offensionis illa silentio præteream?

15. Nam potius quidem esse judico de iis disserere: sed idem vos iis solere gravius irasci video qui reprehendunt quam iis qui vos in calamitates conjecerunt. Verum, utcunque res ceciderit, turpe mihi duco meæ famæ potius quam publicæ salutis rationem ducere. Ut igitur et meum et cæterorum qui rempublicam curant officium est ea dicere non quæ auditu jucundissima, sed quæ utilissima facta sunt: sic vos contra statuere debetis, quum morborum corporis multæ et variæ curationes sint a medicis inventæ, animis cæcis et malarum cupiditatum plenis unicum superesse remedium, orationem nempe quæ libere delicta reprehendat; deinde quid absurdius est quam ustiones et sectiones medicorum tolerare, ut pluribus cruciatibus liberemur, orationes autem, antequam plane cognitum sit an eam vim habeant ut audientibus prosint, improbare?

16. Hæc eo præfatus sum, quod de cæteris sine omni dissimulatione et prorsus aperte apud vos dicere decrevi. Quis enim obsecro est qui peregre adveniens et nostri erroris expers adhuc, si his rebus de improviso interveniat, non delirare nos et insanire arbitretur? qui quum res præclare a majoribus gestas laudi nobis ducamus et rempublicam nostram eo nomine celebrare possimus, tantum abest ut eos ulla ex parte imitemur, ut plane contraria faciamus? Nam illi quidem pro Græcis contra barbaros pugnare non destiterunt, nos vero eos qui in Asia victum quæritabant huc retractos contra Græcos duximus: illi, dum Græcis urbibus libertatem restituunt, dum opem ferunt, Græciæ principatum acceperunt, nos, qui easdem servitute premimus, qui plane diversum agimus, indignamur eundem honorem nobis non haberi, quum inter dicta et facta nostra atque illorum tantum intersit, ut ipsi pro conservandis Græcis patriam deserere non dubitarint et terra marique barbaros vicerint, quum nos ne pro nostra quidem avaritia dimicare velimus, imperare quidem studemus omnibus, sed dimicare nolumus, ac nemo fere est mortalium omnium quem bello non lacessamus, sed rei militaris exercitationem prorsus ipsi negligimus; et quum hi quorum operas conducimus, partim exsules, partim transfugæ, partim omni flagitiorum genere cooperti, huc confluxerint, sic animati ut, si quis plus stipendii numeret, ejus ductu nos oppugnaturi sint. Adeo tamen eos

diligimus, ut etiam si liberis nostris vim aut injuriam fecerint, pœnas eos dare nollemus; jam illorum rapinis et violentiæ et transgressionibus, tametsi nobis crimini dari soleat quod illi commiserint, adeo non succensemus, ut lætemur etiam si quid eos ejusmodi perpetrasse audierimus. In eam denique stultitiam incidimus, ut ipsi annonæ penuria laborantes peregrinum alere militem studeamus, et a sociis nostris tributa per injuriam extorqueamus, quo mercedem communibus omnium hostibus numeremus. Postremo, tanto deteriores sumus majoribus nostris, non laudatis illis tantum sed iis etiam qui in odio fuérunt, ut illi, si quibus inferre bellum decrevissent, quamvis argento et auro refertum esset ærarium, tamen suis corporibus exsequenda quæ statuerant censerent, nos ad tantam egestatem redacti, in tanta civium multitudine, perinde ut magnus rex conductitiis exercitibus utamur. Illi, classe in mare deducta, peregrinos et servos navibus agendis præficiebant, cives armis ornatos mittebant: nos conductitiis militibus gravem armaturam damus, cives remigare cogimus; unde fit ut in hostilem agrum egressi, qui sibi imperium in Græcos arrogant nauticum instrumentum gestent, illi vero talibus ingeniis præditi, qualia paulo ante descripsimus, armati in acie versentur.

17. At vero domi respublica sic administratur, ut in eam intuenti bona spes fiat de cæteris? imo illud ipsum est quod maxime indigneris. Nam, quum nos indigenas esse atque hanc urbem ante cæteras esse conditam dicamus, et nos universis exemplum præbere conveniat bonæ ordinatæque reipublicæ, nostram civitatem deterius et perturbatius administramus iis qui oppida modo condunt; splendore porro natalium superbimus et aliis generosiores esse volumus, sed facilius quibusvis hanc nobilitatem impertimus quam Tribalii aut Lucani suam ignobilitatem: leges plurimas ferimus, sed easdem ita contemnimus ut quum pœna capitis in eum sancita sit—ex uno enim etiam cætera judicabitis—qui ambitus sit convictus, eos qui largitionem palam faciunt imperatores deligamus, et quo quisque plures cives corruperit, eo majoribus præficiatur rebus a nobis: præterea quum de reipublicæ forma non minus solliciti simus quam de salute totius civitatis, nec ignoremus popularem statum tranquillis et pacatis rebus crescere et confirmari, bellis vero jam bis sublatum esse, pacis studiosos quasi qui omnia ad paucorum arbitrium revocare conentur odimus, qui autem bella concitant, hos demum et populares et benevolos esse putamus: quamvis eloquentissimi et rerum gerendarum peritissimi, ea temeritate sumus, ut eodem die de rebus iisdem non eadem sentiamus, sed quæ domo egressi damnabamus, illa ipsa in concione suffragiis nostris comprobemus, et paulo post domum regressi quæ hic decreta sunt denuo cavillemur: quum nos Græcorum sapientissimos esse profiteamur,

ab eorum consiliis pendemus, quos nemo est qui non aspernetur, et summæ rerum omnium illos ipsos præficimus, quibus nemo privatim quicquam commiserit. Quodque omnium acerbissimum est: qui nostrapte confessione omnium improbissimi sunt, hos reipublicæ custodes fidelissimos arbitramur; inquilinos quidem tales esse credimus, quales sibi patronos delegerint, nos ipsos autem non existimari similes censemus gubernatoribus nostris. Tam longe autem a more majorum recessimus, ut eosdem illi et summæ reipublicæ præficerent et imperatores crearent, existimantes, qui pro concione optima suaderet, eundem nihilo deterius etiam per sese deliberaturum. Nos contra, quorum consiliis gravissimis in rebus utimur, illis tanquam stolidis imperium non deferimus, qui vero ejus generis sunt ut nemo publice privatimve illorum consilium expetat, hos dictatores mittimus qui suo arbitratu gerant omnia, quasi vero illic sapientiores futuri sint et facilius deliberaturi de totius Græciæ statu quam de rebus quæ hic considerandæ proponuntur. Neque tamen hæc æque ad omnes pertinere volo, sed ad eos duntaxat qui tales sunt quales jam diximus. Dies me defecerit si in omnia nostrarum actionum delicta coner severius inquirere.

18. Fortassis autem exsistet eorum aliquis ad quos hæc crimina maxime pertinent qui cum indignatione interroget, qui fiat, si tam male consulamus, ut non incolumes tantum sed etiam nulla urbe opibus et potentia inferiores simus? Expedita responsio est: id adversariorum nostrorum consiliis nihilo prudentioribus acceptum esse referendum. Nam, si Thebani mox victis Lacedæmoniis Peloponnesum liberassent et cæteris Græcis jure suo restituto quievissent, nos autem eadem hæc peccassemus, neque iste nos hoc modo rogare posset, et nos intelligeremus quantum modestiæ tranquillitas turbulentis et inquietis consiliis præstaret. Nunc res eo rediit, ut Thebani nobis, nos Thebanis vicissim saluti simus, plane non aliter quam si nos eis, ipsi nobis auxilia mitterent. Quare, si saperemus, mutuo pecuniam ad indicendas conciones dilargiremur: nam utri nostrum sæpius conveniunt, hi alterorum successus promovent. Decet autem eos qui vel mediocri sunt ingenio spem salutis non in hostium erratis, sed in recte factis consiliisque suis collocare; nam, quæ commoda ex adversariorum inscitia capimus, ea fortasse neque diu duratura neque uniusmodi semper futura sunt, quod autem a nobis ipsis proficiscitur solidi aliquid habet et plus constantiæ.

19. Ac eos quidem refutare qui dicta nostra temere cavillantur difficile non est: si quis autem paulo æquior me vera quidem dicere nec injuria reprehendere ea quæ fiunt assentiatur, sed æquum esse dicat eos qui ex animo consultum aliis velint non tantum acta improbare, sed etiam monere quæ fugienda quæ sequenda sint ut ita sentire et ad hunc modum delinquere desinamus, ejus oratio non id

profecto efficiet ut vere utiliterque respondere nequeam, sed illud vereor ut satis vobis placeat quod dixero. Verum quoniam semel plane aperteque dicere aggressus sum, etiam de his meam interponere sententiam non dubitabo.

20. Quibus igitur rebus instructos esse deceat eos qui felices futuri sint, pietate nimirum et temperantia et justitia cæterisque virtutibus paulo ante dictum est: quæ autem expeditissima ratio sit institutionis ejus quæ tales efficiat, vere quidem omnino a me dicetur, sed idem fortasse vobis auditu grave videbitur et plurimum a reliquorum sententiis abhorrere.

21. Ego enim censeo et tranquilliorem rempubl. nostram et nos ipsos meliores fore et incrementa rerum nostrarum omnium visuros, si maris imperium concupiscere destiterimus. Hoc enim illud est quod et in hos tumultus nos conjecit, et veterem illam democratiam, in qua majores nostri felicitate Græcis omnibus præstiterunt, evertit, et malorum fere omnium, quæ et ipsi ferimus et aliis inferimus, causa fuit. Equidem non ignoro quam difficile sit ejus orationem qui potentiam accuset, quam omnes adamarunt armisque vindicandam censent, videri tolerabilem: verumtamen, quum superiora, vera illa quidem, sed odiosa tamen, tuleritis, rogo ut ea etiam quæ restant non audire gravemini, neque me tanto furore percitum existimetis ut instituerim de rebus tam abhorrentibus a sensu multitudinis verba facere, nisi in veritate orationis aliquid mihi præsidii esse statuissem. Persuasum enim habeo me planum facturum omnibus, nos id imperium affectare, quod imperium citra injuriam parare non liceat, quod contingere nobis non possit, quod nobis non sit profuturum.

22. Ac primum injustum id esse, vos iis docere possum rationibus quas a vobis didici. Nam, quum istam potentiam Lacedæmonii tenerent, quæ verba non consumpsimus tum eorum principatu accusando, tum æquum esse Græcos libertate frui commemorando? quas vero celebres urbes non concitavimus ad societatem belli ob hæc suscepti? quoties legatos ad magnum regem misimus, qui docerent neque justum esse neque utile civitatem unam dominari Græcis? Neque prius acquievimus aut oppugnare Lacedæmonios terra marique destitimus, quam consentire in fœdera de libertate facta voluissent. Ac non esse justum ut potentiores dominentur imbecillioribus, et illis temporibus sensimus, et nunc republica apud nos recepta declaramus.

23. Jam hoc imperium non posse vos constituere, quamprimum opinor expediam. Nam quod quum x millia talentum in ærario haberemus tueri non potuimus, quinam idem in tanta penuria et inopia recipiemus, quum præsertim iis institutis utamur, non quibus id paravimus, sed quibus amisimus?

24. Quod si ultro reipublicæ nostræ deferretur, ne sic quidem fore accipiendum, ex eo mihi posse videmini quamprimum intelligere. Sed præstat et de his pauca præfari: nam, dum toties ad increpationes devolvor, vereri mihi subit ne qui me putent accusationem nostræ civitatis de industria instituisse.

25. Ego vero, si apud exteros hoc modo his de rebus disserem, eo nomine culparer haud injuria: quum autem ad vos mea se convertat oratio, quos non apud alios traducere studeo, sed istis factis abstinere cupio, uti pax, de qua omnis oratio est, constanter et a vobis et ab aliis Græcis agatur, æquum est istam opinionem a me amoveri. Fieri certe quidem non potest quin et qui monent et qui accusant verbis utantur non fere dissimilibus, quum vis utriusque orationis quam longissime discrepet. Quare vos non semper decet de his qui eadem dicunt eodem modo sentire, sed qui nocendi voluntate convitiantur, ut qui rempublicam eversam cupiunt, digni odio sunt, qui autem vestræ utilitatis causa monent laudandi et optimi cives judicandi, atque inter hos is maxime qui evidentissime possit malas actiones et ortas inde calamitates suis quasi coloribus depingere. Iste enim quamprimum effecerit ut et oderitis ea quæ oportet et res meliores desideretis. Et hæc sunt quæ pro defensione asperioris orationis tam habendæ quam habitæ afferenda in medium censui: nunc eo redeo unde sum digressus.

26. Inde igitur, inquam, rectissime perspicietis, non esse e republ. ut capiatis maris imperium, si consideraveritis quo pacto ante partam istam potentiam urbs constituta fuerit, quo modo quum eam jam teneremus: quæ si apud animos vestros inter se contuleritis, quantum inde malorum in urbem invaserit perspicietis.

27. Respublica certe superiore tempore tanto melior et præstantior fuit quam ea quæ secuta est, quanto viri meliores fuerunt Aristides et Themistocles et Militiades Hyperbolo et Cleophonte et istis qui nunc concionantur: populus autem qui tum rempublicam gessit non socordiæ non inopiæ non inanis spei plenus, sed is fuisse comperietur qui et profligare posset omnes qui Atticam invasissent, et in adeundis pro Græcia periculis primas ferret ob fortitudinem, tantamque sibi fidem adjungeret ut plurimæ civitates ultro se in fidem et clientelam ejus conferrent. Quæ quum ita essent, dominatus iste nos amissa veteris reipublicæ apud omnes gloria in eam intemperantiam impulit, quam mortalium nemo laudaverit; et sic cives nostros instituit, non dico ne vincant eos a quibus bello petimur, sed ut ne quidem extra mœnia in conspectum hostium prodire audeamus: quum majores nostri et apud socios benevolentia et apud cæteros Græcos gloria floruissent, dominatus iste tantum nobis odium concitavit, ut parum abesset quin urbs exscinderetur, nisi Lacedæmonios veteres hostes benevolentiores habuissemus quam

socios pridem nostros. Quos jure accusare non possumus, quod infensi nobis fuerunt: neque enim vim inferentes, sed propulsantes et multa graviaque mala perpessi tales in nos animos habuerunt.

28. Quis enim patrum nostrorum petulantiam tolerasset, qui congregatos ex universa Græcia ignavissimos quosque ac omni genere flagitiorum inquinatos triremibus imponebant, ut Græcorum odium de industria quæsisse videantur, et optimis civibus aliarum urbium ejectis illorum opes improbissimis Græcorum dilargiebantur? Verum si auderem ea quæ illis temporibus acta sunt accurate percensere, fortassis efficerem ut vos præsentibus rebus rectius consuleretis, sed ipse in crimen venirem: non enim peccatorum auctores tam odisse soletis quam eorundem reprehensores. Quo animo quum sitis, verendum mihi est ne, dum vobis bene facere conor, de meipso male merear. Non tamen omnino desistam ab iis quæ institui, sed acerbissimis quibusque quæque molestissima vobis esse queant omissis, ea solum commemorabo unde amentiam illius ætatis magistratuum intelligatis.

29. Nam tanto studio exquisiverunt ea propter quæ maxima hominum odia suscipiuntur, ut decernerent pecuniam quæ tributorum nomine coacta esset, in singula talenta distributam, Bacchanalibus in orchestram inferendam, theatro autem jam pleno; et hoc quod dixi faciebant, et liberos eorum qui in bellis ceciderant introducebant, utrisque demonstrantes, et sociis æstimationem opum suarum quæ a mercenariis inferebatur, et Græcis cæteris multitudinem pupillorum et clades ob illam avaritiam acceptas. Quæ dum facerent, cum ipsi tum alii æque amentes urbis felicitatem prædicabant, ex illis rebus quid futurum esset minime prospicientes, sed admiratione opum attoniti, quæ urbem injuste ingressæ etiam eas quæ jure tenebantur parvo temporis spatio secum una eversuræ erant. Usque adeo enim et sua neglexerunt et aliena appetiverunt, ut, quum Lacedæmoniorum exercitus in Attica versaretur, et Decelicus murus jam staret, classe Siciliam peterent, neque erubescerent in conspectu suo patriam dilacerari et vastari, et contra illos exercitus mittere a quibus nulla unquam fuerant injuria lacessiti, quin eo dementiæ processerant ut, quamvis suburbia sua non tenerent, tamen imperium Italiæ et Siciliæ et Carthaginis cogitarent. Tantum denique mortales omnes amentia superarunt ut, quum alios calamitates eruditant et modestiores reddant, eos ne hæc quidem correxerint. Quamvis ab urbe condita plura et graviora mala reipublicæ nostræ non accidissent. Nam ducentæ triremes in Ægyptum missæ una cum vectoribus interierunt, circa Cyprum centum et quinquaginta; in Ponto armatorum decem millia partim civium partim sociorum amiserunt, at in Sicilia virorum quadraginta millia et triremes ducentas et quadraginta, postremo in Hellesponto ducentas. Denas

autem et quinas et plures hoc numero amissas et millenos vel bis millenos interfectos quisnam enumeraret? Nisi quod hoc unum ita in orbem redibat, ut quotannis publicæ sepulturæ fierent, ad quas multi e finitimis aliique Græci conveniebant, non ut peremptos una lugerent, sed ut nostris cladibus insultarent. Tandem eo res rediere ut paulatim sepulcra publica civibus, tribus autem et album civitatis alienigenis, implerentur. Quanta enim multitudo perierit ex eo facillime cernitur, quod genera nominatissimorum virorum, amplissimæque familiæ, quæ et tyrannicas grassationes et bellum Persicum effugerant, in eo, quod tantopere concupiscimus, imperio exstirpatas reperiemus. Quare si quis cætera consideret, et ad hoc velut exemplar referat, permutati et alii prope facti esse videamur.

30. Enimvero ea demum civitas felix est habenda, non quæ e promiscua hominum colluvie multos cives temere colligit, sed quæ antiquissimas et primas familias maxime conservat; et ii viri in præclaris numerandi sunt, non qui vi potiuntur imperiis aut majorem potentiam quam æquum est possident, sed qui et maximis honoribus digni sunt, et iis contenti vivunt qui populi voluntate contigerunt. Nam tali more nemo sive privatus sive magistratus honestiorem aut tutiorem aut pretii majoris aut magis expetendum obtinere queat: qualem qui circa bella Persica fuerunt consecuti, non latronum more vixerunt, alias copia rerum abundantes, alias annonæ penuria laborantes et obsidionibus et malis ingentibus circumventi, sed quum victus eis neque deesset neque superesset, æquitatem gerendæ reipubl. suasque virtutes laudi sibi ducentes etiam vitam quam alii suaviorem exegerunt. Qui autem eos proxime secuti sunt, his neglectis non principatum obtinere sed tyrannidem exercere appetierunt, quæ quum eandem vim habere videantur, longissimis intervallis distant: nam principum officium est eos qui parent industria sua reddere feliciores, tyrannorum vero ea consuetudo est suas voluptates ex aliorum ærumnis et cladibus comparare. Necesse autem est eos qui talibus rebus incumbunt etiam in tyrannicas incidere calamitates, et quales se erga alios præbuerint tales in se quoque alios experiri. Id quod et nostræ urbi accidit: nam quemadmodum nostri arces aliarum urbium præsidiis occuparunt, ita suam in hostium esse potestate viderunt; ut liberos a parentum complexibus avulsos obsides acceperunt, ita multi civium coacti sunt suos liberos in obsidione pejus et alere et instituere quam eis conveniebat; ut aliena prædia coluerunt, sic multis annis sua ne videre quidem potuerunt.

31. Itaque, si quis nos rogaret, an vellemus ob imperium tantilli temporis rempublicam tantis cladibus affectam intueri, quisnam eam conditionem acciperet, nisi forte quispiam plane desperatus, qui neque religionem neque parentes neque liberos neque quicquam

aliud curet nisi unicum vitæ suæ tempus? Quorum nos æmulari mentem nefas est, eosque multo magis imitari decet qui harum rerum omnium acerrimo studio tenentur, neque minorem existimationis reipublicæ curam quam suæ susceperunt, quique mediocrem vitæ statum cum æquitate conjunctum magnis opibus male partis anteponunt. Etenim majores nostri quum se tales præbuissent, et posteris florentissimam rempublicam tradiderunt et immortalem virtutis suæ memoriam reliquerunt. Unde utrumque facile perspicitur, tum nostram urbem viros aliis præstantiores alere posse, tum imperium illud nomine revera infortunium, omnes qui cum eo conflictantur reddere deteriores.

32. Cujus rei illud maximum signum est: quod non nos solum sed etiam Lacedæmoniorum urbem corrupit, ita ut qui virtutes eorum prædicant jam non dicere possint, nos ob popularem statum male rem gessisse, Lacedæmonios autem, si eandem potestatem suscepissent, et semetipsos et alios felices fuisse reddituros. Nam quod suum esset ingenium, in illis multo celerius declaravit. quam enim rempublicam septingentorum annorum spatio nemo neque bellis neque casibus aliis labefactatam esse norat, eam exiguo tempore ita concussit ut parum abesset quin funditus everteretur. Etenim more majorum antiquato et institutis veterum abolitis, tum privatos homines injustitia, ignavia, iniquitate, avaritia, tum ipsam rempubl. et contemptu sociorum et appetitione alienorum et neglectu jurisjurandi atque fœderum, replevit. Nam tanto gravius Græcos quam nostri afflixerunt, ut præter cæteras injurias cædibus etiam et seditionibus turbarent civitates, unde immortales inimicitiæ inter illas exsistent. Belli certe quidem adeo cupidi adeo temerarii facti sunt, ut, quum superioribus temporibus cautiores aliis fuissent in ejusmodi rebus, neque societatis jus nec acceptorum beneficiorum memoria ab inferendis armis eos deterreret; quum enim eis rex Persarum ad bellum contra nos gestum amplius quinque millia talentum suppeditasset, quum Chii ex omnibus sociis illorum causa promptissime navali prælio dimicassent, quum Thebani maxima vi peditum eis præsto fuissent, quum primum principatum obtinuissent et Thebanis insidiati sunt, et contra Persarum regem Clearchum cum exercitu miserunt, et Chiorum principes cives in exsilium egerunt, et triremes omnes e navalibus abstractas secum avexerunt.

33. Nec his delictis contenti iisdem temporibus et Asiam vastarunt, et insulas vexarunt, et Italicas et Siculas respubl. abrogarunt et tyrannos constituerunt, et Peloponnesum afflixerunt et seditionibus ac bellis compleverunt. Quam enim illi civitatem non oppugnarunt? quos e sociis non injuria læserunt? non Eleis agri partem ademerunt? non Corinthiorum agrum populati sunt? non Manti-

neam in vicos redegerunt? non Phliuntem expugnarunt? non Argivorum agrum incursarunt? unquamne et alios exagitare, et cladem sibi Leuctricam præparare, destiterunt? Quam qui malorum Spartæ fuisse causam aiunt, verum non dicunt: nec enim ob eam sociorum odia susceperunt, sed ob superiorum temporum injurias et tum superati sunt et de aris ac focis dimicarunt. Neque enim causæ malorum in ea transferendæ sunt quæ postremo acciderunt, sed in prima delicta, quæ consecutis infortuniis quasi materiam præbuerunt. Quare, si quis dixerit tunc eis omnium malorum exstitisse principium quum adepti sunt maris principatum, potestatemque susceperunt nulla re illi veteri similem, annon longe verissime dixerit? Nam ob terrestre imperium et disciplinam ac laborum qua in eo exercebantur tolerantiam facile etiam maris principatum obtinuerunt, et illud quoque imperium, ob hujus principatus insolentiam celeriter amiserunt. Nec enim leges a majoribus acceptas conservabant, neque instituta vetera retinebant, sed, quod libuisset idem sibi licere existimantes, in turbas maximas inciderunt. Non enim intelligebant quam res intractabilis esset potestas quam omnes exoptant, quamque difficile si eam concupieris a statu mentis non dimoveri, et, ut idem esset ejus quod meretricularum ingenium, quæ, quum ad sui amorem alliciant, amatores perdunt.

34. Atqui hanc suam esse vim et naturam, perspicue declaravit. Eos enim, qui plurimas potestates et imperia gesserunt, in maximas incidisse videas calamitates, sumpto a nobis et Lacedæmoniis initio. Nam hæ duæ urbes, quum ante moderatione summa rempublicam gererent et optima existimatione essent, quum primum eam adeptæ et hoc imperium nactæ sunt, eadem prorsus conditione fuerunt, et, ut ii qui iisdem libidinibus eodemque morbo constricti tenentur, eadem (ita uti par est) aggressæ facinora paribusque delictis involutæ simili tandem ruina prostratæ conciderunt. Nam et nos odiis sociorum susceptis et republica in extremum discrimen adducta a Lacedæmoniis conservati sumus, et illi, quum in eorum exitium omnes conspirassent, ad nos confugerunt et salutem a nobis acceperunt. Est vero laudandum id imperium cujus sunt tam mali exitus? Annon odio dignum est quod ambas urbes tot res ac tam acerbas ut susciperent impulerit et tolerare coegerit?

35. Neque vero mirandum est, superiori tempore animadvertisse neminem quantum malorum importaret, aut nos et Lacedæmonios armis de eo contendisse: nam plerosque mortalium in expetendarum rerum judicio hallucinari, et vehementiore malarum rerum quam bonarum flagrare desiderio, et hostibus melius consulere quam sibimetipsis, reperietis. Id quod maximis in rebus cernitur: quid enim non ita factum est? Annon et nos ea suscepimus agenda quibus effectum est ut Lacedæmonii Græciæ dominatu potirentur? non illi

sua tam infeliciter curarunt, ut nos paucis annis elapsis emergeremus et salus eorum in potestate nostra sita esset? non Atheniensium improbi conatus effecerunt ut urbes Lacedæmoniorum partes sequerentur? non injuriæ Laconum easdem studere Atheniensibus coegerunt? non ob oratorum improbitatem ipse populus oligarchiam concupivit temporibus Quadringentorum constitutam? non ob Triginta tyrannorum insaniam popularis status cupidiores facti sumus quam ii qui Phylen occuparunt? Atque adeo minoribus etiam in rebus et quotidiana vita cernitur multos iis et cibis et exercitationibus delectari quibus et corpus et animum lædunt, contraque ab iis quibus utraque hæc juvarentur tanquam laboriosis et molestis abhorrere, idque fieri cum quadam opinione constantiæ, si a pravo instituto non recesserint. Qui igitur deteriora melioribus, in iis sine quibus vivere nequeunt et quæ magis curant, præferant, quid miri est si quale sit maris imperium ignorant deque eo inter se pugnant, de quo nihil unquam cogitationis susceperunt?

36. Regna item videte quæ in liberis civitatibus constituuntur, quam multos habeant amatores, qui dum ea obtineant quidvis perpeti non recusent: quibus quid periculorum quid ærumnarum non inest? Annon mox dominatu suscepto, tot malis implicantur, ut necesse habeant cum universis civibus bellum gerere, et eos odisse a quibus offensi non sunt, et amicis sociisque suis diffidere, ac salutem suam mercenariorum militum fidei credere quos nunquam viderunt, et custodes non minus formidare quam insidiatores, et ita suspectos habere omnes ut conjunctissimorum etiam congressus horreant? Nec id sane injuria: quum non ignorent superioris ætatis tyrannos male periisse, alios a parentibus, alios a liberis, alios a fratribus, alios ab uxoribus interfectos, et genus etiam ipsorum funditus esse exstirpatum; tamen infinitas ultro calamitates subeunt. Quod si viri principes et maxima præditi auctoritate tanta mala sic adamarunt, cæteros tales res desiderare quis miretur?

37. Neque vero ignoro vos, quum orationem de tyrannis approbetis, imperii dissuasionem iniquis animis accipere. Usu enim vobis evenit omnium turpissimum et pigerrimum: nam, quæ in aliis perspicitis, ea in vobis ipsis ignoratis. Atqui prudentiæ non minimum illud signum est, de iisdem rebus ad eundem modum in omnibus judicare. Quorum vobis nihil unquam curæ fuit: nam imperia quidem tyrannica et molesta et perniciosa non aliis tantum sed ipsis etiam tyrannis putatis, imperium vero maris ut maximum bonorum admiramini, quum revera nihil a monarchiis differat sed easdem prorsus et actiones et calamitates secum trahat. Thebanorum quidem res male se habere putatis, quod finitimis molesti sint, vos autem, quum nihilo sitis in socios æquiores quam illi in Bœotos, nulla in re ab officio aberrare persuasum habetis,

38. Quare si me quidem audire volueritis, vos ipsos repudiatis omnino inanibus consiliis in consilium adhibebitis, et rempubl. singulari studio complexi prudenter indagabitis, quidnam illud sit quod ambas urbes, nostram inquam et Lacedæmoniorum, eo provexerit, ut ab exiguis profectæ initiis Græcis imperarint, ac deinceps in immensum aucta potentia prope funditus excisæ fuerint: quasnam item ob causas Thessali, maximis opibus acceptis et optimo amplissimoque præditi agro, eo redacti sint ut nesciant quo se vertant, Megarenses autem, quum opes eorum per se parvæ ac tenues sint, quumque neque agrum habeant neque portus neque argentifodinas, sed saxa excolant, amplissimas facultates inter omnes Græcos pararint; ac illorum quidem arces semper alii quidam teneant, quum ultra tria millia equitum habeant et parmatos innumeros, hi autem, quum parvæ eorum copiæ sint, suam rempublicam suo arbitratu administrent; adhæc, cur illi bella intestina gerant, hi, quum intra Peloponnenses et Thebanos et nostram urbem habitent, in pace perpetuo vivant. Nam si hæc et quæ hujus generis sunt animo percurreritis, intemperantiam et superbiam malorum, modestiam bonorum exstitisse causam reperietis: quam vos in privatis rebus laudatis, et ejus studiosos maxime in tuto esse et reliquis civibus præstare creditis, sed a republica removendam esse ducitis. Decet autem virtutes exercere et aversari vitia non privatos homines duntaxat, sed civitates etiam ac multo quidem magis. Nam homo sceleratus atque impius fortassis obierit priusquam det scelerum pœnas, urbes vero, quæ quodammodo immortales sunt, nec divinam nec humanam animadversionem effugiunt.

39. Hæc igitur consideranda sunt, nec iis auscultandum qui, dum in præsentia grata et jucunda dicant, posteritatis nullam rationem habent, quique se populo studere profitentur, quum totam rempublicam evertant: nam olim etiam istud hominum genus, suggestus et concionum dominatione ac regno suscepto, in eam dementiam urbem perduxit, quæ calamitates eas peperit quas paulo ante commemoravi. Maxime itaque mirum est, vos summos magistratus mandare non illis qui eodem animo sunt quo ii qui rempublicam amplificarunt, sed iis qui non alia et dicunt et agunt quam qui everterunt, quum præsertim sciatis non eo solum præstare improbis bonos viros quod hi civitatem beatam reddunt, sed democratiam etiam iis gubernantibus per multos annos neque motam neque mutatam esse, sub istis parvo spatio temporis bis jam dissolutam, et quos tyranni et Triginta illi in exsilium egerant, non per sycophantas ab exsilio revocatos, sed eorum ope restitutos qui et istis infensissimi sunt et ob virtutem celeberrimi.

40. Etsi autem nobis tanta monumenta relicta sunt clareque perspicitur quid ex utrorumque gubernatione respublica vel commodi

vel detrimenti ceperit, sic tamen oratorum improbitate delectamur, ut, quum videamus ob bella et tumultus ab istis excitatos cæterorum civium permultos paternis bonis spoliatos, istos e pauperibus divites esse factos, non indignemur nec successibus eorum invideamus, sed convitia æquis animis feramus quæ nostræ urbi dicuntur, quod affligat et vexet exactionibus Græcos, quarum illi fructus percipiunt; ac populus quidem, quem isti aliis imperare oportere dictitant, infelicior est iis qui in oligarchiis serviunt, qui autem omni bono caruerunt, ii per amentiam nostram ex humilibus facti sunt beati. At Pericles qui ante istos populo præfuit, quum urbem administrandam suscepisset, non quidem ita sanam et moderatam ut ante adeptum principatum, sed mediocriter tamen adhuc constitutam, non suis opibus augendis intentus fuit, sed minorem censum reliquit quam a patre acceperat, in arcem vero talenta octies mille retulit, præter sacram pecuniam et ornamenta templorum. Inter istos autem et illum tantum interest, ut, quum dicere audeant se ob reipubl. administrationem non vacare posse curandæ rei familiari, tamen ea quæ negliguntur scilicet tanta incrementa sumpsisse constet, quanta olim ne a diis quidem precari ausi fuissent, plerosque autem nostrum sic esse malis oppressos, ut nemo civium suaviter et tranquillo animo vivat, sed querelarum et lamentationum plena tota sit civitas. Nam alii secum paupertatem et inopiam queri suam coguntur, alii multiplicia edicta et munera et mala ex classibus oriunda et opum permutationes miserantur: quæ tantas molestias pariunt, ut insuavius ii vivant qui rem habent quam qui in paupertate perpetua degunt.

41. Mirum profecto est vos non perspicere tandem, nullum hominum genus inimicius et malevolentius esse multitudini quam improbos oratores et tribunos plebis: nam, præter mala cætera, etiam annonæ vos laborare penuria maxime optant; vident enim eos qui de suo habent unde vivant reipubl. addictos esse et cum iis facere qui rectissime consulunt, qui autem de judiciis et de concionibus victitant et quæ inde percipiuntur emolumentis, eos inopia coactos a se pendere, et magnam habere gratiam delationibus et accusationibus et reliquis calumniis quarum isti sunt auctores. Quum igitur regnum sibi stabiliri civium inopia videant, eos omnes vellent esse quam egentissimos. Cujus rei signum illud certissimum est: quod non tam inopiæ tenuiorum student succurrere, quam eos qui aliquid habere videntur egentibus exæquare.

42. Quod igitur his malis remedium invenietur? Disserui jam quidem de his fere omnibus, non ordine, sed uti singula se offerre videbantur: quæ facilius memoria custodietis, si maxime necessaria collecta in unum locum repetiverimus.

43. Prima igitur hæc est emendandæ et erigendæ reipubl. ratio, si de publicis negotiis deliberaturi eos in consilium adhibuerimus,

quibus privatis in rebus nullos anteponeremus, et desieritis calumniatores existimare populares, honestosque viros oligarchicos; illud enim tenendum est, natura neminem vel popularem vel paucorum esse potentiæ studiosum, sed eam quemque reipubl. formam expetere maxime, in qua maxime honoratur.

44. Secundo loco, tales debemus erga socios nos præbere quales erga amicos, non autem verbo libertatem dare, reipsa vero ducibus nostris omnem in eos grassandi licentiam proponere; præsimus eis, non ut domini servis, sed ita ut sociis dignum est, illud edocti, nos singulis urbibus superiores esse viribus, universis inferiores.

45. Tertium est, ut secundum pietatem in deos nihil pluris faciatis quam ut Græci honestissime de vobis et sentiant et loquantur: nam, quos illi sic animatos viderint, his ultro et principatum deferunt, et eorum fidei se committunt.

46. Quod si ea quæ diximus præstiteritis, et ita vos comparaveritis ut et rei militaris exercitatione atque apparatu sitis bellicosi, et nihil præter jus et æquum agendo pacis studiosi, non hanc modo urbem felicem reddetis, sed etiam Græcos universos. Nec enim ulla cæterarum urbium eos lædere audebit, sed verebuntur sollicitique cavebunt ne quid moveant, quando viderint nostram potentiam velut e specula prospicientem omnia et in hoc intentam ut oneratis injuria opituletur. Sed utrum illæ fecerint, reipublicæ nostræ res recte ac præclare se habebunt. Sive enim potentioribus urbibus visum fuerit abstinere injuriis, ea felicitas nobis imputabitur; sive grassari illæ cœperint, qui in metu et malis erunt ad nos confugient et supplices a nobis auxilium magna contentione expetent, nec principatum tantum sed semetipsos etiam nobis tradent. Quare non defuturi sunt quorum ope delinquentes coerceamus, sed multos habebimus qui strenuam alacremque operam nobis navent. Quæ enim urbs, imo quis mortalium, nostram amicitiam et societatem non ducet expetendam, quum eosdem utraque re, et insigni justitia et maxima potentia, viderint præditos, itaque paratos ut aliis saluti esse et possint et velint, quum ipsi nullis auxiliis egeant? quanta vero nostræ urbis incrementa erunt, ubi aliorum tanta erit erga nos benevolentia? quantis opibus affluet etiam respublica, universa Græcia per nos conservata? qui nos non efferent laudibus tot ac tantorum bonorum auctores? Sed ego propter ætatem oratione mea non omnia complecti possum, quæ animo perspicio, nisi quod præclarum est nos in aliorum injuriis et insania primos ad sanam mentem reversos Græcorum salutis et libertatis curam suscipere potius quam pestes illorum appellari, et virtute illustres avitam gloriam recuperare.

47. Nunc id dicam quod caput est, quo et superiora omnia per-

tinent, et in quod intuentes omnes nostræ urbis actiones probare debemus. Nam, si maledicta quibus nunc petimur exstinguere, si temeraria bella sopire, si principatum perpetuo tenere studemus, nulla nobis tyrannica imperia et potestates sunt affectandæ, consideratis calamitatibus quæ inde capiuntur, et regnum Lacedæmoniorum imitandum atque æmulandum: quorum regibus minor delinquendi potestas est quam hominibus privatis; tanto autem feliciores sunt iis qui vi tenent imperia, ut tyrannorum quidem interfectoribus maxima præmia publice constituta sint, pro illis vero qui mortem in præliis oppetere dubitant ignominiosiores habeantur quam qui deseruerunt ordines aut clypeos abjecerunt. Operæ pretium igitur est talem expetere principatum. Ea autem rerum nostrarum natura est ut a Græcis honorem eum consequamur, qui Spartanis regibus a civibus habetur, si vestram potentiam non ad opprimendam sed ad conservandam Græciam pertinere existimarint.

48. Etsi autem de hoc argumento et multa et honesta dici possent, tamen ut dicendi finem faciam utraque me admonent, et orationis longitudo et annorum meorum multitudo: adolescentes autem et per ætatem me robustiores moneo et hortor ut ea et dicant et scribant, quibus maximæ urbes et aliis nocere solitæ ad virtutem et justitiam incitentur; nam in rebus Græciæ secundis eruditorum etiam hominum res multo fieri meliores consueverunt.

ISOCRATIS

EVAGORAS.

1. Quum te viderem patris tui funus ornare, Nicocles, non magnifico tantum et splendido apparatu, sed et choris et musica et ludis gymnicis, atque etiam equorum triremiumque certaminibus, nihil denique prætermittere quod ad talium rerum amplitudinem addi posset, equidem Evagoram, si quid eorum quæ hic fierent defuncti sentirent, existimabam, tum ista benigne approbare et libenter spectare istam sui curam tuamque magnificentiam, tum ei longe majorem etiam quam cæteris omnibus gratiam habiturum, qui de actionibus ejus et belli discriminibus dicere posset pro dignitate rerum ab eo gestarum: honoris enim cupidos viros et magnanimos non tantum istis rebus laudem anteponere constat, sed obitum etiam vitæ plane præferre, ac gloriæ quam salutis studiosiores esse, omniaque facere ut immortalem sui memoriam relinquant. Sumptus autem nihil ejusmodi præstant, sed divitiarum sunt argumentum: qui vero musica et aliis certaminibus occupantur, suis partim viribus partim artificiis ostentatis, semetipsos honoratiores effecerunt; qui autem res ejus gestas ornata oratione recenseret, is Evagoræ virtutem immortali omnium hominum memoriæ commendaret.

2. Laudare igitur etiam alii debebant eos qui temporibus ipsorum strenue se gessissent, ut et ii qui facta aliorum ornare possunt de rebus notis verba facientes eas auditoribus vere narrarent, et adolescentes, quum scirent se iis fore illustriores quibus recte factis præstitissent, majore studio virtutis incitarentur. Nunc vero quis animum non despondeat, quum eos qui circa Trojana et ante illa tempora vixerunt et hymnis et tragœdiis celebrari videat, se vero sciat, tametsi illorum excellentiam superasset, nunquam tales laudes consecuturum? Hujus autem rei culpam invidia sustinet, quæ id duntaxat habet boni, quod sibimetipsi plurimum affert mali. Sunt enim quidam ita præfractis ingeniis, ut eos laudari libentius audiant quos utrum nati sint ignorant, quam eos a quibus ipsi beneficiis sunt affecti. Enimvero non decet cordatos viros istorum servire tantæ amentiæ, sed et negligendi sunt tales, et assuefaciendi cæteri ad ea quæ dici etiam est æquum audienda, præsertim quum et artes et

omnia cætera esse aucta sciamus non per eos qui unitate retinuerunt, sed eorum opera qui correxerunt locoque movere prava omnia non dubitarunt.

3. Equidem scio, quam sit difficile id quod facturus ego sum, viri virtutem oratione celebrare. Cujus rei signum illud est maximum: quod homines eruditi de aliis multis variisque rebus dicere audent, in hoc vero genere nemo illorum unquam scribendum quicquam suscepit. Id quod eis plane ignoscendum esse censeo. Nam poetis ornamenta multa concessa sunt: iis enim licet deos miscere hominum cœtibus, ac introducere colloquentes et adjuvantes in præliis quoslibet: atque hæc eadem explicare verbis non tantum usitatis, sed alia peregrinis, alia novis, alia translatis, nihil denique prætermittere quo poesim queant figurarum omni genere variare: oratores autem nullam hujusmodi facultatem habent, sed cum verbis vulgatis solum tum iis uti sententiis quas res ipsæ suppeditant omnino coguntur. Jam illi versibus et numeris devinciunt omnia, hi nullum tale adjumentum habent: quibus in rebus tantum venustatis inest, ut, etsi neque verba poematum neque sententiæ præclaræ fuerint, ipsa tamen concinnitas numerorum aptæque dimensiones demulceant auditores. Quæ quid valeant vel ex eo perspicitur: quod etiam laudata poemata si quis eorum verba sententiasque reliquerit, versum autem dissolverit, ea quam nunc de eis habemus opinione multo deteriora videantur. Quamvis autem poesis tantæ sint commoditates, non propterea tamen cessandum, sed periculum faciendum est an etiam oratione fortes viri celebrari possint, ac nihilo deterius quam ab iis qui carminibus et versibus eos ornant.

4. Ac primum de ortu atque natalibus Evagoræ, tametsi complures ante norunt, et mihi tamen aliquid cæterorum causa dicendum esse videtur, ut omnes intelligant, eum a pulcherrimis et maximis exemplis quæ relicta ipsi fuerant nihil degenerasse. Nam in confesso est oriundos a Jove semideorum esse nobilissimos, inter hos ipsos autem nemo est quin Æacidis principatum deferat: in aliis enim familiis alios præstantiores alios deteriores inveniemus, hi vero suis temporibus omnes omnium fuere celeberrimi.

5. Æacus enim, qui et Jovis filius et generis Teucridarum habetur auctor, tantum excelluit ut siccitate premente Græciam multisque mortalibus exstinctis, quum jam nihil ad calamitatis magnitudinem posset accedere, magistratus urbium supplices eum adierint, existimantes se per ejus cognationem et pietatem celerrime urgentium malorum a diis remedium impetraturos. Salutem porro adepti votorumque facti compotes, in Ægina templum omnium Græcorum nomine ædificarunt, quo in loco votum ille nuncuparat. Is igitur et dum vixit inter homines maxima semper gloria fuit; et

post obitum Plutoni et Proserpinæ maximis honoribus præditus assidere perhibetur.

6. Hujus filii fuerunt Telamon et Peleus, quorum alter expeditionis Herculanæ contra Laomedontem susceptæ socius primas virtute meruit, Peleus autem et re contra centauros bene gesta et multis aliis pugnis spectatus Thetidis Nereidos, mortalis ipse immortalis, conjugio potitus est, et solius hujus ex omni vetustatis memoria in nuptiis hymenæum deos cecinisse memoriæ proditum est.

7. Hi ambo filios habuerunt, Telamon Ajacem et Teucrum, Peleus Achillem, qui maximum et clarissimum virtutis suæ specimen ediderunt: nec enim in suis urbibus tantum principem locum tenuere, nec iis in locis quæ incoluerunt, sed expeditione a Græcis suscepta contra barbaros, et multis utrimque congregatis, quum nullus vir nominatus mansisset domi, in illis periculis ut Achilles omnibus antecelluit, sic Ajax secundum ab eo virtutis locum obtinuit; Teucer vero et horum cognatione dignus et nemine cæterorum inferior, quum in expugnanda Troja strenuam operam navasset, Cyprum advectus, et Salaminem condidit, prioris ei patriæ nomine imposito, et eam quæ nunc regnat familiam reliquit.

8. Tanta igitur est Evagoræ a majoribus accepta præstantia. Urbe autem sic condita, regnum initio Teucri posteri tenuerunt: insecutis vero temporibus quidam exsul e Phœnicia profectus, et ab eo qui tunc regnabat in fidem receptus magnamque potentiam nactus, non gratiam pro his retulit, sed et hospitii jus violavit, et, ut homo ad faciendam injuriam paratus, ejecto rege bene merito, ipse regnum occupavit. Quum vero conscientia scelerum trepidaret, resque suas in tuto collocare vellet, tum urbem barbaris implevit tum totam insulam servituti regis Persarum subjecit.

9. Cum igitur talis et status rerum esset et majores ejus principatu potirentur, Evagoras nascitur: de quo quæ omina, quæ vaticinationes, quæ visiones somniorum fuerint, quibus rebus humana sorte major videatur, omittere statui, non quin ea vera esse putem quæ dicuntur, sed ut omnibus probem tantum abesse ut rebus ejus gestis quicquam affingam, ut etiam e veris ea præterierim quæ in paucorum notitia et non in omnium civium conscientia versantur. Exordium autem de eo dicendi capiam a rebus quæ sunt extra omnem controversiam.

10. Puer igitur et forma et viribus et modestia, quæ bona eam ætatem maxime decent, excelluit. Atque iis de rebus testimonium perhibebunt hi, de modestia cives una cum eo instituti, de pulcritudine omnes qui viderunt, de viribus certamina in quibus æquales superavit. Quum vero adolevisset, et hæc una creverunt omnia, et eis accessit fortitudo et sapientia et justitia, atque hæ virtutes

neque mediocres neque communes, sed singulæ excellentes: tantum enim et corporis et animi virtutibus præstitit, ut ii, qui tum regnabant, quoties eum videbant percellerentur regnoque metuerent, existimantes non posse fieri ut talis natura in privatæ vitæ obscuritate delitesceret, quum vero mores ejus intuebantur, tantam ei fidem haberent, ut Evagoram sibi etiam contra insidias aliorum adjutorem fore confiderent.

11. Ac neutra eos, quum tantum inter eas interesset, fefellit opinio: nec enim privatus perpetuo mansit neque erga illos deliquit, sed ei deus tam sollicite prospexit, quo honeste regno potiretur, ut et ea, quæ citra impietatem peragi non poterant alius perpetrarit, et Evagoram ad ea reservarit per quæ imperium juste sancteque susciperet. Quidam enim procerum et per insidias tyrannum occidit et Evagoram comprehendere conatus est, imperium obtinere se non posse ratus nisi et illum e medio sustulisset. Hoc vero periculo evitato, quum incolumis Solos Ciliciæ urbem pervenisset, non eo fuit animo quo alii esse solent in hujusmodi calamitatibus. Cæteri enim, etiam ii qui regnum amiserunt, fracti fortunæ impetu animos habent abjectiores: ille autem tantum animo robur conceperat, ut, quum ante privatam vitam egisset, in exsilium actus regnum sibi vendicandum esse arbitraretur. Ac erronibus quidem fugitivis despectis, neque per alios reditum quærere neque seipso deteriores colere voluit: sed ea usus occasione quæ religiosos homines decet, qui acceptas injurias ulcisci, non ipsi facere injuriam, solent, aut re bene gesta imperare aut voto frustratus mortem oppetere statuit; et adhibitis hominibus — ut qui plurimos dicunt — circiter quinquaginta, illorum ope sibi reditum in patriam patefacere est conatus. Unde cumprimis et qui animus et quanta ejus apud socios fuerit auctoritas perspicitur: navigaturus enim cum tam paucis ad tam ingentem civitatem, quamvis acerbissima quæque in conspectu essent, tamen neque ipse abjecit animum neque commilitonum quisquam periculorum societatem detrectavit, sed et illi tanquam deum ducem secuti omnes in fide manserunt, et ipse, quasi aut firmiorem quam adversarii haberet exercitum aut futurorum esset præscius, sic animo affectus fuit.

12. Id quod res ipsa ostendit: nam quum in insulam e navi descendisset, non castellum aliquod firmum occupandum censuit, ut corpore suo in tuto collocato circumspiceret an aliqui civium opitulaturi essent; sed mox eadem nocte, ut erat paratus, parva quadam muri porta perfracta sociisque per eam introductis impetum in regiam fecit. Tumultus autem qui hujusmodi temporibus incidunt et cæterorum trepidationem et exhortationes illius multis referre quorsum attinet? Quum vero tyranni quidem satellites ei resisterent, reliqui autem cives spectatores essent — nam alterius imperium alterius

virtutem metuentes quiescebant —, non prius pugnare destitit et solus contra multos et cum paucis adversus hostes universos, quam capta regia et hostes ultus esset et amicis opem tulisset, et familiæ suæ patrios honores restituisset, et ipse dominum civitatis sese constituisset.

13. Equidem existimo, etiamsi nihil adderem, sed hic finem dicendi facerem, tamen ex his et Evagoræ virtutem et magnitudinem rerum ab eo gestarum facile cognosci posse. Verum utraque hæc per ea quæ sequuntur dilucidius arbitror me declaraturum.

14. Nam, quum tot omnibus temporibus reges fuerint, nemo reperietur qui honorem hunc pulcrius illo pararit. Quod si res gestas Evagoræ cum singulis illorum factis conferamus, fortasse nec occasionibus oratio congrueret, neque tempus iis quæ dicerentur sufficeret. Sin eum cum præstantissimis quibusque comparaverimus, ut nihilo pejus comparationem habebimus, ita majore compendio rem absolvemus.

15. Quis igitur Evagoræ pericula non illis anteferret qui patria regna susceperunt? Nemo enim ita socors et ignavus est, qui hoc imperium a majoribus accipere malit quam partum ut ab illo factum est liberis suis relinquere.

16. Ac inter veteres patrii regni recuperationes eæ maxime celebrantur, quas a poetis audimus: hi enim nobis non solum pulcherrimas superiorum temporum commemorant, sed et ipsi novas comminiscuntur. Nemo tamen illorum de ullo fabulatus est, qui per tam atrocia et horrenda pericula in regnum redierit: nam plerosque introduxerunt fortuito potitos imperiis, alios qui dolo et fraude vicerunt hostes.

17. Ex posterioribus autem, et fortassis inter omnes, Cyrum qui Medis imperium eripuit Persisque tradidit, et plurimi et maxime admirantur. Is vero exercitu Persarum copias Medorum vicit, quod multis et Græcis et barbaris facile fuerit factu: hunc vero animo suo et corpore pleraque horum quæ diximus perfecisse constat. Deinde e Cyri expeditione nondum perspicuum est eum et Evagoræ pericula fuisse aditurum: ex rebus autem ab hoc gestis manifestum est omnibus eum facile illa quoque facinora fuisse obiturum. Præterea hic sancte et juste peregit omnia; illi vero nonnulla violata pietate contigerunt: noster enim hostes suos occidit, Cyrus vero matris suæ patrem interemit. Quare, si qui spectare velint non eventuum magnitudinem, sed virtutis quæ in utroque fuerit faciant contentionem, jure etiam illi Evagoram prætulerint. Quod si breviter et sine dissimulatione et absque invidiæ metu libereque dicendum est, nemo neque mortalis neque semideus nec immortalis invenietur, qui pulcrius et splendidius aut majore pietate

regnum sit adeptus. Atque hæc ea ratione facillime credet, qui his quæ dicimus valde abrogata fide exquirere instituerit quomodo regnis singuli sint potiti. Apparebit enim, me non de industria captasse magniloquentiam, sed rei veritate adductum ita confidenter de eo disseruisse.

18. Nam, siquidem parvis rebus excelluisset, tales etiam orationes de eo haberi fuisset æquum: nunc regnum omnium divinorum et humanorum bonorum esse maximum et splendidissimum et summa vel armorum contentione dignissimum fatentur omnes. Eum igitur qui re in tota rerum natura longe pulcherrima pulcherrime potitus est, quis orator aut poeta aut verborum opifex pro rerum gestarum dignitate collaudarit?

19. Neque vero quum in his excelluisset, in cæteris inferior fuisse comperietur; nam primum, quamvis ingenio felicissimo esset plurimaque rite conficere posset, non tamen negligenter ac temere quicquam agendum sibi censuit, sed in inquirendo et cogitando et deliberando plurimum temporis consumpsit, existimans, si mentem probe exercuisset, regnum quoque suum fore præclarum, eorumque mores demiratus qui cæterarum rerum causa mentis curam susciperent, ipsam vero mentem prorsus negligerent. In rebus deinde administrandis idem plane sensit: quum enim videret eos qui suas res diligentissime curarent molestiis affici minimis, et veras animi remissiones non in ignavia esse positas sed recte factis et tolerantia laborum constare, nihil inexploratum reliquit, sed ita perfecte res tenebat ita cives singulos norat, ut nec ab insidiatoribus opprimeretur nec bonos ignoraret, sed omnes pro merito tractaret; non enim cives aut puniebat aut honorabat ex aliorum sermonibus, sed pro sua conscientia de eis judicabat. Quum igitur in hujusmodi curationes se collocasset, ne in eorum quidem negotiorum quæ indies incidunt vel unico deceptus est, sed urbi tanta et pietate et humanitate præfuit, ut hospites non magis Evagoram qui imperaret quam qui tali regi parerent fortunatos judicarent: nam hoc perpetuum ejus studium fuit neminem injuria lædere, et bonos honorare, et pro imperii quidem auctoritate cum omnibus agere, sed delinquentes legitimis suppliciis coercere: nihil ille quidem consiliariis indigebat, sed tamen amicorum sententias de rebus omnibus audiebat: amicis sæpe de jure suo concedebat, semper autem hostes superabat: majestatem tuebatur non contracto supercilio, sed vitæ instituto: nulla in re ordinem constantiamve negligebat, sed quicquid verbis promisisset, non minus servabat quam si jusjurandum dedisset: animosus non ob fortunæ munera, sed recte factorum conscientia: amicos beneficiis sibi devinciebat, alios animi magnitudine subigebat: terribilis erat non frequenti sævitia, sed excellenti sapientia: voluptatibus imperabat, non autem cupiditatibus ser-

viebat: paucis laboribus multum otii parabat, non ob parvas oblectationes magnos labores cumulabat: denique nihil prætermittebat quod regibus inesse necesse sit, sed e singulis rerumpubl. formis præstantissima quæque deligebat, qui et popularis esset observantia multitudinis, et politicus gubernatione totius urbis, et imperatorius recto in periculis consilio, et magnanimus harum rerum omnium excellentia. Atque hæc in Evagora fuisse, et plura etiam his, ex ipsis factis facile intelligetur.

20. Nam quum civitatem barbarie deformatam suscepisset, quæ ob Phœnicum imperium nec Græcos admitteret nec artes sciret nec emporio uteretur nec portum teneret, tum hæc omnia correxit, tum agri etiam multum adjecit urbemque muro circumdedit et triremes ædificavit, et reliquis apparatibus sic auxit ut cum quavis Græcarum urbium certare possit, tantisque copiis munivit ut multi nunc eam timeant qui prius contemnebant. Neque vero fieri potest ut urbes ita crescant, nisi talibus moribus gubernentur, quales Evagoras habuit, atque ego paulo ante studui commemorare. Quare non metuo ne majora quam pro ejus virtute dicere videar, sed illud verendum potius ne magnitudinem rerum ab eo gestarum oratione mea nequaquam attingam. Quis enim satis prædicet virum tali præditum ingenio, qui non suam tantum urbem bonis institutis excoluit, sed et universos finitimos insulares ad mansuetudinem et moderationem deduxit? Priusquam Evagoras regno potiretur, ea fuerunt sævitia et immanitate ut eos etiam principes putarent optimos, qui Græcos crudelissime tractarent: nunc vero usque adeo sunt alii facti, ut inter se certent quinam ex eis Græcorum amantissimi videantur, eorumque plurimi nostratibus uxoribus ductis liberos procreent, et magis cum instrumento tum institutis Græcanicis gaudeant quam patriis et domesticis, pluresque in musicis et aliis artibus eruditi his in locis versentur quam apud eos ubi antea degere soliti fuerant. Neque vero quisquam est quin hæc accepta esse Evagoræ referenda fateatur.

21. Illud autem certissimum signum est et morum et sanctitatis ejus: quod Græcorum complures optimi et honestissimi viri patria relicta habitatum in Cyprum concesserunt, existimantes regnum Evagoræ plus æquitatis et liberalitatis habere quam suas domi respublicas. Ac cæteros quidem nominatim recensere perquam operosum fuerit: Cononem autem, qui virtutibus plurimis princeps Græcorum fuit, quis ignorat, quum nostra urbs cladem accepisset, ad Evagoram selectum e cæteris omnibus se contulisse? quod putabat se apud eum et saluti suæ rectissime consulturum, et reipublicæ erigendæ adjutorem quamprimum habiturum? Quum autem prius multis de rebus recta consilia iniisset, nulla tamen de re unquam visus est quam de hac melius statuisse: siquidem ita contigit ut

propter adventum in Cyprum plurima beneficia et daret et acciperet. Primum enim statim ut congressi sunt, pluris uterque alterum fecit quam vetustate amicitiæ conjunctos. Deinde cum cæteris de rebus perpetuo consenserunt, tum de nostra civitate in eadem sententia fuerunt. Quam quum viderent ingenti mutatione facta parere Lacedæmoniis, graviter molesteque tulerunt, sicut utrumque decuit: nam alteri natura erat patria, alterum ob multa et magna beneficia lege in civitatem adscripserant. Cogitantibus igitur eis quomodo e calamitatibus eam eriperent, mox opportunitatem Lacedæmonii præbuerunt: qui, quum Græcis terra marique imperarent, insatiabili cupiditate incitati Asiam quoque vastare cœperunt. Ea igitur hi occasione arrepta, regios duces quid consilii capiendum esset dubitantes, docuerunt, non terra sed mari aggrediendos esse Lacedæmonios, existimantes, si peditatu conscripto terra vicissent, Asianis duntaxat consultum fore, sin mari superassent, totam Græciam ex ea victoria fructus esse capturam. Id quod evenit: nam, quum duces huic consilio paruissent ac classem comparassent, et Lacedæmonii navali prælio victi et imperio privati sunt, et Græci libertatem recuperarunt, et nostra urbs antiquæ gloriæ partem quandam denuo recepit, delatumque a sociis principatum accepit. Atque hæc gesta sunt, Conone quidem duce, Evagora vero tum ipso strenuam operam navante tum maximam copiarum partem comparante. Pro quibus meritis nos eis maximos honores decrevimus, et statuas posuimus in eo loco, in quo Jovis Servatoris simulacrum est, tum illi tum inter se vicinas, quæ utriusque rei monumentum essent, et maximi beneficii et amicitiæ quæ fuit inter ipsos.

22. Rex vero Persarum non eodem modo erga eos affectus fuit, sed quo res majores et illustriores gesserant, eo magis eos formidavit. Ac de Conone alio loco dicemus: quæ vero mens ejus erga Evagoram fuerit, ne ipse quidem dissimulare studuit. Constat enim eum in bellum Cyprium majore conatu incubuisse quam in cætera universa, et hunc majorem ac graviorem adversarium judicasse quam Cyrum qui cum eo de regno decertavit. Et hoc maximum signum est: quod auditis fratris apparatibus adeo securus fuit, ut parum abesset quin ob incuriam in ipsa prope regia opprimeretur; alterum vero tamdiu ante formidavit, ut inter accipiendum beneficia bellum adversus eum moliretur, non ille quidem justitiæ studio, sed tamen non stulto prorsus consilio. Sciebat enim multos tum Græcorum tum barbarorum a contemptis initiis profectos maxima imperia evertisse, intelligebat etiam Evagoræ magnanimitatem et successus tum gloriæ tum rerum gestarum non lente progredi videbat, sed et insuperabili eum esse ingenio, et fortunam habere adjutricem: quare non iratus ob ante facta sed de futuris sollicitus, neque Cypro tantum metuens sed rebus longe majoribus timens, bellum contra

eum suscepit; idque tanta mole, ut in eam expeditionem amplius quindecim millia talentum insumpserit.

23. Evagoras tamen omnibus copiis inferior, opposito suo consilio contra tam immensos apparatus, se in his longe admirabiliorem præbuit quam in iis omnibus quæ supra diximus. Dum enim eum pace frui patiebantur, suam duntaxat urbem habuit: postquam vero armis se defendere coactus est, talem se præbuit talemque adjutorem filium Pnytagoram habuit, ut parum abesset quin tota Cypro potiretur, Phœniciam vero vastavit, Tyrum vi cepit, Ciliciam ad defectionem a rege impulit, et tantam hostium stragem edidit, ut multi Persarum sua mala deplorantes virtutem illius recordentur; eo denique rem redegit ut eos tanta belli satietas caperet, ut quum reges superiori tempore non redire in gratiam cum iis qui defecerant consuevissent antequam corporibus eorum potiti essent, cupide pacem fecerint, soluta quidem lege illa, sed nihil mutato Evagoræ imperio. Ac Lacedæmoniis quidem, qui ea tempestate et gloria et potentia excellebant, intra triennium eripuit imperium: sed bello hoc in decimum usque annum prorogato, dominum earundem rerum reliquit Evagoram, quas ante illatum bellum habuerat. Et quod omnium maximum est: quam urbem Evagoras altero regnante cum quinquaginta viris ceperat, eam magnus rex tantis copiis instructus subigere non potuit.

24. Enimvero qua ratione vel fortitudo vel prudentia vel universa virtus Evagoræ dilucidius ostendi posset, quam talibus facinoribus et pugnis? Non enim cætera bella tantum sed illud etiam ab heroibus gestum et ab omnibus mortalibus celebratum superavit. Nam illi quidem cum universa Græcia Trojam solam ceperunt, hic vero quum unam tantum haberet urbem bellum totius Asiæ toleravit: quare si tot eum laudare voluissent quot illos, majorem etiam quam illi gloriam adeptus esset.

25. Quem enim inveniemus illius sæculi, si omissis fabulis rem ipsam spectemus, qui talia perfecerit, aut qui tantarum in rebus mutationum fuerit auctor? Nam et e privata vita ad regnum suapte virtute adscendit, et suum genus plane pulsum a republica in convenientem dignitatis gradum restituit, et cives e barbaris Græcos, ex effœminatis bellicosos, ex obscuris celeberrimos, effecit: præterea locum eum, quum abhorrentem a commerciis et prorsus efferatum invenisset, mansuetiorem et mitiorem reddidit; post susceptis cum rege inimicitiis tam præclare eum ultus est, ut bellum in Cypro gestum nulla oblivione queat aboleri, dum vero socius regis esset tanto plus in eo quam cæteris præsidii fuit, ut extra controversiam ad Cnidum navale prælium maximas ei vires contulerit, quo confecto non modo rex totius Asiæ dominatu potitus est, sed et Lacedæmonii qui ante in Asia grassabantur de aris et focis dimicare

sunt coacti, et Græci excusso jugo servitutis libertatem receperunt, et Atheniensium opes ita creverunt ut qui prius illis imperarant ad ipsos venirent imperium tradituri.

26. Quare si quis me roget quid inter Evagoræ facinora maximum esse judicem, utrum navatam operam et apparatus contra Lacedæmonios, propter quæ hæc quæ diximus facta sunt, an extremum bellum, an occupationem regni, an totam rerum administrationem, quid respondeam non sim habiturus : nam singula, quæ accuratius cum animo meo expendo, maxima et maxime admirabilia mihi semper videntur.

27. Quare si qui veterum immortalitatem virtute sibi pepererunt, illum etiam eo munere dignatum esse censeo, his argumentis adductus, quod hanc quoque vitam felicius et deo longe acceptius quam illi ad obitum usque exegit. Nam semideorum plerosque et eos quidem celeberrimos in maximas scimus incidisse calamitates, Evagoras vero non admirabilissimus tantum sed etiam beatissimus jam inde ab initio permansit.

28. Quæ enim felicitatis pars ei defuit ? qui tales majores habuit quales nemo alius, nisi ex eadem familia oriundus, qui tantum et corpore et ingenio cæteris præstitit ut non Salaminis tantum sed totius Asiæ dignus esset imperio; deinde in regno quod pulcherrime paraverat vitam exegit, et quum mortalis esset natus immortalem nominis sui memoriam reliquit, et eo usque vixit, ut neque senectutis esset expers neque morbis qui hanc ætatem comitari solent premeretur ; præterea, quod rarissimum et difficillimum habetur, ut idem et multos et felices liberos suscipiat, ne id quidem ei defuit, sed et ipsum contigit; et, quod maximum est, neminem e se natum reliquit qui plebeiis nominibus salutetur, sed alium regem, alios principes, alias principum uxores. Quare, si qui veterum poetarum magnificentius locuti deum aliquem esse inter homines dixerunt aut numen mortale, ea universa de illius natura et ingenio convenientissime dicerentur.

29. Ac multa quidem me quæ dicenda essent de Evagora prætermisisse arbitror; desidero enim vigorem ætatis, cujus ope accuratius et studiosius laudationem hanc perfecissem : verumtamen etiam nunc, quantum in meis viribus fuit, non defuit ei laudatio.

30. Ego vero, Nicocles, pulcra monumenta esse statuo etiam corporum imagines, sed longe majoris pretii esse puto simulacra mentis et actionum, quæ in artificiosis duntaxat orationibus conspiciuntur. Quas ego ideo cæteris rebus antepono, tum quod præstantes viros animadverto non tam forma corporis superbire, quam facinora nominisque memoriam sibi laudi ducere; tum quia necesse est expressas corporum formas apud eos duntaxat esse apud quos positæ fuerint, orationes autem in Græcia vulgari possunt, et in

cœtus eruditorum editæ magni fieri ac diligi, apud quos esse in gloria præstat quam apud alios universos; deinde fictis et pictis imaginibus nemo naturam corporis expresserit, mores autem aliorum et ingenia quæ oratione repræsentantur facile est imitari, si qui repudiata ignavia viri boni esse meditentur.

31. Quo libentius etiam orationem hanc scribendam suscepi, quod existimabam et tibi et tuis liberis et cæteris ab Evagora oriundis longe pulcherrimam fore adhortationem, si quis congregatas ejus virtutes et verbis exornatas vobis spectandas quotidieque versandas manibus atque animis tradidisset. Nam cæteros ad sapientiæ studium laudibus aliorum propositis exhortamur, ut earum laudum æmulatione incitati earundem etiam virtutum desiderio inflammentur: ego vero te ac tuos non alienis exemplis usus sed domesticis hortor, et in eo elaborandum tibi esse censeo, ne vel eloquentia vel sapienti rerum administratione ullo Græcorum sis inferior.

32. Neque vero putes te accusari a me ignaviæ, quod te ad easdem res toties exhortor. Nec enim vel me vel alios præterit, te et solum et primum eorum, qui regia dignitate præditi opibus et deliciis circumfluunt, sapientiæ studium amplexum honestos labores promptissime capessere; nec illud etiam obscurum est, multos reges exemplo doctrinæ tuæ incitatos, omissis iis rebus quibus nunc impense gaudent, istud studiorum et disciplinæ genus expetituros. Verum ego, quamvis hæc sciam, nihilominus tamen et facio et faciam idem quod in ludis gymnicis a spectatoribus fieri solet: nam illi acclamant cursoribus non ignavissimis, sed victoriæ proximis.

33. Quare meum et cæterorum amicorum officium est, ea tum dicere tum scribere per quæ te acuamus ad ea desideranda quæ tibi etiam nunc placuerunt: te vero decet nihil prætermittere, sed ut in præsentia sic in posterum quoque curam tui gerere, et exercere ingenium, ut et patre dignum te præbeas et cæteris tuis majoribus. Nam cum omnibus convenit magni facere sapientiam, tum vobis qui in multa maximaque habetis imperium in primis. Non autem eo contentus esse debes, si iis qui nunc sunt jam sis præstantior, sed indignari, si ipse et tali præditus ingenio, et si prima origo repetatur Jove, sin ad proxima veniamus e viro virtute præstantissimo natus, non multum antecellas tum cæteris tum iis etiam qui in pari dignitatis gradu sunt collocati. Est autem in te situm ne his frustrere: nam, si in studio sapientiæ perseveraris et tantos progressus feceris quantos hactenus, celeriter talis evades qualem te esse decet.

ISOCRATIS

HELENÆ LAUDATIO.

1. Sunt qui sibi valde placeant, si argumentum absurdum et admirabile aggressi de eo tolerabiliter dicere queant: et per omnem ætatem in ore habent alii non posse mentiri quemquam aut contradicere neque duas de rebus iisdem contrarias orationes habere, alii fortitudinem et sapientiam et justitiam idem esse, neque nos istarum rerum naturæ quicquam habere, sed unam esse scientiam qua hæc omnia tradantur; alii tempus rixis terunt quæ quidem utilitatis nihil afferunt, sed negotia facessere possunt auditoribus.

2. Ego vero si nuper ineptias istas in eloquentiæ studium invectas viderem illosque inventorum novitate gloriari, eorum insolentiam non perinde mirarer: nunc quis adeo rudis est qui nesciat Protagoram ac illius temporis sophistas et talia et his longe operosiora scripta nobis reliquisse? Nam qui superari ab ullo posset Gorgias qui nihil in rerum natura esse dixit quod sit, aut Zeno qui probare conatur eadem et posse et non posse fieri, aut Melissus qui, quum res infinitæ sint, rationes invenire conatus est quibus demonstraret unum quiddam esse totam rerum universitatem?

3. Etsi autem illi tam evidenter ostenderunt facile esse de quacunque re si libeat falsam orationem comminisci, adhuc tamen in eo loco immorantur isti: quos decuit omissis præstigiis illis, quæ quum verbis alios convincere se profiteantur, reipsa jam olim ipsæ convictæ sunt, veritati studere, et suos auditores in iis rebus quæ in vita communi usum habent erudire, atque in actionibus civilibus earumque peritia exercere, illud cogitantes, longe præstabilius esse de rebus utilibus mediocres opiniones habere quam supervacanearum exquisitam cognitionem, et aliis paulo superiorem esse in magnis quam in parvis, præsertim iis quæ vitam nihil adjuvant multum excellere.

4. Verum istis nihil aliud curæ est, nisi ut ab adolescentibus pecuniam auferant. Idque præstare potest rixosa illa eloquentia: nam, qui neque publicam neque privatam rem curant, hi disputationibus illis delectantur maxime quæ prorsus omni carent utilitate.

5. Ac adolescentibus quidem omnino venia hujus erroris danda est; quum omnibus in rebus ea maximi faciant quæ supervacanea sunt et a communi sensu abhorrent: qui autem magistros se perhiberi volunt reprehendendi sunt, qui, quum eos accusent qui in

privatis contractibus fraudant et fallunt aliquos et sermone ad injurias abutuntur, ipsi multo gravius delinquunt. Nam illi quidem damnum dant alienis, hi vero suis familiaribus potissimum incommodant.

6. Mentiendi licentia tantopere aucta est, ut jam quidam, dum istos hujusmodi rebus ditari vident, scribere audeant mendicorum et exsulum vitam magis expetendam esse quam hominum cæterorum. Id autem venantur ut vulgo persuadeant, se, quum de rebus ita improbatis verba suppetant, ad res præclaras exponendas luculenta oratione facile abundaturos. Mihi vero nihil æque ridiculum videtur ac quod istis rationibus probare student se rerum civilium peritos esse, quum in iis ipsis quæ pollicentur specimen eruditionis suæ præbere possent: nam, qui prudentia præstare cæteris et sophistæ videri volunt, excellere ac superare indoctos debent, non rebus quas alii negligunt, sed iis quas universi æmulantur. Nunc perinde faciunt, ac si is qui se pugilum præstantissimum esse profiteatur, eum in locum descendat quo nemo sequi dignetur. Quis enim sanæ mentis homo calamitates laudare instituat? Facile igitur cernitur eos ob ingeniorum infirmitatem huc confugere. Est enim ejusmodi scriptionum una quædam via, nec ad inveniendum nec ad discendum nec ad imitandum difficilis: communes autem et fide dignæ et verisimiles orationes per multas formas et observationes cognitu difficiles tum inveniuntur tum discuntur, ac tanto difficilius componuntur, quanto gravitas scurrarum levitate, res seria ludis et jocis, est laboriosior. Idque ex eo intelligitur: quod neminem unquam, qui apiculas et salem et reliqua ejus generis laudare voluit, verba defecerunt; qui vero de rebus omnium confessione præclaris et bonis aut viris virtute præstantibus dicere conati sunt, hi universi longe tenuius dixerunt quam argumenti magnitudo postulabat. Non enim ejusdem est ingenii pro utrorumque dicere dignitate, sed ut expeditum parva oratione superare, sic ingentium æquare dicendo magnitudinem difficillimum: ac de rebus luculentis difficile est aliquid afferre in medium quod nemo ante usurparit, de rebus autem contemptis et humilibus quicquid vel in buccam venerit, omne proprium fuerit.

7. Quapropter eum qui de Helena scripsit maxime laudo inter eos qui dicendo aliquid illustrare voluerunt, quod eam mulierem celebrandam duxit, quæ et genere et forma et gloria multum excelluit. Sed et illum tamen parvum quiddam fefellit: nam, quum se laudationem scripsisse profiteatur, defensionem potius factorum illius edidit. Neque vero ejusdem generis est nec de rebus iisdem habetur oratio, imo nihil fieri posset magis contrarium: defendendi enim sunt qui criminis alicujus accusantur, laudandi qui bono quopiam aliis antecellunt.

8. Ne vero id quod facillimum est facere videar, ut in reprehensione aliorum nihil ipse meum proferam, de hac ipsa facere verba conabor, prætermissis omnibus iis quæ cæteri dixerunt.

9. Orationis autem exordium a primordio generis ipsius ducam. Nam, quum semidei plurimi a Jove procreati sint, solius hujus mulieris pater vocari voluit. Et quamvis Alcmenæ filium maximi fecerit, tanto plus tamen honoris Helenæ habuit, ut illi robur dederit, quod vi cæteros omnes vincere potest, huic pulcritudinem attribuerit, quæ ipsi robori solet imperare. Quia vero non quiete et otio sed bellis et periculis splendorem atque excellentiam comparari sciebat, nec eorum corpora tantum immortalitate donare sed ipsos etiam perpetuitate nominis ornare decreverat, alterius vitam laboribus et periculis plurimis obnoxiam esse voluit, alterius naturam illustrem et expetendam reddidit.

10. Ac primum Theseus, Ægei verbo, reipsa Neptuni filius, visa ea dum quidem immatura esset adhuc, sed aliis jam nunc præstaret, usque adeo pulcritudine ejus superatus est is qui alios vincere solebat, ut, quum patriam haberet amplissimam et regnum tutissimum, in illis ipsis bonis absque hujus familiaritate vitam sibi acerbam fore putaret; sed quia eorum voluntate quorum erat auctoritas ea potiri non poterat — nam illi et ætatem puellæ et oraculum Delphicum exspectabant —, despecto Tyndarei regno, et Castoris Pollucisque viribus, et periculis omnibus quæ a Lacedæmoniis impendebant neglectis, Aphidnam Atticæ oppidum vi raptam pertulit, tantoque se Pirithoi beneficio qui ejus rapiendæ socius fuerat affectum esse putavit, ut, quum ille ambire Proserpinam Jovis et Cereris filiam vellet eumque ut secum ad inferos descenderet rogaret, quum dehortando et dissuadendo nihil profecisset, quanquam in conspectu erat calamitas tamen eum comitatus sit, existimans hanc mercedem ejus deberi meritis et susceptæ una periculi societati, ne ulla Pirithoi jussa detrectaret.

11. Quod si is qui hæc egit vulgaris aliquis fuisset et non vir excellentissimus, nondum constaret utrum hæc oratio laus Helenæ an Thesei potius esset accusatio: nunc inter cæteros illustres viros, alium fortitudinis, alium sapientiæ laude, alios aliis hujusmodi virtutibus caruisse reperias, huic vero soli defuisse nihil, sed virtutem numeris omnibus absolutam contigisse. Lubet autem de eo dicere prolixius: nam laudatores Helenæ hoc argumento maximam sibi fidem conciliaturos existimo, si ostenderint amatores et admiratores ejus, ipsos aliis admirabiliores exstitisse.

12. Nam quæ nostra ætate facta sunt, de iis haud injuria nostrum judicium interponimus, in rebus vero a nostra memoria ita remotis par nos est illorum temporum prudentibus viris assentiri. Ac pulcherrimum de Theseo dicere illud habeo, quod Herculis temporibus natus ita se gessit ut parem cum illo gloriam consequeretur. Nec

enim simili armorum genere duntaxat sese ornarunt, sed eadem quoque studia coluerunt, ut decebat eorum necessitudinem. E fratribus enim geniti, alter Jove, Neptuno alter, fraternas etiam cupiditates habuerunt. Nam hi soli ex omni memoria pro defensione humani generis pugilum instar semper velut in procinctu steterunt.

13. Sic autem contigit, ut alter celebriora et majora, alter utiliora et conjunctiora Græcis, certamina subiret: nam illi Eurystheus imperabat ut boves ex Erythea abigeret, ut mala Hesperidum afferret, ut Cerberum adduceret, et alios ejus generis labores susciperet, quibus nihil aliis commodaret, sed ipse in discrimen atque periculum vocaretur; hic vero quum juris esset ea certamina delegit, quibus vel Græciam vel patriam suam beneficiis cumularet. Proinde, tum taurum et a Neptuno immissum et Atticam vastantem, cum quo universi congredi non audebant, solus ipse domuit magnoque metu et magna omnes qui urbem incolebant trepidatione liberavit: tum inita cum Lapithis societate et expeditione contra centauros bimembres celeritate et viribus et audacia præstantes suscepta, qui urbes alias vastarant aliis imminebant aliis minitabantur, his prælio victis, mox et eorum ferociæ modum statuit, neque multo post genus omne prorsus delevit. Circa eadem tempora quum monstrum illud in Creta educatum atque ex Pasiphae Solis filia natum exstitisset, cui tributi nomine nostra urbs bis septenos pueros ex oraculo mittebat, quum videret eos duci toto populo comitante ad necem indignam certumque interitum et viventes adhuc lugeri pro mortuis, tanta indignatione exarsit ut potius esse duxerit emori quam vivere et imperare civitati quæ tam miserabile tributum hostibus pendere cogeretur. Conscenso igitur una cum illis navigio, et ea natura superata quæ quidem e viro et tauro conflata esset, tantoque robore polleret quanto par est eam quæ talibus corporibus constat, non pueros solum parentibus incolumes restituit, sed urbem etiam tam injusto tamque acerbo et inevitabili edicto liberavit.

14. Equidem sum animi dubius quid consilii de reliquis capiam: posteaquam enim ad Thesei facinora perveni deque illis dicere cœpi, vereor ut deceat in medio veluti cursu oratione abrupta Scironis et Cercyonis aliorumque ejus generis immanitatem prætermittere, quibus ille fortiter superatis multarum et magnarum calamitatum Græcis remedium attulit, sed me excedere modum ac providendum esse video ne qui me putent de hoc laborare magis quam de ea propter quam hæc instituta fuit oratio. Quæ utraque quum ita se habeant, plurima transire silentio statui propter morosos auditores, ac cætera quam potero brevissime percurrere, ut partim illis partim mihi ipse gratificer, neque prorsus illis cedam qui obtrectare atque omnia quæ dicuntur cavillari consueverunt.

15. Fortitudinis igitur suæ specimen in his facinoribus edidit,

quibus ipse solus pugnavit, rei militaris autem scientiam in prœliis ostendit, quæ totius civitatis copiis munitus fecit, pietatem porro erga deos immortales in Adrasti et liberorum Herculis supplicationibus — nam hos prœlio victis Peloponnensibus conservavit, illi eos qui sub Cadmea ceciderant Thebanis invitis sepeliendos tradidit —, cæteras vero virtutes et moderationem tum in his quæ jam diximus tum in urbis administrandæ ratione.

16. Quum enim animadverteret eos qui civibus per vim imperare studerent servire aliis, et qui cæteris vitam periculosam redderent metu perterritos vivere cogique bella gerere, civibus quidem adjutoribus contra externos hostes, copiis vero aliunde paratis contra ipsos cives, præterea spoliare templa deorum et optimos quosque cives interficere et diffidere conjunctissimis, et nihilo vivere tranquillius quam eos qui in vincula conjecti judicium capitis subituri sunt, et quum foris felices videantur, ipsos intra sese pluribus quam alios confici molestiis — quid enim acerbius est quam in metu vivere ne a proximo quoque juguleris, et custodes non minus formidare quam insidiatores —, his igitur omnibus contemptis, quum id genus hominum non esse principes sed pestes civitatum existimaret, facile esse demonstravit simul et imperare et nihilo deteriore esse conditione quam eos qui pari et æquo jure vivunt cum cæteris civibus.

17. Ac primum civitatem, quæ prius sparsim et vicatim habitabat, in unum locum congregatam tantam effecit, ut etiam nunc ex eo tempore Græcarum urbium sit amplissima: deinde patriam communem omnibus constituit, et liberatis civium animis, in contentione honorum parem aditum ad magistratus omnibus esse voluit; confidebat enim se non minus fore principem si sese exercerent quam si ignavia torperent, atque sciebat eos honores longe suaviores esse qui a viris magnanimis deferrentur quam eos qui a servitute oppressis haberentur. Tantum autem abfuit ut quicquam civibus invitis ageret, ut et ipse summam rerum administrare populum juberet, et illi solum eum regnare vellent, existimantes ejus monarchiam fideliorem et æquiorem esse quam suam democratiam. Non enim quod alii solent labores civibus mandabat, voluptates solus ipse capiebat, sed pericula sibi privatim vendicabat, utilitates in commune conferebat. Itaque vitam et sine ullis insidiis et summa omnium caritate peregit; non peregrino milite imperium muniendo, sed benevolentia civium se tuendo, potestate rex, beneficiis popularis. Tanta enim æquitate tam præclare urbem administravit, ut etiam hodie quoddam ejus mansuetudinis vestigium in nostris institutis reliquum animadvertatur.

18. Eam igitur, quæ et Jove nata et tantæ virtuti ac modestiæ dominata est, nonne laudari decet ac honorari longeque omnibus

omnium temporum hominibus anteferri? Nec enim testem fide digniorem neque judicem magis idoneum bonorum quibus Helena prædita fuit quam Thesei mentem adducere poterimus. Ne vero ex inopia hoc loco immorari aut viri unius ad eam laudandam abuti gloria videar, ea quæ restant explicabo.

19. Nam, quum post Thesei descensum ad inferos Lacedæmonem reversa jam nubilis esset, universi reges illius temporis et principes idem quod Theseus de ea senserunt. Etsi enim potestas eis dabatur primarias e suis urbibus mulieres deligendi, spretis tamen domesticis nuptiis ad eam ambiendam profecti sunt. Quum vero nondum esset exploratum, communi adhuc fortuna, quisnam ejus nuptias obtineret, adeo tamen nemo erat qui vocaret in dubium quin armis de ea dimicandum foret, ut congressi fidem mutuo dederint se omnino adjuturos eum qui connubio illius potiretur, si quis eam per vim abduxisset; putabat enim quisque se sibi præsidium illud parare. Ac spe quidem privata uno viro excepto sunt omnes frustrati, communis autem quæ de ea fuit opinio fefellit neminem.

20. Post parvum enim temporis spatium orta inter deas lis est de præstantia formæ et ejus arbiter honorarius Priami filius Alexander delectus, qui Junone regnum Asiæ, Minerva victoriam in bellis, Venere conjugium Helenæ pollicente, quum non posset corpora dijudicare neque divinorum vultuum fulgorem sustinere ac munerum potius esse judex cogeretur, consuetudinem Helenæ cæteris omnibus anteposuit, non quod voluptates præcipue spectaret — etsi enim eas viri sapientes multis aliis rebus præferunt, non tamen eo impulsus est —, sed Jovis gener fieri [et nominari] studuit, quem honorem longe majorem et præclariorem quam Asiæ regnum existimabat; magna enim imperia et potentiam etiam nihili hominibus olim obventura, tali vero muliere ex omni posteritate dignatum iri neminem: animadvertit etiam se nullum pulcrius patrimonium suis liberis posse relinquere, quam si tam paternam quam maternam originem ad Jovem referrent. Quippe qui sciret cætera fortunæ commoda celeriter aut interire aut transire ad alios, sed nobilitatem semper apud eosdem permanere; quare hunc delectum in totius sui generis commodum cessurum prospiciebat, quum cætera munera non ultra sui ævi terminos duratura essent.

21. Nemo itaque vir cordatus est quin hæc prudentissime cogitata fateatur, quidam autem, ex eorum numero qui nihil quod rem antecessit considerant sed ex eventu judicant omnia, convitiis eum incessere non dubitarunt; quorum amentia ex ipsis maledictis animadverti ab omnibus facile potest. Quid enim magis ridiculum admittere queant quam si sua ingenia illi antecellere putent cui primas deæ detulerunt? Nec enim quibus de rebus tanta inter ipsas orta erat contentio, eas cujuslibet auctoritati dijudicandas permise-

runt, sed de optimo judice deligendo non eas minus fuisse sollicitas, quam de re ipsa laborasse, facile apparet. Considerandum est autem qualis fuerit et judicium de eo faciendum non e victarum iracundia, sed ex illarum omnium sententia, quum ejus mentem præ cæteris delegerunt. Nihil enim prohibet a potentioribus male accipi etiam innocentes; eum autem honorem adipisci, ut qui mortalis est dearum judex fiat, id vero contingere non potest nisi viro laude sapientiæ præstantissimo.

22. Miror autem esse quenquam qui male sibi consuluisse illum putet, qui cum ea vivere decreverit propter quam multi ex semideis emori voluerunt. An vero non desipuisset, qui deas de forma contendere sciret, si formam ipse sprevisset nec id maximum donum existimasset, quod ab illis quoque maximi fieri vidisset?

23. Quis vero conjugium Helenæ aspernatus esset, qua rapta Græci non secus ac si tota Græcia vastata fuisset indignati sunt, et barbari ita superbierunt quasi nos omnes superassent? Neque vero obscurum est quibus animis utrique fuerint: nam, quum ante alteri alteris multa crimina intulissent, propter alia nihil moverunt, ob hanc autem tantum bellum concitarunt, non solum iræ magnitudine, sed et longitudine temporis et apparatuum copiis, quantum ad eum diem nullum fuerat unquam. Etsi autem potestas dabatur alteris Helena reddita urgentibus malis liberari, alteris ea neglecta omne deinceps tempus ætatis domi secure degere: neutri tamen hæc voluerunt: sed illi et urbes exscindi et agros vastari siverunt, ne Græcis eam redderent, hi peregre consenescere et suos nunquam intueri quam hac relicta domum reverti maluerunt. Et hæc egerunt non quod vel Alexandrum vel Menelaum tanti facerent, sed alteri pro Asia, alteri pro Europa dimicabant, existimantes in utra corpus ejus incoleret, eam regionem feliciorem fore.

24. Tanta certe cupiditas incessit laborum et expeditionis illius non Græcis tantum et barbaris sed diis etiam, ut ne filios quidem suos a Trojani belli discriminibus abesse vellent; nam, quamvis prævidisset Jupiter fatum Sarpedonis, Aurora Memnonis, Neptunus Cygni, Thetis Achillis, tamen eos cohortati cæteris adjunxerunt, existimantes gloriosius eis fore si de filia Jovis dimicantes occumberent quam si periculorum illorum expertes domi consenescerent. Quis vero miretur eos de suis filiis ita statuisse? quum ipsi dii eo bello multo acrius et vehementius præliati sint quam contra gigantes: nam illos quidem conjunctis viribus propulsarunt, propter hanc ipsi inter sese dimicarunt.

25. Recte autem et illi sic senserunt, et hæc mihi grandiloquentia concessa est: nam insigni pulcritudine prædita fuit, qua in tota rerum natura nihil est augustius nihil pretiosius nihil divinius. Cujus vires hinc facile intelliguntur: eorum enim quæ vel fortitu-

dine vel justitia vel sapientia non sunt prædita multa invenias honorata magis quam unamquamque harum virtutum, eorum autem quæ pulcritudine destituuntur nihil diligi, sed contemni potius omnia quæ hujus boni expertia sunt, et virtutem eo potissimum celebrari, quod omnium actionum pulcherrima sit, reperiemus. Quantum autem pulcritudo antecellat omnibus rebus, e nostris affectionibus erga formosos potest intelligi. Nam cæteris rebus, quarum usus aliquis nobis esse potest, tantum potiri volumus, animi vero propensione ulterius haud progredimur: at pulcrorum amor natura nobis est insitus, cujus tanto majores vires sunt quam ut deliberandi spatium præbeat, quanto res ipsa est præstantior. Ac iis quidem qui vel sapientia vel alia quapiam facultate præcellunt invidemus, nisi nos quotidianis beneficiis alliciant et sui amorem quasi extorqueant: formosis autem e primo statim adspectu benevolentia conjungimur, et solos eos quemadmodum deos colendo non defatigamur, sed libentius eis inservimus quam aliis imperamus, majoremque illis gratiam habemus si multa imperent quam si nihil faciendum denuntient. Jam si qui alteri cuipiam præcellentiæ obnoxii sunt, eos insectamur et adulatores nominamus, servos autem pulcritudinis elegantes et industrios existimamus. Tanta denique pietate et cura formam complectimur, ut, si qui formosorum malo consilio florem ætatis prostituerint, severiore censura notemus quam eos qui aliena corpora violarunt: qui vero ita suam formam custodiunt, ut tanquam in templum nullus improbis pateat aditus, eos reliqua ætate perinde ac si toti civitati benefecissent honoramus.

26. Et quid opus est humanis opinionibus recensendis immorari? quum Jupiter optimus maximus in aliis potentiam suam demonstret, ad pulcritudinem vero humili persona suscepta accedendum esse censeat. Amphitryoni enim factus similis ad Alcmenam venit; in aureum imbrem mutatus cum Danae congressus est, oloris figura in sinum Nemesis confugit, atque iterum ejusdem avis speciem quum haberet Ledam sibi despondit; denique semper arte quapiam nunquam vi talem naturam eum consectatum esse constat. Et apud deos forma tanto est quam apud nos honoratior, ut etiam suis uxoribus quum ab ea vincuntur ignoscant: multæque dearum immortalium proferri possunt, quæ quum humanæ formæ succumberent, tantum abfuit ut ulla rem eam sibi dedecori esse putaret aut clam habere studeret, ut tanquam re bene ac laudabiliter gesta hymnis celebrari potius quam sileri voluerint. Cujus rei signum illud evidentissimum est: quod plures ob formæ præstantiam immortalitatem adeptos esse scimus quam propter virtutes cæteras universas.

27. Quibus Helena tanto meliore conditione fuit, quanto eis etiam facie præstitit. Non enim immortalitatem tantam adepta est, sed

et potestatem divinam consecuta primum fratres qui fato jam concesserant inter deos retulit: cui mutationi quum auctoritatem et fidem afferre vellet, honores ita manifestos eis dedit, ut in mari conspecti periclitantes servent quicunque ipsos pie invocarint. Deinde Menelao tantam gratiam retulit pro laboribus et periculis sua causa susceptis, ut quum genus omne Pelopidarum interisset malis inexplicabilibus oppressum, non tantum ex illis calamitatibus eum eripuerit, sed et mortalem ejus sortem divinitate mutarit eumque contubernalem sibi et assessorem in omne ævum constituerit. Quarum mihi rerum Spartiatarum urbs diligentissima vetustatis custos re ipsa testimonium perhibebit: nam in hunc usque diem Therapnis in Laconia patrio ritu sancte illis sacra faciunt, non ut heroibus sed utrique ut divis.

28. Ostendit etiam Stesichoro poetæ suam potentiam: qui quum initio sui carminis eam nonnihil perstrinxisset maledictis, surrexit oculis orbatus, sed ubi causa ejus calamitatis intellecta palinodiam quam vocant fecit, illius beneficio visum recepit. Quinetiam Homeridarum quidam aiunt, eam noctu Homero adstitisse ac mandasse ut de iis scriberet qui ad Trojam militassent, quo mors eorum optabilior quam aliorum vita redderetur; ac poesim ejus, ex parte quidem Homeri etiam solertia, in primis vero propter Helenam, ita gratiosam et apud omnes celebrem esse factam.

29. Eos igitur qui opibus pollent donariis et sacrificiis et supplicationibus cæterisque cultibus placare et honare decet eam, et eruditos aliquid de ea dicere quod præclaris ipsius dotibus dignum habeatur, ut quæ tum irrogare pœnam tum gratiam referre possit: nam liberaliter institutos tales ei primitias offerre convenit.

30. Plura sunt autem quæ præterii quam quæ commemoravi. Nam præter artes et ingeniose cogitata cæterasque utilitates, quæ in illam Trojanumque bellum referri possent, jure id quoque Helenæ adscribetur, quod barbaris non servimus. Constat enim, quum propter eam Græci concordiam iniissent et communem expeditionem contra barbaros suscepissent, tum primum Europam de Asia triumphasse; unde res nostræ ita mutatæ sunt, ut superioribus temporibus, si qui apud barbaros calamitate premebantur, imperium in Græcas urbes sibi arrogarent, nam Danaus ex Ægypto profugus Argos occupavit, Cadmus Sidonius Thebis imperavit, Cares insulas tenuerunt, Pelops Tantali filius universam Peloponnesum subegit: post illud autem bellum nostræ gentis opes ita auctæ sunt, ut et magnas urbes et multas provincias barbaris eripuerit. Quare, si qui sunt qui hæc velint expolire et dilatare, non eis occasio defutura est Helenæ extra ea quæ diximus laudandæ, sed multa [et præclara] et nova de ea dicendi materia suppeditabitur.

ISOCRATIS

BUSIRIS.

ARGUMENTUM

INCERTO AUCTORE.

Hæc oratio ad Polycratem sophistam quendam scribitur, paupertate ad docendam rhetoricam adactum, qui quum genere Atheniensis esset, tum in Cypro docebat. Scribit autem Isocrates ut amicus, ad ea ejus errata corrigenda quæ in orationibus duabus, laudatione Busiridis et accusatione Socratis, admiserat. Hic enim est qui Anyto et Meleto eam orationem suppeditavit qua Socrates capitis accusatus est. Accusationis autem capita fuerunt hæc, quod novos deos apud Athenienses introduceret, atque aviculas et canes et ejus generis alia coli juberet, eoque pacto studiosos adolescentes corrumperet. Quæsiverunt quidam cur non aperte contra illum disputarit, an magistro illi pepercerit? Respondemus, eum iram esse veritum Atheniensium, qui Socratem recens condemnarant: quos hac oratione velut arguere videtur injustæ condemnationis. Nam et ipsi postquam impie Socratem supplicio affecissent agnoverunt, et gravi pestilentia afflicti necis illius pœnas dederunt. Periit autem Lachete prætore. Unde post edixerunt, ne quis in posterum Socratis publice, ut in communi theatro, meminisset. Narratur autem hujusmodi quiddam accidisse: Euripidem, quum aliquid de eo dicere vellet nec id tamen auderet, finxisse fabulam de Palamede, ut sub ejus persona occasionem haberet obscure ad Socratis interitum et factum Atheniensium alludendi his verbis, Occidistis occidistis Græcorum optimum. Animadvertente autem populo hæc verba ad Socratem pertinere, ortam in toto theatro esse complorationem. Scribit igitur Isocrates hanc orationem ad Polycratem reprehendendi causa. Si quis autem requirat cur non et altera oratio de Socrate sit ab auctore nostro exposita, is meminerit quod jam diximus, vitandæ offensionis Atheniensium ergo, qui recens illum condemnarant, id esse prætermissum. Busiridis argumentum hoc est. Busiris Libyæ et Neptuni filius, natus in Libya regione, spreta patria in Ægyptum profectus, urbem sibi cognominem Busirim condidit, quæ id nomen etiam hodie retinet. Crimini autem ei datum est, quod non tantum non admitteret hospites, sed etiam sacrificaret. Polycrates igitur, ut sophista et scriptor orationum, defensionem Busiridis et criminum quæ illi objiciebantur pergationem scribere instituit, in quo ab Isocrate reprehenditur, qua ratione scribenda fuisset laudatio admonente. Quare et hæc oratio inter quatuor laudationes numeratur.

1. Quum æquitatem tuam, Polycrates, mutatumque vitæ genus ex aliis cognovissem et orationum tuarum quasdam ipse legissem, de tota quidem docendi ratione, ad quam necessitate compulsus es, cupidissime tecum ac libere disseruissem — arbitror enim omnium esse officium, qui ea exercitatiores sunt et solidiorem rei cognitionem

habent, ut hanc quasi stipem ultro conferant ad eos sublevandos qui nulla sua culpa calamitosi philosophia docenda rem facere conantur —, sed quia nondum ita contigit ut conveniremus, cætera quidem differemus, dum coram copiosius colloqui licuerit, quæ vero, in præsentia tibi conferre possem, ea ut ad te scribenda sic cæteros summo studio celanda esse duxi. Etsi autem intelligo plerisque velut innatum esse ut quum admonentur non ad secuturas utilitates respiciant, sed reprehensiones tanto iniquioribus animis ferant, quanto severiore censura in errata inquisitum fuerit: subeundæ tamen hæ sunt offensiones his qui aliquibus ex animo bene vólunt, operaque danda est ut qui hoc modo erga consiliarios affecti sunt ab ista opinione deducantur.

2. Quum igitur animadvertam defensione Busiridis et Socratis accusatione te vel in primis gloriari, ostendere tibi conabor te in utraque oratione longe ab oratoris officio aberrasse. Nam quum nemo ignoret ei quem laudare volumus tribuenda esse plura bona quam revera habeat, in vituperando autem contrariam viam esse insistendam, tantum abest ut eam in dicendo rationem tu secutus sis, ut Busiridis defensionem professus non modo crimina quæ illi objiciuntur non refutaris, sed et tam insignem ei notam immanitatis inusseris, ut nihil contumeliosius excogitari queat: nam, quum alii quibus illi maledicere visum est unam in eo mactationem hospitum exsecrentur, tu etiam devorare homines solitum es criminatus; quum vero Socratem accusare instituisses, Alcibiadem ei quasi laudare velles discipulum tribuisti, quem ab eo fuisse eruditum nemo norat, sed longe aliis antecelluisse omnes confitentur. Itaque si defunctis potestas daretur suo arbitratu de tuis orationibus statuendi, alter talem tibi gratiam haberet pro accusatione qualem nemini laudatorum suorum, alter, tametsi in alios fuisset humanissimus, sic indignaretur ut tua verba quovis supplicio vindicaret. An vero non erubescendum potius est illi quam gloriandum, quem diligi magis constet ab iis quos vituperarit quam ab iis quos laudandos susceperit?

3. Adeo autem tibi curæ non fuit consentanea loqui, ut dixeris eum Æoli et Orphei gloriam æmulatum esse, idemque demonstres nihil illi studio fuisse quod cum eorum congrueret institutis. Numquid enim facinora istius cum factis Æoli quæ memorantur conferemus? At is quidem hospites in suum litus ejectos in patriam quenque suam reducendos curavit: iste vero, si tibi quidem habenda fides est, hospites immolatos devoravit. Anne eum cum Orphei factis comparabimus? At his mortuos ab inferis reduxit, iste viventes ante fatum orco tradidit. Quare summopere scire velim quid is facturus fuisset, si eos contempsisset, quem in admiratione virtutis eorum omnia contraria studio habuisse constat. Illud

autem omnium est absurdissimum, quod in genealogiis versatus dicere non dubitasti eum illos esse æmulatum, quorum patres illis temporibus nati nondum erant.

4. Ne vero id quod cuivis in promptu est facere videar, ut tua dicta reprehendam meorumque nihil proferam, conabor tibi paucis ostendere in hoc ipso argumento, quanquam id minime quidem probum est neque honestam orationem suppeditat, quæ sit tum laudandi tum defendendi ratio inunda.

5. De nobilitate igitur Busiridis quis non facile dixerit? cui pater Neptunus, Libye Jovis ex Epapho neptis mater fuit, quam mulierem primam ferunt regno potitam regioni suum nomen indidisse. Quum autem tales ei parentes contigissent, non splendore solo natalium superbiit, sed suæ virtutis etiam perpetuum monumentum esse relinquendum existimavit.

6. Quare maternum imperium aspernatus ut naturæ suæ præstantia minus, multis vi armorum subactis maximaque potentia parta in Ægypto regnum constituit, ratus sedem illam non iis tantum quas obtineret, sed et universis regionibus multum præstare. Videbat enim cætera loca non commode nec convenienter ad universi naturam posita, partim imbribus inundari, partim fervoribus infestari, hanc vero provinciam in commodissima orbis parte sitam plurimorum ac potius omnis generis bonorum esse feracissimam, et Nilo immortali muro circumdatam, qui eam non tantum muniat sed insita vi etiam liberaliter alat, insuperabilis et inexpugnabilis insidiatoribus, iis autem qui intra eum habitant ad derivationes et alia complura opportunus. Nam præter ea quæ diximus potentiam quoque eorum in cultura terræ prope divinam effecit: imbrium enim et siccitatum, quorum aliis Jupiter promus condus est, horum utrorumque potestatem quivis per se habet. Ac tam immensa felicitate sunt, ut si præstantiam spectes naturamque regionis et campos latissime patentes terra continente fruantur, exportatione autem rerum quibus abundant et importatione quarum egent ob fluminis hujus commoditatem insulam incolant: nam circumcirca eam ambiens et totam interfluens magnam eis opportunitatem utriusque rei suppeditat. Inde igitur auspicatus unde sapientes ordiri decet, locumque quam amœnissimum occupavit, eumque talem unde incolis omnia ad victum necessaria abunde suppeterent.

7. Deinde civibus ordine distributis, alios sacris præfecit, alios opificiis destinavit, alios rei militari vacare coegit, existimans res necessarias et opes tum e terræ cultu tum ex opificiis suppeditari oportere, earum autem custodiam tutissimam esse tum rei militaris exercitationem tum pietatem erga deos.

8. Omnes igitur numeros earum rerum per quas optime respubl. constitui queat absolvit; nam ut singuli easdem res perpetuo tra-

ctarent imperavit, haud ignarus eos qui subinde aliud atque aliud munus susciperent nihil exquisite cognitum habere, eos autem qui rebus iisdem perpetuo essent occupati in suo scientiæ genere plurimum excellere. Unde hoc consecuti sunt ut et in singulis artibus longe plus aliis artificibus præstent quam cæteri artifices hominibus illarum ignaris: et ordinem, quo regnum cæteraque reipubl. munia tuentur, tam præclarum servent, ut etiam philosophi celeberrimi, quum his de rebus disputationes instituunt, Ægyptiam reipublicæ formam cæteris anteponant, et Lacedæmonii, qui partem quandam inde ad se transtulerunt, suam rempublicam optime administrent. Nam ut militum nemo sine venia magistratuum peregre abeat et concœnationes et corporum exercitationem, prætereaque ne inopia rerum necessariarum coacti publica edicta negligant aut aliis artibus occupentur, sed omnem ætatem omneque studium in armis et expeditionibus consumant, ab Ægyptiis hæc omnia petita sunt. Tanto autem pejus his institutis utuntur, quod ipsi omnes militiæ dediti vi aliis sua eripere student, illi autem ita vivunt ut eos decet qui nec sua negligunt nec insidiantur alienis. Quantum porro inter utramque gerendæ reipublicæ rationem intersit ex eo perspici potest: quod si omnes pigritiam et avaritiam Lacedæmoniorum imitemur, mox tum ob annonæ penuriam tum propter intestina bella perierimus; sin Ægyptiorum instituta secuti alii opus facere alii horum opes tueri voluerimus, suis quique contenti finibus beatam vitam exigemus.

9. Atque etiam sapientiæ studium illi merito acceptum referetur. Nam sacerdotibus ita prospexit, primum ut e sacris reditibus opes haberent; deinde, quia legibus eorum sanctimonia summa requiritur, ut temperanter viverent; denique, quum immunes sint a militia cæterisque laboribus, ut quiete atque in otio degerent; illi igitur his usi commoditatibus ad corpora juvanda medicinam invenerunt, non eam quæ periculosis medicamentis utitur, sed ejusmodi quæ, quum æque tuto sumi possint ut cibi quotidiani, tantas utilitates habent ut nemo neget eos et saluberrimis esse corporibus et diutissime vivere: ingeniis autem philosophiæ exercitationem demonstrarunt, quæ tum leges sancire tum rerum naturam indagare potest. Ac senibus quidem præcipuas res gestas mandaverunt, adolescentibus autem persuaserunt ut omisso voluptatum studio in astrologia et arithmetica et geometria versarentur, quarum facultatem alii ut ad alia conducibilem laudant, alii eas ad virtutem quoque consequendam adjumenti plurimum afferre contendunt.

10. Maximis autem laudibus et admiratione digna est eorum religio et deorum immortalium cultus. Nam qui ita se pararunt, ut vel scientiæ vel virtutis nomine majorem de se quam pro dignitate opinionem excitarint, hi deceptis nocent: qui autem divinis rebus ita præsunt, ut et auxilia et pœnæ certiores ac paratiores quam sunt

esse videantur, hi vero vitæ mortalium plurimum prosunt. Nam qui ab initio timorem hunc nobis injecerunt, in causa fuere ne inter nos plane bestiarum more viveremus. Illi igitur hæc ita sancte augusteque administrant, ut etiam jurisjurandi religio illorum sacris interpositis sanctior sit quam quæ apud alios recepta est, et ut existiment singulis peccatis confestim paratam esse pœnam, neque fore ut in præsentia delitescant aut ultio in liberos differatur. Neque temere sic opinantur: multas enim eis et varias sanctitatis exercitationes ille constituit, ut qui quædam ex animalibus apud nos contemptis coli et honorari lege lata voluerit, non quod eorum vim ignoraret, sed partim vulgus assuefaciendum esse ad observanda omnia principum edicta existimavit, partim in rebus manifestis experiri voluit quid de occultis sentirent. Nam qui hæc negligerent, eos fortassis etiam majora contempturos; qui autem æque in omnibus ordinem conservarent, eos jam edidisse specimen suæ in colenda religione constantiæ arbitrabatur.

11. Multa, nisi festinatio prohiberet, et mira de sanctitate Ægyptiorum commemorari possent, quæ ego neque solus neque primus perspexi, sed multi tum nostræ tum superioris ætatis homines, quorum de numero fuit etiam Samius ille Pythagoras: qui, quum in Ægyptum profectus illorum disciplinæ se tradidisset, tum reliquam philosophiam primus in Græciam intulit, tum sacrificiorum et consecrationum in templis majus quam cæteri studium habuit, existimans, etiamsi propterea nihilo plus a diis impetrasset, ut maximam celebritatem sermonis hominum ea re se consecuturum. Id quod ei et contigit: tantum enim nobilitate cæteris excelluit, ut et adolescentes omnes ejus discipuli esse cuperent, et senes cum eo vivere mallent suos liberos, quam rem familiarem curare. Atque his abrogari fides non potest: nam etiam nunc, qui se discipulos ejus esse profitentur, eos magis tacentes admirantur quam alios eloquentiæ gloria præstantissimos.

12. Fortassis autem iis quæ diximus occurres, me regionem quidem et leges et pietatem atque etiam sapientiam Ægyptiorum laudare, sed harum rerum auctorem eum esse quem posuerim, nulla ratione demonstrare posse.

13. Ego verō, si quis alius hoc mihi opponeret, erudite me ab eo reprehendi putarem: sed tibi sic argumentari nefas est. Quum enim Busiridem laudare voluisses, dicere non dubitasti eum et Nilum vi ab suo cursu abruptum regionem circumfluere coegisse, et exteros qui eo advenissent immolatos devorasse; nec ullum argumentum, quo probaretur hæc ab eo esse facta, potuisti. Nonne igitur ridiculum fuerit te ab aliis exigere quæ tute ne minima quidem ex parte præstitisti? Nam longe absurdiora quam nos dicis, qui nihil illi quod fieri nequeat tribuimus, sed leges et reipublicæ

constitutionem, quæ præstantium virorum opera sunt: tu vero talium facinorum opificem eum nobis exhibes, quorum neutrum quisquam mortalium fecerit; nam alterum belluinæ immanitatis est, alterum potentiæ divinæ. Deinde ut falsa uterque dicamus, ego tamen his verbis usus sum quæ laudantium sunt, ut tu iis quæ vituperantibus conveniunt: quare non veritatem tantum neglexisti, sed et a tota forma laudationum aberrasti.

14. Jam si tuis omissis mea oratio excutienda est, nemo ej jure fidem abrogabit. Nam si quem alium hæc fecisse constaret quæ ego illi tribuo, ne ipse quidem negarim me nimis audacem esse, qui notam omnibus veritatem extorquere studerem. Nunc, quum res in medio posita et niti conjectura necesse sit, quemnam aliquis institutorum et legum quæ apud Ægyptios sunt, si verisimilitudo spectetur, auctorem potius esse credat quam eum qui sit et Neptuno genitus et maternum genus ad Jovem referat et maxima potentia præditus et apud Græcos nominatissimus fuerit? Nec enim consentaneum est his rebus omnibus inferiores aliquos potius quam illum tanta beneficia invenisse.

15. Quin etiam ipsa ratione temporum convitiatorum verba mendacii facile convincuntur: nam iidem sunt qui Busiridem et cæsorum hospitum accusent et ab Hercule interfectum esse dicant: constat autem inter omnes historicos Perseo Jovis et Danaæ filio quatuor ætatibus Herculem esse juniorem, Busiridem vero plus quam ducentis annis seniorem. At vero quid absurdius te, quum factam illi calumniam refutare instituerés, quam argumentum hoc tam evidens tam firmum prætermisisse?

16. Verum tu, veritatis nulla ratione habita, poetarum maledicta secutus es, qui ex diis immortalibus genitos atrociora tum perpetrasse tum perpessos esse asserunt quam filios hominum nefariorum, talesque fabulas de ipsis diis commenti sunt, quales nemo in suos inimicos dicere audeat: nec enim furta solum et adulteria et apud homines servitutes eis exprobrarunt, sed et liberorum devorationes et patrum exsectiones et matrum vincula et multa alia tetra facinora de illis confinxerunt. Quorum nondum illi quidem meritas pœnas dederunt, non tamen omne suppliciam effugerunt; nam alii errones et mendici fuerunt, alii cæcati sunt, alius pulsus patria bellum perpetuum contra domesticos suos gessit, Orpheus autem, harum fabularum præcipuus auctor, in frusta discerptus interiit: quare si sapimus, illorum deliramenta non imitabimur, neque committemus, quum leges tulerimus ne alter alteri maledicat, ut omnis licentia quidvis de diis effutiendi detur, sed cavebimus potius et tam eos qui talia dicunt quam qui credunt impie agere putabimus.

17. Ego vero non deos tantum sed illorum filios etiam alienos ab omni scelere et vitio credo, tum ipsos natura virtutes omnes

insitas habuisse, tum aliis ad honestissima et præclarissima quæque studia duces et magistros exstitisse. Absurdum enim est, quum nostræ sobolis prosperitatem diis acceptam referamus, eos existimare suam ipsorum nihil curare. Quod si cui nostrum potestas naturæ humanæ moderandæ daretur, quis est qui famulos suos improbos esse pateretur? at illos damnamus, quasi ex sese genitos tanta impietate et improbitate esse paterentur. Tu quidem te putas etiam tibi prorsus alienos, si te magistro utantur, optimos esse redditurum, deos vero nullam prorsus existimas curam habere virtutis suorum liberum. At ista ratione a duobus turpissimis criminibus non absunt: nam si bonos eos ne quidem esse volunt, deteriore sunt quam homines ingenio, sin quum velint, qua ratione id efficiant non habent, sophistis sunt imbecilliores.

18. Etsi autem multa in re insunt per quæ et laudatio et defensio dilatari posset, non tamen pluribus verbis opus esse censeo: nec enim apud alios ostentandi mei, sed erudiendi tui causa, utque ostenderem quomodo horum utrumque fieri debeat, hæc disserui: nam oratio quidem a te conscripta non defensio Busiridis sed criminum confessio recte existimari potest. Nec enim eum culpa vacare ostendis, sed alios nonnullos eadem illa fecisse declaras, facillimo delinquentibus refugio excogitato. Quum enim non facile sit ullum reperire scelus quod nondum sit perpetratum, si facinorum convictos nihil grave admisisse putabimus, modo alios eadem fecisse constet, nonne omnibus expeditas defensiones faciemus, et male cogitantibus magnam fenestram ad licentiam aperiemus?

19. Optime autem perspicies quam stulte ista dicta sint, si ad te ipsum omnia retuleris. Illud enim cogita: si de magnis et nefariis criminibus accusatus ad istum modum ab aliquo defenderere, quid animi tibi fore censes? equidem scio te illi multo infensiorem futurum quam ipsis accusatoribus. An vero turpe non est alios ita defendere, quemadmodum te defendi iniquissimo animo ferres?

20. Illud quoque considera, et apud animum tuum cogita: si quis tuorum familiarium induci se pateretur ad ea facienda quæ tu laudas, annon miserrimus esset omnium et qui nunc sunt et qui unquam fuerunt? Scribendæne sunt ejusmodi orationes, quarum id summum bonum sit, si nemini auditorum persuadere possint?

21. Fortassis autem dices nec te id fefellisse, sed exemplum studiosis relinquere voluisse fœda crimina et causas difficiles defendendi. Verum si prius ignorabas, nunc saltem te intellexisse arbitror, multo facilius aliquem absolutum iri si nec os aperuerit quam si isto modo suam causam egerit. Jam quum studia

iterarum veluti fatali calamitate urgeantur et in odio sint, istius generis orationibus majorem etiam in illa invidiam concitatum iri constat.

22. Itaque si mihi obtemperare volueris, aut in posterum (idque potissimum fuerit) nulla improba argumenta tractabis, aut operam certe dabis ut ea dicas per quæ nec tuam existimationem imminuas nec imitatores tui corrumpas nec eloquentiæ disciplinæ crimen confles.

23. Neque vero mirari debes, me et natu minorem nec ulla necessitudine tibi devinctum monere te adeo alacriter instituisse: nam hujusmodi de rebus dare consilia neque natu maximorum neque conjunctissimorum, sed eorum esse munus existimo, qui prodesse plurimum et volunt et possunt.

ISOCRATIS

PANATHENAICUS.

1. Quum junior essem, orationes scribere institui non fabulosas neque portenti mendaciique plenas, quibus hominum vulgus magis gaudet quam ad salutem suam pertinentibus, neque eas in quibus res olim gestæ et bella Græcorum explicantur, quamvis scirem eas jure laudari, nec eas etiam quæ simplices habentur et omni elegantia carent, quas causidici adolescentibus meditandas esse censent, siquidem vincere studeant adversarios, sed his omnibus omissis illas tractabam quæ quid et reipubl. nostræ et Græcis omnibus expediret ostenderent, et tum enthymematis multis refertæ essent, tum non pauca contraposita et comparia continerent cæterasque figuras quæ in eloquentiæ studio effulgent atque auditores gestu et voce applaudere cogerent: nunc vero longe alia mea ratio est. Nec enim annis nonaginta quatuor, quos ego natus sum, nec omnino iis qui canos jam habent, convenire arbitror ut eo modo adhuc dicant, sed ita potius quemadmodum omnes sperent si optarint, nemo autem facile possit nisi et tolerare labores et vehementer ingenium intendere voluerit. Hæc propterea sum præfatus, si quibus hæc oratio quæ nunc recitabitur mollior prius editis videbitur, ne eam cum illarum varietate conferant, sed ea ratione quam probari nobis in præsentia ostendimus de ea judicent.

2. Disseram autem et de rebus nostræ urbis gestis et de virtute majorum, non ab illis ducto exordio, sed ab iis quæ ipsi mihi evenerunt: hæc enim antevertenda esse duco.

3. Ego quum honeste ac sine cujusquam molestia vivere perpetuo studuerim, ab improbis et obscuris quibusdam sophistis nullo non tempore sum calumniis exagitatus, unde, quum alii me non satis pernossent, talem judicarunt qualem esse ab aliis audierant. In primis igitur et de me ipso dicam et de illis qui sic de me sentiunt, ut, si forte id consequi liceat, et maledicta illorum reprimam, et aliis ostendam in quibus versarer studiis: quæ si oratione consentanea explicare potuero, spes mihi est, et reliqui ævi sine molestia exigendi, et hujus orationis cum attentione majore eorum qui adsunt absolvendæ.

4. Non autem eloqui verebor, tum perturbationem in animo meo nunc exortam, tum absurditatem eorum quæ nunc intelligo, neque disputabo an recte faciam. Ego enim maxima bona consecutus, quibus se præditos esse omnes optent, primum sanam mentem in sano corpore, nec ea mediocriter, sed ut cum illis certare possem quorum in his rebus singularis felicitas esse putatur; deinde tantas rei familiaris copias, ut nulla unquam re mediocri quamve homo prudens expetendam censeat caruerim; denique illud etiam, ne unus ex abjectis et contemptis essem, sed ex eorum numero de quibus eruditissimi et honestissimi quique Græcorum ut de viris bonis et doctis et sentiunt et loquuntur: quæ omnia quum mihi contigerint, alia excellenter alia sufficienter, tamen mihi vitam jucundam non efficiunt, sed mea senectus ita morosa, ita pusilla, ita querula est, ut sæpe et ingenium meum mihi displicuerit, quod nemo alius contempsit; et fortunam meam sim miseratus, quum nihil haberem aliud in quo hanc accusarem nisi quod meum philosophiæ studium quædam calamitates et calumniæ interpellarunt, ingenium vero meum scirem et ad res gerendas infirmius ac mollius esse quam oporteat, et ad eloquentiam neque perfectum neque ab omni parte idoneum, atque ut ad hoc idoneum ut cujusque rei veritatem conjectura melius indagare possit quam ii qui scientiam profitentur, ita si in conventu magnaque hominum frequentia illis ipsis de rebus dicendum sit, omnium est ut ingenue fatear ineptissimum. Nam quæ duæ res in civitate plurimum possunt, vocis magnitudo et audacia, eæ sic mihi desunt, ut haud scio an ulli civium: quibus facultatibus qui destituuntur, contemptiores obambulant et tenuius æstimantur quam qui in ærarios relati tribu moventur: his enim spes aliqua subest mulctæ dissolvendæ, illi naturam haud unquam mutaverint.

5. Non tamen propter hæc animo abjecto commisi ut prorsus inglorius et in obscuro viverem, sed quum mihi capessendæ reipubl. facultas negata esset, ad sapientiæ vehemens studium et ad ea scribenda quæ cogitando eruissem confugi, neque minuta quædam, aut privatos contractus, aut de quibus nonnulli pugnantur, tractanda suscepi, sed de statu Græciæ deque regiis et reipublicæ negotiis disserui, proptereaque me jure tanto honoratiorem futurum iis qui suggestum conscenderent speravi, quanto majoribus et pulcrioribus de rebus quam illi dicerem. Verum nihil tale mihi contigit. Quum nemo ignoret multos oratorum ea esse audacia ut non reipubl. utilitatem sed quæstum et sordes suas spectent in concionibus habendis, me autem et meos non tantum a peculatu alieniores esse quam alios, sed et de nostra re familiari ut consulamus civitatis necessitatibus majores quam pro opibus nostris sumptus facere: illos pro suggesto aut propter pecunias apud sequestrem depositas invicem

convitia dicere aut sociis esse molestos aut sine discrimine quovis calumniari, me vero earum orationum principem exstitisse quæ Græcos tum ad concordiam inter ipsos tum ad expeditionem contra barbaros suscipiendam exhortantur, et suadent communiter ab omnibus colonias in tantam et talem regionem deducendas esse, quam qui de ea audivere fatentur et nos, si omissa ista insania resipuerimus, et celeriter sine laboribus atque periculis occupaturos, et illam facile sedes et victum suppeditaturam omnibus nobis qui rerum necessariarum penuria laboremus: his actionibus, si omnes in unum congregati diligentissime vestigarent, nunquam vel pulcriores vel majores vel magis nobis omnibus conducibiles invenirent.

6. Quamvis igitur inter meum et illorum animum tantum distet, tantoque meum institutum sit honestius, non tamen æqua sunt populi de nobis judicia, sed perturbata et plane inconsiderata. Nam quum oratorum mores vituperet, illos ipsos reipublicæ præfectos facit et omnium dominos constituit, meas autem orationes dum laudat, ipsi mihi invidet, non ob aliud nisi ob eas quas probat: adeo in nulla gratia sum apud vulgus hominum.

7. Quid vero mireris eos qui ita nati sunt ut nullam excellentiam ferre possint, quum illi etiam, qui se præclaros esse putant meque et magni faciunt et imitari cupiunt, longe infensiores mihi sint indoctis? Quibus quosnam improbiores invenias — dicam enim, tametsi audacius atque acerbius quam pro ætate mea dicere videbor —, qui quum ne minimam partem eorum quæ a me dicta sunt auditoribus suis tradere queant, et exemplis mearum orationum utantur et inde victitent, tantum abest ut mihi gratiam habeant, ut me ne quidem negligere velint, sed semper obtrectare studeant?

8. Dum igitur meas orationes male tractarent, et quam pessime fieri poterat eas cum suis conferentes legerent et non recte dividerent et divellerent et omnibus modis corrumperent, non curavi ea quæ mihi nuntiabantur, sed æquo animo tuli: paulum autem ante magna Panathenæa propter eos graviter commotus sum. Quidam enim familiarium meorum obviam facti mihi dicebant tres aut quatuor gregarios sophistas, qui se omnia scire profitentur et celeriter quovis in loco sunt, in Lyceo considentes tum de aliis poetis tum de Homeri et Hesiodi poesi disseruisse, nihil quidem suum afferentes, sed et horum carmina rhapsodorum more decantantes et elegantissima quæque dicta veterum referentes: quum autem corona circumstantium disputationem eorum approbasset, unum quendam audacissimum cœpisse me calumniari, quum diceret me ejus generis omnia contemnere, et studia et institutionem aliorum omnium evertere, qui omnes delirare dicam præter eos qui a me sint instituti; quæ quum dicta fuissent, quosdam ex iis qui adessent a me fuisse alienatos. Ego vero quantopere doluerim ac perturbatus sim quum

audivissem aliquos illa dicta comprobasse, dicendo consequi non possum: putabam enim ita esse notum me cum gloriosis istis bellum gerere et de me ipso modice, vel potius intra modum et submisse, dicere, ut nemini unquam talem insolentiam suis mihi verbis affingenti fides haberetur. Verum initio non sine causa deploravi meam infelicitatem, quæ ab isto genere hominum orta perpetuo me secuta est: hæc enim causa est et mendaciorum quibus mea fama contaminatur et calumniarum et invidiæ, eademque obstitit ne de me pro merito meo existimetur, neque ita ut palam est, utque discipuli mei et familiares de me sentiunt qui nos ab omni parte perspexerunt. Verum hæc mutari non possunt, sed ea quæ præterierunt boni consulere necesse est.

9. Quum autem multa in mentem mihi veniant, incertus sum an recriminari debeam illos, qui de me perpetuo mentiri solent eaque in me conferre a quibus sum prorsus alienus non dubitant. Sed si rem seriam agere instituerem ac prolixam de iis hominibus haberem orationem quorum nemo sibi ullam censet habendam esse rationem, jure stultus esse viderer. Neglectis igitur istis apud vulgus qui mihi iniquæ invideant meipsum excusare, eosque docere conari ut neque jure nec merito meo ita de me sentiant debeam? Aut quis non stultissimum me esse pronuntiet, si eos, qui non aliam ob rem infensi mihi sunt nisi quod eleganter quædam dicere visus sum, placatiores mihi fore putem si eodem modo quo prius disseruero, ac non acerbiores potius futuros? præsertim ubi viderint, ne in extrema quidem senectute me delirare desivisse? Ac ne illud quidem faciendum mihi quisquam censuerit, ut his neglectis et abrupta in medio disputatione hac eam orationem absolvam, quam institui quaque ostendere decrevi nostram urbem plura in Græcos beneficia contulisse quam Lacedæmonios: quod si jam facerem neque his quæ scripsi finem imponerem neque secuturæ orationis exordium conclusioni horum quæ jam diximus commode apteque attexerem, similis eorum viderer qui temere et importune et confuse quicquid in buccam venit effutiunt; quæ cavenda nobis sunt. Optimum igitur ex his omnibus fuerit, posteaquam de iis quorum me postremum accusarunt sententiam meam aperuerim, tum demum ea dicere quæ initio constitui: si enim scripto publicaro atque ostendero quæ sit mea de institutione deque poetis sententia, desituros eos arbitror falsas causas comminisci et quidvis garrire.

10. Tantum igitur abest ut disciplinam a majoribus relictam contemnam, ut eam quidem nostra ætate constitutam laudem, geometriam dico et astrologiam dialogosque contentiosos dictos, quibus juniores quidem plus æquo gaudent, seniorum vero qui eos tolerabiles esse dixerit nemo est. Veruntamen ego moneo illos qui avide ista amplectuntur ut laborent atque ad ista omnia animum intendant;

dico enim disciplinas illas, ut nihil aliud afferrent boni, dehortari tamen adolescentes et avertere a multis aliis delictis. Itaque nullas existimo huic ætati inveniri posse utiliores exercitationes aut magis convenientes: sed natu majoribus et iis qui jam ad virilem ætatem pervenerunt studia ista apta esse nego. Nonnullos enim video qui, quum disciplinas istas ita perfecte cognitas habeant, ut et alios docere queant, sua illa scientia nec tempestive utantur, et in aliis vitæ negotiis discipulis sint imprudentiores: nec enim audeo dicere famulis. Idem etiam sentio de iis qui conciones habere possunt, et de his qui conscriptione orationum laudem invenerunt, denique de omnibus qui aliqua vel arte vel scientia vel facultate præcellunt. Novi enim etiam ex isto genere multos qui neque suas res probe gesserunt neque in privatis congressibus tolerari possunt, et reliquorum civium judicia negligunt, et aliis multis et magnis peccatis constricti tenentur: quare ne hos quidem existimo eo habitu esse præditos de quo ego dissero.

11. Quos igitur in eruditorum habeo numero, quando et artes et scientias et facultates improbo? Primum eos qui recte utuntur negotiis quotidie incidentibus, et occasiones modumque rerum prudenter animadvertunt, et plerunque id deligere possunt quod utilissimum est: deinde qui ita ut decet et ut æquum est omnes eos quovis tempore tractant cum quibus aliquid rei habent, quique, quum aliorum acerbitatem et importunitatem æquis animis et facile ferant, ipsi moribus facillimis sunt et quam moderatissimis in vitæ consuetudine: præterea qui semper voluptatibus imperant, et rebus adversis non nimium franguntur, sed in iis et officii humani et naturæ virilis meminerunt: quarto qui secundis rebus, quod maximum est, non corrumpuntur nec a semetipsis discedunt nec animis efferuntur, sed moderationem prudentium virorum propriam retinent, nec magis fortunæ muneribus quam natura insitis ingenii et prudentiæ insignibus delectantur. Qui autem non ad horum singula sed ad hæc universa simul animis bene compositis sunt, eos affirmo et prudentes esse et perfectos viros et omnibus virtutibus ornatos. Ac de eruditis quæ statuam hæc sunt.

12. Quod autem ad Homeri et Hesiodi cæterorumque poesim attinet equidem aliquid dicere cupio — arbitror enim me effecturum ut isti in Lyceo versus illorum canere et de eis nugari desinant —, sed animadverto me eum modum impetu quodam prætervehi qui exordiis est præfinitus. Est autem viri prudentis non indulgere dicendi copiæ si quispiam satius atque cæteri res aliquas eloqui possit, sed conservare modum earum rerum de quibus quovis tempore disseruerit: idque mihi faciendum est. De poetis igitur alias dicemus, nisi me senium prius abstulerit, aut de rebus gravioribus quam istæ sunt aliquid dicere possim.

13. Verba autem faciam de beneficiis in Græcos a nostra civitate collatis, non quin eam plus laudarim quam omnes et poetæ et oratores: sed quia nunc idem aliter quam olim facere decrevi. Tum enim in orationibus aliis de rebus institutis mentionem ejus faciebam, nunc autem hanc orationem de ea ipsa institui. Neque vero ignoro quam provecta ætate quam ingenti de re dicere aggrediar, sed quum et optime sciam et sæpe dixerim res exiguas oratione facile posse amplificari, difficillimum autem esse facta excellenti magnitudine et pulcritudine laudando æquare: nihilominus tamen ab incœpto desistendum non est, sed perficiendum quod suscepimus, si quidem vita suppetet, præsertim quum multa me ad hanc orationem scribendam incitent; ac illi primum qui nostram urbem petulanter accusare solent, deinde qui bono quidem studio sed et imperitius nec pro dignitate eam prædicant, præterea qui prædicare illam præ cæteris non dubitant, non humano more, sed sic ut eis multi se opponant, omnium vero maxime hæc ætas, quæ alios dehortari solet: spero enim, si mihi successerit, gloriæ meæ aliquid accessurum, sin tenuius forte quam oportuerit dixero, me facile ab auditoribus veniam impetraturum.

14. Ac quæ tum de me ipso tum de aliis, ut musici antequam canere incipiant, quasi præludii causa præfari volui, hæc sunt. Eorum autem qui urbem aliquam accurate ac pro merito laudare voluerint officium esse puto, non ipsius tantum de qua dicere instituerunt facere mentionem, sed, quemadmodum purpuram atque aurum spectamus et probamus aliorum collatione quæ et speciem eandem præ se ferunt et ejusdem esse pretii putantur, sic urbibus etiam e regione collocandas esse, non parvas magnis neque aliis [perpetuo] parere solitas iis quæ perpetuo imperare consueverunt, nec quæ aliorum ope indigent iis quæ opem ferre possunt, sed eas quæ et consimili potentia et iisdem in negotiis versatæ sunt et parem potestatem habuerunt: sic enim de eis verissime statuetur. Si quis ergo nos hoc modo spectet et conferat non cum qualibet sed cum Spartana civitate, quam plerique moderate sane laudant, nonnulli autem tanquam illic semidei habitent sic de ea meminerunt, eos et potentia et rebus gestis et beneficiis in Græcos collatis longiore intervallo a nobis relictos esse constabit quam ab eis cæteros.

15. Ac veteres quidem dimicationes pro Græcis susceptas postea narrabimus, nunc autem de illis habebo sermonem inde exorsus, quum Achaicas urbes occuparunt et regionem cum Argivis et Messeniis partiti sunt: hinc enim sunt nobis dicendi capienda primordia. Nostros igitur majores apparebit et concordiam Græcorum et inimicitias barbarorum, jam inde a Trojanis temporibus susceptas, conservare et in iisdem studiis perseverare.

16. Ac primum Cyclades insulas, de quibus Minoe Cretensi

rerum potiente multa certamina fuerunt, Caribus qui postremo eas omnes occuparant ejectis, non in suum peculium convertere ausi fuerunt, sed Græcorum egentissimis colendas tradiderunt: deinde in utraque continente multis et magnis urbibus conditis, cum barbaros a mari pepulerunt, tum Græcos docuerunt quo pacto suas urbes gubernare et contra quos bella gerere deberent si Græciam vellent amplificatam. Lacedæmonii vero circa idem tempus tantum abfuerunt ut aliquid majorum nostrorum operibus simile præstarent sive barbaros oppugnando sive Græcis benefaciendo, ut ne quiescere quidem voluerint, sed, quum et urbem alienam et agri non modo quod satis esset, sed quantum nulla Græca urbs, haberent, his contenti non fuerint, sed ipso eventu edocti, si leges spectemus, urbes et regiones eorum videri qui eas juste legitimeque partas possiderent, revera autem eorum fieri qui præcipue rem militarem exercerent et in præliis hostes superare possent, hæc inquam cum suis animis cogitantes, agricultura neglecta et opificiis et rebus cæteris omnibus, nunquam destiterunt singulatim quasque Peloponnesi civitates oppugnare et vexare, donec omnes everterant Argivorum urbe accepta. Nostras igitur actiones illud consecutum est, ut et Græciæ opes augerentur et major esset Europæ quam Asiæ potentia, et inopes porro Græci urbes caperent atque agros, barbari vero, quorum ante magna feroçia fuerat, patria pulsi animis humilioribus essent; Spartanorum autem, ut ipsorum urbs augeretur et omnium Peloponnesi civitatum imperio apud alios illustris esset magnaque cum observantia coleretur. Itaque laudanda est ea quæ multa in alios beneficia contulit, quæ autem suum tantum compendium spectat iniquæ existimanda, eorumque amicitia expetenda est qui alios æque tractant ac semetipsos, metui vero et formidari par est eos qui, quum semetipsos amantissime complectantur, suam urbem sic administrant, ut alieni ab aliis et hostilibus in eos animis esse videantur. Hæc igitur fundamenta ab utraque urbe jacta sunt.

17. Post exorto bello Persico, quum Xerxes qui tum regnabat triremes mille et trecentas, pedestris exercitus quinquies millies millia universorum, septies centena millia bellicosorum, coegisset, tantisque viribus bellum Græcis intulisset, Spartiatæ quidem, quum Peloponnensibus imperarent, ad navale prælium, quæ belli totius inclinatio secuta est, decem tantum triremes contulerunt, patres vero nostri extorres facti urbeque relicta, quod illo tempore munita non esset, plures naves præbuerunt et majoribus copiis instructas quam universi qui eo prælio pugnarunt: ac ducem Eurybiadem illi miserunt, qui si ea quæ destinarat perfecisset, nihil obstitisset quominus Græci periissent; nostri Themistoclem, qui sine controversia omnibus visus est in causa fuisse ut et navale prælium rite conficeretur et cæterorum omnium illius temporis successuum auctor. Id-

que ex eo maxime perspicitur, quod ii qui periculorum socii fuerant ademptum Lacedæmoniis imperium ad nostros detulerunt. Enimvero quinam peritiores judices et integriores rerum eo tempore gestarum constitui queant, quam ii qui ipsi pugnæ interfuerunt? Quod vero beneficium majus dici potest eo quo tota Græcia potuit conservari?

18. His rebus gestis evenit ut utraque civitas maris imperio potiretur, quod utri tenuerint, urbes fere omnes dicto audientes habent. Ac neutram quidem civitatem omnino laudo; in multis enim ambæ reprehendendæ sunt: verum in hac quoque curatione non minus eis antecelluimus quam in actionibus paulo ante commemoratis. Nostri enim patres sociis persuaserunt ut eam reipublicæ formam amplecterentur, qua ipsi perpetuo usi fuerant; quod signum est benevolentiæ et amicitiæ, si qui aliis auctores fuerint iisdem institutis utendi quæ sibi profuisse putarint: Lacedæmonii vero rem publicam constituerunt neque suæ nec aliarum urbium similem, sed decuriones singulis urbibus præfecerunt, quos qui triduum aut quatriduum continenter accusarit, nullam partem exposuisse videatur injuriarum. Singulatim igitur tot et tantas velle recensere dementiæ fuerit: pauca vero de omnibus dicere, quæ auditores justa indignatione commoverent, si junior essem fortasse potuissem; nunc nihil tale in mentem mihi venit, nisi quod inter omnes constat, illos injustitia et rapacitate veteres ita superasse, ut cum sibimetipsis et amicis et patriæ suæ interitum accersiverint, tum Lacedæmonios apud socios in crimen et odium adductos in tot tantasque calamitates conjecerint, quot et quantas nemo unquam eis eventuras esse credidisset.

19. In primis igitur hinc perspici poterit quanto nos moderatius et clementius omnia gesserimus, secundo loco ex eo etiam quod jam dicetur: nam Spartiatæ vix decem annos imperarunt, nos quinque et sexaginta perpetuos. Enimvero sciunt omnes, urbes aliis subjectas diutissime in eorum fide permanere a quibus minimis malis afficiuntur. His igitur de causis ambæ susceptis odiis in bella et tumultus inciderunt, in quibus nostra urbs, quum et Græci et barbari omnes eam invasissent, decennium resistere seque tueri potuit, Lacedæmonii vero, dum adhuc terra imperarent, cum Thebanis solis bello gesto unoque prælio superati, omnibus opibus amissis, non minoribus infortuniis et calamitatibus quam nos conflictati sunt; præterea nostra urbs paucioribus annis vires suas recepit quam bello subacta fuerat, Spartiatæ vero post cladem acceptam, ne multiplici quidem temporis spatio se in integrum restituere pristinumque dignitatis gradum recuperare potuerunt, sed in iisdem malis adhuc versantur.

20. Nunc quales utrique nos contra barbaros præbuerimus, expli-

candum est: hoc enim restat. Sub nostro igitur imperio non licuit eis neque pedestribus copiis intra Halyn fluvium descendere neque longis navibus eis Phaselidem appellere: Lacedæmoniis autem imperantibus non tantum eis potestas data est eundi et navigandi quo vellent, sed dominatu etiam multarum Græcarum urbium sunt aucti.

21. Annon igitur ea urbs, quæ et fœdus cum rege generosius atque animosius fecit, quæ maximis plurimisque tum barbaros cladibus tum Græcos beneficiis affecit, quæ oram Asiæ maritimam ac multas alias provincias et hostibus ademit et sociis tribuit, quæ tam illorum ferociam compescuit quam horum inopiæ consuluit, quæ in bellis pro sua salute gestis fortius dimicavit quam illa quæ ob rem militarem maxime celebratur, quæ calamitates celerius quam isti ipsi propulsavit, magis laudanda est et honoranda præ illa quæ in his rebus omnibus fuit inferior? Ac de rebus gestis et periculis simul et contra eosdem aditis hæc habeo in præsentia quæ per collationem dicerem.

22. Arbitror autem eos qui hæc inviti audiunt vera esse non negaturos, neque etiam facinora pulcriora commemoraturos per quæ Lacedæmonii multis Græcos beneficiis affecerint, sed nostram urbem accusaturos esse, id quod semper studio sibi habent, eaque narraturos quæ dum maris imperium teneremus acerbissima acciderunt, accusationes item et judicia quæ socii hic acceperunt et tributorum exactionem criminaturos, maxime autem Meliorum Scionæorumque et Toronæorum malis immoraturos, existimantes se urbis nostræ beneficiis paulo ante commemoratis quasi labem et maculam criminationibus illis adspersuros esse.

23. Ego vero ea omnia, quæ urbi nostræ vere objiciuntur, neque refutare dicendo possim nec id facere instituam; nam, quum, id quod prius etiam alicubi dixi, alii ne deos quidem expertes omnis peccati esse putent, erubescerem, si studerem et persuadere conarer rempubl. nostram in nulla unquam re deliquisse: illud tamen me facturum puto, ut ostendam, Spartanorum urbem in iisdem illis rebus nostra multo fuisse acerbiorem ac sæviorem, et eos qui in illorum gratiam nobis maledicunt omnium stolidissimos, et ut a nobis ipsorum amici male audiant in causa esse; quum enim in iis nos accusarint, quæ in Lacedæmonios potius cadunt, non deerit nobis occasio majus crimen quam in nos collatum fuerit in illos regerendi.

24. Veluti nunc etiam, si de sociis hic in judicium adductis mentionem fecerint, quis adeo stupidus est, quin facile respondeat plures Græcos a Lacedæmoniis indicta causa esse interfectos quam a nobis, ex quo urbem incolimus, in jus vocatos et causam dicere coactos?

25. Eodemque modo, si de tributorum exactione aliquid dixerint, respondere poterimus: ostendemus enim nostros civitatum quæ tributa pependerint commodis longe melius consuluisse quam Lacedæmonios. Primum enim nullo edicto nostro, sed suo potius decreto id fecerunt, quum maris imperium nobis offerrent: deinde non nostræ salutis causa pependerunt, sed ut popularem statum libertatemque suam tuerentur, neve ad paucorum potentiam summa rerum revocata in tam ingentia mala inciderent quanta sub decurionibus et violentia Lacedæmoniorum tolerarant. Præterea nihil contulerunt ex iis quæ ipsi conservarant, sed ex his quæ nostra ope illis relicta erant: de quibus, si vel modica prudentia essent, merito gratiam nobis habuissent. Quum enim urbes eorum suscepissemus, partim a barbaris omnino eversas, partim vastatas, eo illas perduximus ut, quum de suis proventibus parum nobis impertirent, nihilo pauperiores essent Peloponnensibus nihil tributi pendentibus.

26. Jam quod ad eos attinet qui ab utraque urbe sunt eversi, quod nonnulli nobis solis opprobrant, ostendemus eos quos illi nunquam laudare desinunt multo crudeliora perpetrasse. Nobis enim usuvenit ut quasdam insululas, tales utique et tantas ut Græci plerique eas ignorent, læderemus, illi autem maximis Peloponnesi urbibus quæ omnibus modis cæteris præcellunt eversis earum opes ipsi tenent, quas, etsi antiquitus earum nulla merita exstarent, maximis a Græcis affici præmiis ob expeditionem Trojanam decuisset, in qua tum pro principibus se gesserunt tum duces miserunt qui virtutibus præditi fuere, non iis modo quæ in plebeiis etiam et contemptis hominibus inveniantur, sed illis quæ improbo nemini contingere queant. Messena enim Nestorem præbuit omnium sua ætate prudentissimum, Lacedæmon Menelaum, qui ob modestiam justitiamque solus meruit Jovis gener esse [et appellari], Argivorum civitas Agamemnonem non una atque altera virtute præditum, sed omnibus quas nominare queas, neque iis mediocriter sed excellenter: neminem enim ex omnibus inveniemus qui res vel magis officio suo convenientes vel pulcriores vel majores vel Græcis utiliores aut pluribus laudibus dignas gerendas susceperit. Et his quidem ita simpliciter enumeratis non mirum fuerit a multis fidem derogari, si vero singula paucis explicentur, omnes me vera dicere fateantur.

27. Equidem perspicere non possum, sed dubito quibus deinceps mihi verbis utendum sit ut recte statuisse videar. Pudet enim de virtute Agamemnonis tam multa præfatum, nullum ejus præclarum facinus afferre in medium, ne auditoribus ex illorum esse genere videar qui temere ac insolenter quicquid in buccam venerit effundunt: contra vero ea quæ per digressionem commemorantur non laudari solere video sed et molestiam parere, et cum multos esse qui eas importune usurpent, tum multo plures qui re-

prehendant. Quare vereor ne mihi etiam tale aliquid usuveniat. Verum decrevi opem illi ferre, cui idem quod mihi et multis aliis accidit, ut ea gloria fraudaretur quæ meritis ejus debebatur; qui quum illis temporibus optime de Græcia meritus fuerit, minus laudatur quam qui nihil unquam memorabile gesserunt.

28. Quid enim ei defuit, qui tantum honorem sit adeptus, quo si omnes in unum congressi majorem quærant, nequaquam sint inventuri? Solus enim Græciæ totius imperator evasit: delectuane ab omnibus an ea dignitate per sese parta, dicere non possum. Sed sive hoc sive illo modo imperium fuerit assecutus, cæteris nihil reliqui fecit qui alio quopiam modo fuerunt honorati quod ad suæ gloriæ excellentiam addi posset. Hanc vero potentiam nactus nulla Græcarum urbium est cui molestus fuerit; sed ab aliquibuspiam durius et acerbius tractandis adeo fuit alienus, ut, cum Græcis bello et turbis et multis aliis malis agitatis incidisset, eos illis incommodis liberarit: quibus inter se reconciliatis et omnibus rebus quæ ostentationis et monstri plus habent quam publicæ utilitatis despectis, exercitum contraxit et contra barbaros duxit. Quo nullum strategema præstantius aut Græcis utilius ostendi potest vel celeberrimorum ejus ætatis vel cujusquam ex omni posteritate. Quæ quum ille gesserit et exemplum aliis reliquerit, non ita celebratus est ut merebatur, eorum culpa qui portenta beneficiis, mendacia veritati præferunt; tantaque præstantia vir illis etiam est minore gloria qui eum nec imitari sunt ausi.

29. Neque vero propter hæc tantum laudandus est, sed ob ea etiam quæ circa idem tempus gessit. Nam tanta in eo fuit animi magnitudo, ut non contentus e singulis urbibus tot privatæ conditionis milites delegisse quot libitum fuit, regibus etiam qui in suis urbibus faciunt quæ volunt et aliis imperant, sibi ut parerent iis persuaserit, et contra quoscunque duxisset sequerentur, et imperata facerent, et regia despecta vita militariter degerent, atque etiam pericula adirent et bellum gererent non pro sua patria et regno, sed verbo pro Helena Menelai uxore, reipsa pro eo ne Græciam barbari vel eodem modo tractarent, vel ita ut olim tractarant quum Pelops totam Peloponnesum, Danaus urbem Argivorum, Cadmus Thebas, occupasset. Quæ quis alius animo prospexisse aut quis obstitisse videri potest ne quid ejusmodi postea fieret, nisi illius ingenium et potentia?

30. Jam id quod sequitur minus quidem est quam ea quæ ante diximus, sed majus tamen iis quæ sæpe laudari solent memoriaque dignius: quum enim exercitus ex omnibus urbibus convenissent, tanta multitudine quantam consentaneum est, qui multos sibi habebat partim e familia deorum partim ex ipsis diis genitos, nec ita ut vulgus affectos nec iisdem ingeniis præditos quibus alii, sed ira-

cundia et impetu et invidia et ambitione plenos, tamen eos ipsos decem annos continuit non magnitudine stipendiorum neque pecuniarum sumptibus, quæ nunc conciliandæ retinendæque potentiæ ratio est, sed tum ea re quod et prudentia cæteris longe præstabat et commeatum ex hostili agro militibus suppeditare poterat, tum vero quod aliorum saluti rectius quam alii sibi ipsi consulere putabatur. Proinde finis, quem his rebus imposuit, vel in primis admiratione dignus est: nec enim indecorus neque a supra commemoratis abhorrens is fuit; nam verbo quidem contra unam civitatem bello gerendo, revera autem non tantum contra omnes eos qui Asiam incolunt sed contra multas etiam alias gentes barbaras dimicando, nullis periculis defatigatus est, non prius discessit, quam ejus urbem qui delinquere ausus fuerat excidisset et ferociam injuriasque barbarorum coercuisset.

31. Neque vero ignoro quam multa de Agememnonis virtute dixerim, neque illud etiam me præterit, si qui sigillatim ea considerent quidnam esset improbandum, qui detrahere quicquam auderet, fore neminem, sed, si ordine omnia legantur, omnes reprehensuros ut multo prolixiora quam oportuerit.

32. Ego vero, siquidem ignorassem me modum excedere, erubuissem me, qui de rebus quas nemo alius conari audeat scribere sim aggressus, usque adeo esse stupidum: nunc certius scivi, quam isti qui me reprehendere audent, hæc in multorum esse reprehensionem incursura: sed gravius fore censui, si de tali viro disserens aliquas ejus laudes quas mei officii esset exponere præterirem, quam si in hac parte aliquibus temporis et modi rationem non habere viderer. Atque etiam apud humanitate politissimos auditores laudi mihi fore censui, si de virtute verba faciens magis in eo elaborarem ut pro dignitate illius dicerem quam ne essem æquo prolixior; idque quum satis scirem, tum neglectum orationis modum meam gloriam imminuturum, tum prudens de ipsis rebus consilium istis quos laudarem profuturum: tamen utilitate neglecta justitiam delegi. Neque vero solum in his quæ nunc dicta sunt me hoc animo fuisse apparebit, sed prorsus in omnibus; notum enim est me etiam inter discipulos meos iis hactenus magis delectatum esse qui vitæ probitate et rebus gerendis excelluerunt quam qui eloquentia claruerunt. Enimvero orationum, etiamsi nihil in illis omnino meum esset, omnes me auctorem dicerent; recte factorum autem tametsi omnes me fuisse suasorem scirent, nemo tamen est quin eum ipsum qui res perfecisset potius laudandum duceret.

33. Verum nescio quo abripior: quum enim ad supra dicta adjicienda esse ea quæ restant arbitrarer, longissime ab instituto digressus sum. Nihil igitur aliud restat, nisi ut petita senectuti meæ oblivionis et loquacitatis venia, quæ vitia nostram ætatem comi-

tantur, ad illum locum redeam ex quo in hanc garrulitatem incidi. Unde vero aberrarim, jam nunc perspectum habere me puto.

34. Nam istis qui nostræ urbi Meliorum et talium oppidulorum calamitates opprobrant respondi, non quod in illis rebus nullum peccatum inesset, sed ostendi eos quos isti diligunt multo plures urbes et majores quam nos evertisse, inter quæ de virtute Agamemnonis et Menelai et Nestoris disserui, mendacium quidem nullum, sed plura fortasse quam decuit locutus. Existimabam enim inde in propatulo fore insignem fuisse injuriam illorum qui ausi fuissent eas urbes evertere quæ tales viros genuissent et educassent; de quibus plura etiam eaque præclara dici possent. Sed stultum fortassis est uni facto immorari, quasi exquirendum sit quidnam de crudelitate et sævitia Lacedæmoniorum dici queat, et non maxima copia suppetat.

35. Qui non contenti erga has urbes et viros tales deliquisse, eos etiam, qui ex eodem loco oriundi communiter cum eis expeditionem susceperunt et eadem pericula subierunt, de Argivis et Messeniis loquor, iisdem cladibus quibus illos afficere studuerunt. Ac Messenios quidem non prius oppugnare destiterunt quam regione ejecissent; Argivi autem ejusdem cladis propulsandæ causa etiam nunc bellum gerunt. Jam quemadmodum cum Platæensibus egerint, absurde facerem, si his commemoratis eorum non meminissem: in quorum agro nobiscum et cum aliis sociis castra metati sunt, et quo in loco nos, quum aciem contra hostes instruxissemus, et sacra diis quos illi consecrarant fecissemus, non iis modo Græcis qui nobiscum conjuncti, sed illis etiam qui partes hostium sequi coacti fuerant, libertatem restituimus, et hæc egimus quum solos Platæenses omnibus Bœotiis adjutores haberemus; quos non longo temporis intervallo post, in Thebanorum gratiam, Lacedæmonii urbe capta omnes interfecerunt, iis exceptis qui fuga salutem quæsiverunt. Erga quos nostra urbs se longe aliam quam Spartiatæ præbuit: illi enim in bene meritos de Græcia et cognatos suos ita grassati sunt, nostri vero et Messeniorum reliquis Naupactum habitandum dederunt, et Platæenses quicunque advenerant civitate donarunt et rerum omnium pari jure secum frui permiserunt. Quare si nihil aliud de his urbibus dicere possemus, ex his tamen utriusque mores facile perspicerentur, planumque fieret utra plures et majores civitates evertisset.

36. Sed nunc accidere mihi quiddam sentio contrarium iis quæ paulo ante dixi: tunc enim in ignorantiam et errorem et oblivionem incidebam, nunc satis scio me ab ea lenitate orationis deficere, quam quum primum scribere cœpissem mihi proposueram, et tum de rebus quas prætermittere decreveram velle disputare, tum audaciorem esse factum quam pro natura mea, tum in quibusdam

quæ eloquor temperare mihi non posse propter copiam eorum quæ dicenda mihi affluunt. Postquam igitur audacter loqui cœptum, osque solutum est, et tale fundamentum orationis meæ jactum ut ea silentio præteriri neque debeant neque possint, per quæ demonstrari potest nostram urbem de Græcis melius esse meritam quam Lacedæmonios, non reticenda sunt etiam cætera mala quæ nondum quidem recitata sed inter Græcos facta sunt, et ostendendum nostros ea sero didicisse, Lacedæmonios vero quædam primos quædam solos admisisse.

37. Plurimi sane utramque urbem accusant, quod quum videri velint pro Græcis contra barbaros dimicasse, civitatibus ut sui juris essent et ut singulis expediret sua componerent non permiserint, sed, tanquam bello captas partitæ, sic omnes servitute oppresserint; quod perinde sit ac si qui famulos ab aliis abductos atque in libertatem assertos sibi servire cogant.

38. Ut autem hæc et longe plura his atque acerbiora dicerentur, non in causa nos fuimus, sed illi qui et nunc verbis nostris se opponunt et superiori tempore nostris actionibus omnibus sunt adversati. Nostros enim majores infinitis superiorum temporum spatiis nemo demonstrabit vel unam urbem sive majorem sive minorem oppressisse, Lacedæmonios vero norunt omnes, ex quo in Peloponnesum venerunt, nihil aliud agere aut moliri nisi ut vel omnibus imperent, quod in primis optant, vel si id fieri nequeat, saltem Peloponnensibus. Præterea quod ad seditiones et cædes et mutationes rerumpublicarum attinet, quas quidam utrique nostrum objectant, omnes illi urbes paucis exceptis talibus calamitatibus et morbis impleverunt; nostræ vero urbi ante cladem Hellespontiacam objicere nemo audet ullum tale facinus in socios commissum. Sed quum Lacedæmonii adepti Græciæ dominatum summa rerum denuo exciderent et, ut his temporibus fieri solet, reliquæ urbes seditiosæ essent, duo aut tres nostrorum ducum — nec enim veritatem dissimulabo — in earum quasdam injurii fuerunt, sperantes se, morem Lacedæmoniorum imitatos, facilius eas in officio continere posse. Quare jure omnes illos potius accusabimus ut talium operum auctores et doctores, nostratibus autem, ut discipulis quos pollicitationes deceperunt et spes frustrata est, merito venia dabitur.

39. Postremum autem illud, quod soli et per se egerunt, quis ignorat? quum communes inimicitiæ nobis cum barbaris eorumque regibus intercedant, nos multis petitos bellis et interdum gravibus conflictatos malis, quum etiam ager noster subinde vastaretur et scinderetur, nunquam ad eorum amicitiam et societatem respexisse, sed propter insidias Græcis per eos structas constantius eos odisse quam illos qui nos in præsentia infestabant: Lacedæmonios autem nec accepto ullo malo nec accepturos neque metuentes tam insatia-

bili cupiditate flagrasse, ut imperio terrestri non contenti, maris etiam dominatum desiderarint, iisdemque temporibus et socios nostros ad defectionem impulerint, libertatem polliciti, et cum rege de amicitia et societate egerint, affirmantes se illi omnes Asiæ incolas tradituros; his conditionibus fide utrinque data nobisque debellatis, quibus jurejurando accepto libertatem promiserant, eos graviore servitute quam Helotes oppresserunt, eamque regi gratiam retulerunt ut ejus fratri Cyro natu minori persuaserint, ut cum eo de regno armis contenderet, collectoque exercitu Clearchum ducem contra eum miserint; frustrati autem in his spe sua et cogniti quales essent, et omnium odiis susceptis, bello petiti et tantis turbis agitati sunt, quantis eos consentaneum est qui et Græcos et barbaros violarint. Quibus de rebus haud scio plura dicere quorsum attineat, nisi quod navali prælio tum a regiis exercitibus tum imperatoria Cononis solertia superati talem pacem fecerunt, qua nemo demonstrare potest neque turpiorem ullam unquam esse factam neque contumeliosiorem neque Græcorum negligentiorem aut magis eorum verbis contrariam qui virtutem prædicant Lacedæmoniorum: nam, quum rex dominos Græcorum eos effecisset, regnum ei et fortunas omnes eripere studuerunt; postquam vero navali prælio superatos humiles reddidit, non parvam illi Græcorum partem tribuerunt, sed omnes eos qui Asiam incolerent, et apertis verbis in literas retulerunt ut illis suo arbitratu ipse uteretur, nec erubuerunt tales pactiones facere de viris quorum societate usi et nos subegerant et Græcos in suam potestatem redegerant et in spem venerant Asiæ totius occupandæ, sed tale fœdus et in suis templis descripserunt et socios idem facere coegerunt.

40. Ac ullos quidem non desideraturos puto longiorem orationem, quum ex his ipsis abunde intellexisse sibi videantur cujusmodi urbs utraque in Græcos fuerit: ego vero non in eadem sententia sum, sed argumentum hoc a me institutum cum alia verba multa requirere arbitror, tum vero ea quæ illorum amentiam demonstrent qui his quæ dicta sunt adversari sunt aggressi; quæ quidem facile me inventurum reor.

41. Nam inter eos qui facta Laconum omnia probant, optimos quosque et prudentissimos Spartiatarum rempublicam esse laudaturos existimo, et, quod ad eam sane rem attinet, in vetere sententia permansuros, de rebus autem contra Græcos gestis meæ orationi assensuros: qui vero non his modo sed vulgo etiam deteriores sunt, et, quum nulla de re alia tolerabiliter dicere queant, de Lacedæmoniis tacere non possunt, sed, si eos immensis laudibus extulerint, se eadem fore gloria censent qua ii florent qui longe illis copiosiores et præstantiores habentur: hos igitur, ubi occupata loca esse omnia et ne unum quidem nostræ orationis caput se refutare

posse viderint, disputationem de rebuspublicis arrepturos et instituta illorum cum nostris in contentionem adducturos esse reor, ac temperantiam in primis et obedientiam cum negligentia nostra, ob easque res Spartam laudaturos.

42. Quod si facere instituerint, cordati viri eos nugas agere judicare debebunt. Ego enim non disputationem de rebuspublicis institui, sed illud probare volui, nostram urbem de Græcia melius esse meritam quam Lacedæmonios. Quo ex numero si quid convellerint, aut alia communia facta protulerint quibus illi nos superarint, merito laudabuntur: si vero ea dicere cœperint de quibus ego nullam prorsus mentionem feci, jure stupidi omnibus videbuntur.

43. Verumtamen quum eos orationem de rebuspubl. in medium allaturos putem, non gravabor ea quoque de re disserere: spero enim me ostensurum, illo ipso nostram urbem magis excellere quam iis quæ supra diximus.

44. Neque vero quisquam opinetur de hac republica me dicturum, qua pro vetere uti coacti sumus, sed de ea quæ apud majores nostros fuit, qua nostri patres non contempta hanc arripuerunt, sed in aliis quidem rebus illam longe præclariorem, ad maris vero imperium hanc utiliorem esse judicarunt: quo suscepto et diligenter administrato tum Spartanorum insidias ulcisci tum Peloponnensium omnium robur, quo urbs nostra illis temporibus maxime urgebatur, bello superare potuerunt. Quare nemo jure culpaverit eos qui hanc delegerunt: neque enim spe sua frustrati sunt, nec ignorarunt quid utrique imperio vel bonorum vel malorum inesset, sed satis norant terrestrem principatum, boni ordinis, modestiæ, obedientiæ, cæterarumque rerum ejus generis studium requirere, potentiam vero marinam non his rebus augeri, sed artibus nauticis et hominibus qui remos agere possunt, quique sua perdiderunt et ex alieno victum quæritare consueverunt; quod hominum genus quum in urbem confluxisset, satis apparebat et veteris reipublicæ disciplinam dissolutum iri et sociorum benevolentiam cito a nobis abalienandam esse, ubi eos, quibus prius urbes et agros dederant, vestigalia et tributa pendere cogerent, ad solvendam istis mercedem quos paulo ante dixi. Sed tamen, quum eorum quæ prius posita sunt nihil ignorarent, urbi tanta et magnitudine et gloria expedire et convenire quasvis difficultates potius quam Lacedæmoniorum imperium perpeti existimabant: et, quum duæ res quarum neutra bona esset proponerentur, optionem eam præstare ut ipsi aliis malefacerent quam ut grassationes aliorum tolerarent, et contra jus aliis potius imperarent quam ut hujus culpæ fuga injuste Lacedæmoniis servirent. Quæ utique omnes viri prudentes et præoptarent et vellent, sed pauci quidam, qui sapientes scilicet

videri volant, si rogarentur repudiaturi essent. Causas igitur, propter quas eam rempubl. quæ a quibusdam reprehenditur ei quæ ab omnibus laudatur prætulerunt, paulo copiosius, sed vere, exposui.

45. Nunc et de hac quam instituì et de majoribus nostris verba faciam, ab illis temporibus exorsus, quum tam democratiæ quam oligarchiæ nomen ignoraretur, sed et barbaricæ gentes et omnes Græciæ civitates regibus parerent. Rem autem altius propterea repetere volui, primum quod existimo convenire ut qui de laude virtutis contendunt a primo statim ortu aliis antecellant; deinde, quum de viris præstantibus quidem illis sed nulla mihi necessitudine conjunctis plura quam decuit disseruerim, majorum nostrorum, qui rempublicam pulcherrime administrarunt, puderet me ne brevem quidem facere mentionem, qui tanto illis qui principatus tenent præstantiores fuerunt, quanto viri mansuetissimi et prudentissimi bestiis immanissimis et sævissimis antecellunt.

46. Quod enim infandum et nefarium facinus tum in aliis urbibus, tum vero in his potissimum quæ maximæ et sunt et habentur, non fuisse perpetratum inveniemus? nonne cædes fratrum et patrum et hospitum plurimæ subinde factæ? non mactationes matrum et incesti concubitus indeque suscepti liberi unde ipsi nati erant? non devoratio liberum conjunctissimorum insidiis concinnata? non ejectiones eorum quos genuerant, et submersiones et excæcationes et tanta maleficiorum multitudo, ut eorum nemini unquam materia defuerit qui in singulos annos illorum temporum calamitates in theatrum producere solent?

47. Hæc non quo illos vituperarem, sed ut ostenderem apud nostros non tantum tale nihil esse factum, recensui; hoc enim non virtutis, sed paulo minoris quam qua scelestissimi quique sunt improbitatis signum esset: decet autem eos qui aliquos insignibus laudibus ornare student, non id solum demonstrare, non improbos eos esse, sed omni genere virtutum et superioris et nostræ ætatis hominibus præstitisse. Quæ eadem de nostris quoque majoribus dici possunt.

48. Nam ita sancte et præclare tam civitatem quam rem suam familiarem administrarunt, ut illis dignum fuit qui et a diis geniti erant, et primi tum urbem condiderant tum legibus usi erant, et omni tempore studuerant ut erga deos pietati sic erga homines æquitati, quique nec permixti aliis nec advenæ, sed soli Græcorum indigenæ fuerunt, eandemque regionem nutricem habuerunt e qua nati essent, et perinde ut optimi quique patres et matres suas dilexerunt, diisque porro immortalibus ita cari ut, quod difficillimum et rarissimum esse creditur, inveniri quasdam tyrannicas et regias familias quæ quatuor ætates et quinque permanserint, id quoque

illis contigerit. Nam Erichthonius Vulcano et Tellure genitus a Cecrope, qui masculis liberis orbus decesserat, hereditatem et regnum accepit: hinc omnes eum secuti, non pauci numero, opes et imperia per successionem suis liberis reliquerunt usque ad Thesenm.

49. De cujus equidem virtute rebusque gestis magnopere velim me prius nihil disseruisse: longe enim aptius in oratione hac de urbe nostra instituta de eo diceretur. Sed difficile fuit, vel potius fieri non potuit, ut ea quæ illo tempore in mentem veniebant ad hanc occasionem reservarentur, quam oblatum iri minime præsentirem. Illa igitur omittemus quæ olim in ejus temporis usum convertimus, et unius tantum facti mentionem faciemus, quod ita accidit ut neque sit prius expositum neque factum ab ullo alio nisi a Theseo, virtutis vero ejus et prudentiæ insigne præbeat documentum.

50. Nam quum regnum haberet tutissimum et maximum, in quo multas et præclaras res gesserat tum bella suscipiendo tum civitatem administrando, omnia hæc despexit, et gloriam laboribus certaminibusque partam, quam neque vetustas obrueret nec oblivio deleret, ignavæ beatæque vitæ prætulit qua propter regnum in præsentia frui licuisset. Et hæc egit, non ubi consenuisset, fastidio quodam et satietate bonorum illorum adductus, sed in ipso ætatis flore urbem, ut ferunt, multitudini regendam permisit, ipse autem tum pro ea tum pro aliis Græcis adire pericula non destitit.

51. Ac de Thesei quidem virtute nunc ut licuit admonere auditores voluimus, olim facinora ejus omnia non negligenter persecuti: de illorum autem laudibus qui urbis administrationem ab eo susceperunt, nescio quid dicendum sit animi tanta præstantia dignum. Qui, quum rerumpublicarum distinctiones ignorarent, in deligendo non aberrarunt ab ea republica quæ confessione omnium non humanissima tantum et æquissima esset, sed et omnibus qui ea uterentur utilissima et jucundissima. Democratiam enim constituerunt, non eam quæ temere misceret omnia, et in petulantia libertatem, in licentia quidvis agendi felicitatem collocaret, sed quæ talia improbaret, atque aristocratia uteretur: quæ quum utilissima sit, a vulgo, ut ea in qua census ratio habetur, in rebuspubl. numeratur, non quod ex inscitia ignorent, sed quia nihil unquam cogitationis ea de re susceperunt.

52. Ego vero formas rerumpublicarum tres duntaxat esse dico, oligarchiam, democratiam, monarchiam: qui igitur his utuntur, si magistratus et cætera munia civium prudentissimis et optime ac justissime curaturis omnia mandent, eos in quavis republica tum inter se tum erga alios felici statu futuros; qui vero audacissimos et improbissimos deligunt, qui tum reipublicæ utilitatem negligunt

tum ad explendam suam avaritiam quidvis parati sint et facere et perpeti, civium eandem quæ magistratuum est improbitatem fore [esse velint, hos contra et sibimetipsis et civibus pessime consulere judico]; qui autem neque sic neque ut prius dixi sese parant, sed quum securi sunt, eos maxime honorant qui ad gratiam loquuntur, in metu vero et periculis, ad optimos et prudentissimos quosque confugiunt, eos per vices alias feliciores fore alias calamitosiores.

53. Hæc igitur natura et vis est rerumpublicarum; atque hæc aliis multo plura verba suppeditatura existimo quam nos fecimus, mihi vero non de omnibus illis, sed de sola majorum nostrorum republica, esse disserendum: hanc enim pollicitus sum demonstraturum majoris esse pretii quam eam quæ Spartæ constituta est.

54. Erit autem oratio his qui me libenter de bona republica dicentem audituri sunt neque molesta nec intempestiva, sed apta et conveniens superioribus; illis vero qui gravem et severam orationem adspernantes iis maxime delectantur qui in celebritatibus convitia dicunt, vel, si furore illo abstinuerint, aut res omnium vilissimas aut mortalium nequissimos laudant, iis eam visum iri puto quam oporteat prolixiorem. Verum ego nihil unquam ejusmodi auditores curavi, ut nec alius quisquam vir prudens, sed eorum rationem habui, qui et illa quæ jam dixi præ omnibus aliis memoriæ mandaturi, neque disputationis prolixitatem, etiamsi decies mille versuum ea fuerit, reprehensuri sunt, sed sui arbitrii esse putabunt tantum legere et percensere quantum ipsi volent, omniumque maxime eorum qui nihil libentius audiant ea oratione qua vel præstantium virorum virtutes vel reipublicæ bene constitutæ mores commemorentur: quæ si quidam imitari possent et vellent, cum ipsi magna gloria ætatem exigerent tum suas urbes felices redderent. Ac quales mihi auditores dari optarim, dixi; vereor autem, etiamsi tales contigerint, ne longe tenuius quam pro rerum gravitate de quibus disserere institui dicam. Sic tamen ut potero de eis verba facere aggrediar.

55. Quod igitur nostra urbs illis temporibus melius quam aliæ administrata fuit, id regibus, de quibus paulo ante dixi, acceptum referri debet. Hi enim fuerunt qui populum ad virtutem, ad justitiam, magnamque modestiam instituerint, et suis actionibus id docuerint, quod ego posterius dico quam ipsi fecerunt, quamvis reipublicæ formam civitatis esse animam, cujus ea vis sit quæ mentis in corpore: nam hæc est quæ et omnibus de rebus deliberet, et res secundas tueatur, et effugiat adversas, auctor atque effectrix omnium quæ civitatibus contigerunt.

56. Quæ quum didicisset populus, ejus rei propter mutationem oblitus non est, sed in hoc magis quam in alia incubuit, ut duces sortiretur, qui et statum popularem expeterent, et iis moribus essent

præditi quibus illi qui olim regnassent, ne per incuriam summæ rerum omnium eos præficeret quibus nemo privatim quicquam mandatum vellet, aut committeret ut illi ad gubernacula civitatis sederent quorum in confesso esset improbitas, aut vocem illorum ferret qui, quum sua ipsi corpora probris affecissent, aliis præscribere studerent quemadmodum urbs sobrie feliciterque regenda esset, aut illis in republ. locus daretur qui patrimoniis in fœdas voluptates profusis peculatu et rapinis inopiæ suæ consultum vellent, aut illis qui, quum ad gratiam semper loqui cuperent, in multa ingrata et molesta conjicerent eos qui ipsis obtemperassent; nam hujus quidem generis homines omnes a consiliis esse removendos nemo est omnium quin existimet, neque vero hos solum sed illos etiam qui, quum aliorum possessiones reipublicæ esse dicant, proprias civitatis opes depeculari ac diripere audent, et se amare populum simulant, quem apud omnes alios in odium adducunt, qui, quum Græcis verbo metuant, eos re vexant et calumniantur et efficiunt ut ita erga nos affecti sint, ut pleræque civitates bellis conflictantes malint hostibus portas quamprimum aperire quam nostra præsidia intromittere. Nemo perscribere ac enumerare possit omnem improbitatem et scelera istorum.

57. Quæ quum illi odissent, non temere quosvis ad consilia et magistratus admittebant, sed optimos et prudentissimos quosque et vitæ integritate spectatissimos, atque hos ipsos tum imperatores creabant tum si quoquam necesse esset legatos mittebant, tum magistratus urbanos omnes illis mandabant, existimantes, qui pro concione optima suadere et vellent et possent, eosdem etiam seorsim omnibus in locis et de omnibus negotiis eodem animo parique prudentia futuros: neque vero opinione sua frustrati sunt.

58. Nam quum hac mente essent, paucis diebus leges in tabulas relatas et publice propositas viderunt, non his quas nunc habemus similes, neque confusionis plenas et inter sese pugnantes, ita ut tam ratæ quam antiquatæ prope nihil auctoritatis habeant, sed primum paucas, sic tamen ut et satisfacerent et cognitu faciles essent iis qui usuri erant illis, deinde justas et utiles et inter se consentientes, et magis in hoc intentas, ut publica instituta præclara essent quam ut privata commercia sine fraude fierent, quales esse decet in republica bene constituta. Circa eadem tempora magistratus creabant eos qui a tribulibus et popularibus delecti erant; neque vero dignitates tales fecerant quæ magnopere ambiendæ aut expetendæ essent, sed multo magis muneribus similes, iis quibus mandata fuerint sane molestis, sed et honoris aliquid afferentibus: oportebat enim eos qui delecti erant et rem familiarem negligere, et largitionibus quæ magistratibus dari solent non minus quam donariis templorum abstinere — quæ quis est qui his moribus ferre velit? — quod si qui

officio functi essent, eos mediocriter collaudatos aliam talem curationem suscipere oportebat, qui vero paululum de via declinassent, summis probris et maximis suppliciis affici; quare nemo civium ut nunc fit magistratus appetebat, sed magis gestiebat eos tunc effingere quam nunc consequi, omnesque putabant nunquam exsistere posse veriorem democratiam aut firmiorem aut multitudini utiliorem ea quæ et talium functionum populo immunitatem daret, legendorum autem magistratuum auctoritatem et puniendi delinquentes tribueret; quæ non alia potestas est quam felicissimorum tyrannorum.

59. Et hæc pluris quam ego dico eos fecisse, illud maximo argumento est quod populus alias reipublicæ formas quæ displicent oppugnare et destruere et magistratus occidere solet, hac vero usus est non paucioribus quam mille annis, in eaque perseveravit ab illo tempore quo accepit usque ad Solonis ætatem Pisistratique principatum; qui populi gubernator factus, quum reipublicæ multum nocuisset optimosque cives tanquam oligarchicos ejecisset, tandem populari statu abrogato tyrannidem occupavit.

60. Fortassis autem aliqui me absurde facere dicent — nihil enim vetat hanc orationem reprehendere —, qui hæc dicere audeam tanquam de rebus perfecte mihi cognitis, quibus dum gererentur non interfuerim. Sed ego me nihil horum temere facere puto. Nam si ego solus sermonibus de veterum institutis et scriptis, quæ ab illo tempore ad nos pervenerunt, fidem haberem, non injuria reprehenderer: nunc multos eosque prudentes viros facere idem quod me apparet. Præterea, si argumenta et orationem a me postulentur, probare queam omnes homines auribus plura quam oculis cognoscere, et majores et pulcriores res scire quas ab aliis audierint quam quibus ipsi interfuerint. Cæterum hujusmodi reprehensiones neque negligendæ sunt — nam, si a nemine diluerentur, fortasse veritatem lederent — neque refutandis illis diutius immorandum, sed ubi tantum aliis subindicatum fuerit ex quo adversarios nugas agere ostendatur, ad propositum redeundum et absolvendum id quod institutum fuit; quod ego quoque faciam.

61. Ordinationem igitur reipublicæ, et tempus per quod ea sunt usi, quantum satis est exposuimus: restat igitur ut quæ actiones bonum civitatis statum secutæ sint explicemus. Ex his enim adhuc rectius intelligetur nostros majores rempublicam meliorem habuisse tum quam alios et modestiorem, atque iis et magistratibus et consiliariis esse usos quorum auctoritati parere prudentiæ est.

62. Sed ne hæc quidem prius dicenda mihi sunt, quam pauca præfatus fuero. Si enim, neglectis eorum reprehensionibus qui hoc unum didicerunt, vel de aliis rebus gestis vel de militari disciplina, quibus usi majores et barbaros superarunt et a Græcis bene

audierunt, narravero, fieri non poterit quin aliqui me dicant leges recitare quas et Lycurgus tulerit et Spartani observent.

63. Ego vero me dicturum esse multa fateor quæ illic recepta sunt, non quod Lycurgus illa vel invenerit vel excogitarit, sed quod majorum nostrorum gubernationem quam optime imitatus domi democratiam instituit aristocratia temperatam, qualis apud nos fuit, et magistratus non sortito sed per suffragia creari voluit, legemque tulit ut seniores qui rebus omnibus præsunt tanto studio et cura legerentur, quanta ferunt a majoribus nostris Areopagitas esse lectos, et eandem illis auctoritatem tribuit, quam sciret senatum apud nos habuisse.

64. Lacedæmoniorum igitur eam esse rempublicam quæ apud nos olim quoque fuerit, e multis audire licet, si qui scire id cupiunt: jam rei militaris peritiam non prius excoluisse neque melius tractasse Spartanos quam nostros, certaminibus et bellis, quæ facta esse illis temporibus omnes confitentur, me ita perspicue ostensurum arbitror, ut nec inepte Laconum studiosi habituri sint in quo meis verbis contradicant, nec illi etiam qui nostra simul et mirantur et invident et imitari cupiunt.

65. Ab eo autem exordiar quod auditu fortasse non omnibus jucundum, sed dictu tamen non erit inutile. Si quis enim dicat duas has urbes plurima beneficia in Græciam contulisse atque maximis malis eandem post Xerxis expeditionem affecisse, non poterit non dixisse verum iis videri qui res gestas illorum temporum cognitas habent. Nam et quam fortissime fieri potest contra ejus potentiam dimicarunt, et eo facto, quum decuisset etiam ea quæ restabant, eas rite administrare, in eam non amentiam sed insaniam sunt impulsæ, ut cum eo qui ipsas oppugnarat, qui utramque urbem delere funditus, qui cæteros Græcos servitute opprimere destinarat, tali præsertim, quem facile terra marique superassent, pacem in omne tempus tanquam cum bene merito fecerint, et altera alterius virtutibus invidentes bello suscepto tanta pertinacia et æmulatione inter se contenderint, ut sese mutuo cæterosque Græcos perdere non prius destiterint, quam communi hosti eam potestatem dedissent ut in nostram urbem per Lacedæmoniorum potentiam in summum discrimen adduceret, ac rursum Lacedæmonios per nostram urbem. Quamvis autem barbarus eas prudentia tam longe superasset, tamen neque illis temporibus ob acceptas clades ita uti par fuit ipsasque decuit doluerunt, neque nunc Græcarum urbium maximas colere pudet ejus opes contentione quadam assentationis; nam Argivi quidem et Thebani Ægyptum illi missis auxiliis subegerunt, ut quam maxima potentia munitus Græcis insidiaretur, nos autem et Spartani, quum societate conjuncti simus, alieniores alteri ab alteris animos habemus quam ab iis contra quos utrique bella gerimus. Cujus

rei non parvum illud signum est, quod nec ulla de re communi consilio deliberamus, et utrique seorsim legatos ad illum mittimus, sperantes, utri eum magis propitium habuerint, in eorum potestate fore Græciæ dominatum, adeoque sumus amentes ut non animadvertamus solere eum illos a quibus colitur contumeliose tractare, cum iis autem, qui adversantur et ejus potentiam contemnunt, omni modo dare operam ut redeat in gratiam.

66. Hæc recensui, quum satis scirem non defuturos qui dicere auderent ea quæ dixerim nihil ad institutum pertinere. Ego vero nunquam quicquam esse dictum existimo quod supra dictis magis conveniat, aut quo manifestius demonstretur majores nostros maximis in rebus fuisse prudentiores illis qui tum nostram tum Spartanorum urbem post bellum cum Xerxe gestum gubernarunt. Satis enim constat eas et illis temporibus pacem cum barbaris fecisse, et cum seipsas tum alias civitates perdidisse, et nunc Græcis imperare velle, et legatos ad regem mittere ad expetendam ejus amicitiam et societatem: qui vero quondam nostram urbem tenuerunt, nihil tale fecerunt, sed plane contrarium; nam Græcis urbibus abstinere tam constanter eis decretum fuit quam religiosis hominibus donariis templorum, bellum autem maxime necessarium et justissimum, a quo mortalium nemo immunis esse deberet, id putabant quod contra immanitatem belluarum gereretur, proximum quod Græcorum auxilio inferretur barbaris qui et natura essent hostes et perpetuo nobis insidiarentur. Hæc quæ dixi non ipse excogitavi, sed ex illorum rebus gestis sum ratiocinatus.

67. Nam quum alias urbes in multis malis et bellis et turbis versari, suam vero solam recte gubernari viderent, non existimarunt eorum esse officii qui et rectius saperent et rebus secundioribus uterentur connivere ac pati cognatas urbes interire, sed et rationem ineundam et operam esse dandam ut universas malis illis liberarent. His cogitationibus susceptis dissidia saniorum civitatum legationibus et disceptationibus tollere studuerunt; si quæ vero seditiosiores erant, cives summæ apud se auctoritatis ablegarunt, qui et consiliis eas in rebus illis juvarent, et congressi tum cum iis qui domi vivere non poterant, tum cum iis quorum insita ferocia legum decretis adversabatur, quod hominum genus urbibus plerumque perniciosum est, persuaserunt ut secum in militiam profecti vitam illa meliorem quærerent. Quum igitur multi essent qui ea vellent et obtemperarent, constituto ex illis exercitu, et barbaros qui insulas occuparant expulerunt et eos qui utramque Asiæ oram tenebant aggressi, omnibus ejectis, egentissimos Græcorum ibi collocarunt. Hæc et ipsi agere et aliis ad imitandum proponere non destiterunt, donec audissent Spartanos Peloponnesi urbes, ut dixi, subegisse: tum vero sua tueri coacti sunt.

68. Quid igitur boni bella illa et occupationes mittendi colonias secutum est? hoc enim existimo plerosque potissimum audire velle. Ut Græci ditiores et copiosiores fierent magisque consentirent tanta et tali multitudine hominum liberati, ut barbari extorres et profligati submissioribus animis essent quam prius, ut harum rerum auctores insignem caperent gloriam duploque majorem fecisse Græciam quam initio fuerat apparerent.

69. Ac majus quidem beneficium quam hoc et communius Græcis a nostris majoribus datum reperire non possum: quod autem sit cum peritia rei militaris conjunctius, nec minore prædicatione dignum et omnibus magis manifestum habituri forte sumus quod dicamus.

70. Quis enim ignorat, aut Bacchanalibus e tragicis actoribus non audivit, quas Adrastus clades ad Thebas acceperit? qui Œdipi filium, suum generum, in regnum restituere conatus, maximas Argivorum copias amisit, et omnes centuriones vidit iuteremptos, ipse per dedecus servatus; et quia nec fœdus impetrare nec cæsos afficere sepultura poterat, supplex urbi nostræ factus, Theseo adhuc eam gubernante, oravit ne tales viros insepultos jacere aut vetus institutum et patriam legem apud universos homines receptam abrogari sineret, quæ non mortali prodita ingenio sed a divina potentia imperata videretur. Quibus populus auditis, nulla mora interposita, legatos Thebas misit, qui suaderent ut et de reddendis cadaveribus sanctius consilium inirent et æquius responsum quam dudum darent, atque illud subindicarent, nostram urbem eis non permissuram ut communem omnium Græcorum legem violarent. Quæ quum audissent qui tum Thebis imperabant, aliter statuerunt quam et plerique de eis sentiunt, et ipsi prius decreverant, sed et modeste suam causam egerunt et accusatis iis a quibus oppugnati essent nostræ urbi cadavera tollenda tradiderunt.

71. Ac nemo putet me iis quæ in oratione Panegyrica de his ipsis scripsisse videar ex inscitia dicere contraria: ego enim existimo neminem eorum qui hæc perspicere potuerunt tanta esse væcordia et invidia refertum, qui me non laudet ac prudenter facere censeat quod tunc illo nunc hoc modo de eis disseruerim. De his igitur scio me recte scripsisse atque utiliter: quantum autem nostra urbs illo tempore bellica fortitudine præstiterit — nam ut hoc demonstrarem, ea recensui quæ Thebis facta sunt —, id existimo ista ipsa re omnibus planissimum fieri, quæ et regem Argivorum urbi nostræ supplicem fieri coegerit, et Thebanorum dominos eo redegerit ut maluerint nostræ urbis sermonibus quam legibus a numine latis obtemperare: quorum urbs nostra nihil certe perficere potuisset, nisi et auctoritate et potentia cæteris longe præstitisset.

72. Quum autem multa et præclara majorum facinora dicenda

habeam, dispicio qua ratione de eis disseram. Hæc enim majori mihi curæ sunt, quam cætera: quum jam in ultima propositi mei parte verser, quo me probaturum asserui majores nostros in bellis et præliis magis antecelluisse Spartanis quam cæteris rebus omnibus. Erit autem hæc oratio ab opinione multorum abhorrens illa quidem, sed non minus vera tamen quam superiora. Modo equidem dubitabam utrum dimicationes et pugnæ Spartanorum an vero nostrorum civium prius recensendæ essent: nunc ab illis ordiri placet, ut ad finem disputationis hujus facinora reservem clariora et æquiora.

73. Posteaquam igitur Dorienses in Peloponnesum cum exercitu profecti pulsis per injuriam veteribus incolis eorumque agris occupatis trifariam urbes diviserunt, qui Argos et Messenam sortiti erant, eo fere modo civitates suas administrarunt quo reliqui Græci, tertiam autem eorum partem, quos nunc Lacedæmonios dicimus, ita seditiosos fuisse ab iis qui res illorum perquirunt est proditum ut nullos aliorum Græcorum, optimates autem, quum elati superbia plebem oppressissent, longe aliam rationem et ab aliorum omnium qui similes turbas experti essent consuetudine abhorrentem pacandorum tumultuum constituendæque reipubl. inivisse: nam cæteros quidem adversam factionem in eadem civitate vivere et omnium commodorum societate magistratibus duntaxat et honoribus exceptis frui pati; — quos dementes haberi a prudentibus Spartanorum, si existiment sibi et reipubl. nihil ab iis esse periculi quos insignibus injuriis affecerint —; ipsos vero nihil tale fecisse, sed inter sese æqualitatem et democratiam ejusmodi constituisse, qualis deceat eos qui perpetuo concordes esse debeant, plebem autem circum se in vicinia collocasse, servitute oppressis illorum animis non minus quam famulorum; quæ quum perfecissent, agri, quem inter omnes æqualiter esse distributum oportuerat, ipsos qui pauci essent non optimam duntaxat, sed et tantam vendicasse partem quantam nulli Græcorum habeant, et multitudini tantum deterrimæ terræ impertiisse ut magno labore vix excolere possint quantum ad vitam sustentandam sit necessarium; postea divisa inopi multitudine, humiles et multos in locis quam fieri potuerit angustissimis considere coactos, qui quum iis nominibus appellentur quasi civitates incolant, revera minus auctoritatis et opum habeant quam nostratia municipia; quum autem eis eripuissent omnia quæ liberis hominibus permittenda sunt, maximam periculorum partem in eos inclinasse; nam tum in expeditionibus, quæ ductu regis fiebant, viritim in acie juxta Spartanos stetisse, et quosdam etiam in prima acie collocatos esse, tum si, quum aliquo supplementa mittenda essent, vel labores vel pericula vel moram belli reformidarent, hos misisse ut sua capita pro aliorum salute periculis objectarent. Et quid multis opus est

omnes recensere injurias quibus multitudo afficitur, quin potius maximo malo prolato cætera missa faciamus? Nam eorum qui et ab initio tantas acerbitates perpessi sunt, et ad quasvis occasiones operam ita strenuam navant, ephoris licet indicta causa tot occidere quot libitum eis fuerit: quæ quidem sanguinaria crudelitas apud cæteros Græcos nefarium scelus habetur, si vel in perditissimos servos exerceatur.

74. De Spartanorum autem in cives olim suos sævitia et peccatis in eos admissis ideo pluribus disserui, ut interrogarem eos qui facta illorum omnia probant, num etiam hæc laudent, et prælia cum istis gesta pia atque præclara putent. Ego quidem magna illa existimo fuisse et acerba, quæ ut victis ingentia mala sic victoribus emolumenta plurima peperere, propter quæ isti bella perpetuo gerunt, sed neque sancta neque honesta neque decora iis qui præstantiam illam sibi vendicant, non quæ in artibus et multis aliis rebus sic dicitur, sed verse virtutis, quæ viris bonis et honestis cum pietate et justitia in animis innascitur, de qua omnis oratio est. Qua quidam neglecta eos laudant qui plura quam alii peccata contraxerunt, nec animadvertunt se mentem suam aperire ac illud prodere, quod eos etiam laudaturi sint qui maximis quidem opibus polleant, sed et fratres suos et amicos et socios occidere non dubitarent ut illorum quoque pecunia potirentur: nam talia facinora similia sunt factis Spartanorum, quæ qui probant, eos necesse est idem de iis etiam sentire quæ modo commemoravimus.

75. Miror autem si qui sunt qui prælia et victorias præter jus et æquum partas, non esse turpiores et pluribus probris scatere censeant quam clades sine ignavia acceptas, præsertim quum sciant, magnos exercitus quamvis sceleratos sæpe superiores esse viris honestis qui pro patria pugnare non dubitant. Quos multo laudari justius est quam eos qui alienarum opum cupiditate mortem oppetere non recusant, conductitiis militibus similes: nam hæc improborum hominum opera sunt; quod vero boni viri nonnunquam infelicius quam qui student injuriis inferendis prœliantur, id incuriæ deorum fortassis est tribuendum. Et hac ratione uti queam etiam de calamitate quam Spartani ad Thermopylas acceperunt, quam quicunque audiverunt laudant omnes et mirantur magis quam prælia et victorias quibus adversarii quidem superati, sed et illi violati sunt quos minime oportebat; et sunt tamen qui ea laudare non dubitent, ignari nimirum nihil neque sanctum neque honestum esse eorum quæ citra justitiam et dicantur et fiant. Quæ res Spartanis nunquam curæ fuerunt: nihil enim aliud spectan tnisi ut aliena quam plurima occupent.

76. Nostri autem nihil omnium rerum ita expetiverunt, nisi ut apud Græcos gloria florerent: existimantes nullum posse judicium

fieri vel verius vel æquius illo quæ a tota gente pronuntiatum esset. Eos autem ita sensisse cum ex aliis eorum actis in republica perspicitur, tum e rebus maximi momenti. Nam quum Græci tria bella præter Trojanum cum barbaris gesserint, in his omnibus suam urbem principem exhibuerunt. Quorum unum fuit Xerxeum, in quo quicquid periculi adeundum fuit tanto præstantiores fuere Lacedæmoniis quanto illi aliis: alterum eo tempore quo coloniæ condebantur ortum, ad cujus societatem Doriensium nemo venit, nostra vero urbs se ducem professa tenuiorum et quorumvis aliorum rem ita vertit et mutavit eoque redegit ut, quum barbari soliti fuissent reliquo tempore maximas quasque Græcarum urbium occupare, Græci ea quæ prius ferebant facere possent.

77. Ac de duobus quidem bellis satis antea diximus, nunc de tertio verba faciam, quod conflatum est quum et Græcæ urbes nuper conditæ essent et nostra civitas adhuc regibus pareret. In quorum tempora et bella plurima et maxima pericula inciderunt, quæ omnia neque cogitatione complecti neque oratione explicare queam; omissis igitur eorum plurimis quæ tum facta sunt eademque dictu non ita necessaria, quam brevissime potero referre conabor tum eos qui nostram urbem oppugnarunt tum pugnas memorabiles harumque duces, tum causas quas hostes prætexebant potentiamque gentium quæ illos secutæ fuerunt: hæc enim satis multa erunt quæ cum adversariorum factis comparentur.

78. Nam Thraces cum Eumolpo Neptuni filio in agros nostros irruperunt, qui cum Erechtheo de urbe contendens Neptunum prius eam occupasse quam Minervam asserebat: Scythæ cum Amazonibus, quæ Martis filiæ dicebantur, propter Hippolytam bellum faciebant, quæ, patriis legibus violatis, Thesei amore capta et inde eum secuta ac nupta illi fuerat: Peloponnenses cum Eurystheo, qui quum Herculi pœnas injuriarum non dedisset, bello contra majores nostros suscepto ut ejus liberos vi hinc abduceret — ad nos enim confugerant —, ea pertulit quæ merebatur; tantum enim abfuit ut supplices in potestatem suam redegerit, ut prælio superatus et captus a nostris, ipse supplex illis factus quos sibi dedendos postularat occubuerit: post qui missi a Dario fuerant ad vastandam Græciam, exscensu ad Marathonem facto, pluribus et majoribus cladibus acceptis quam ipsi nostræ urbi se allaturos sperarant, fuga se ex universa Græcia proripuerunt.

79. His omnibus igitur quos recensui, qui non una impressionem fecerunt nec iisdem temporibus, sed ut et occasiones et singulorum utilitates et voluntas tulerant, prælio superatis illorumque injuriis propulsatis, non a statu suo post tantas res gestas declinarunt, neque id eis accidit quod iis qui, quum prudenter consulendo et recte agendo magnas opes insignemque gloriam sint adepti, post ob suc-

cessuum magnitudinem elati superbia et sana mente amissa in deteriorem etiam et humiliorem priore fortunam deferuntur, sed talibus omnibus evitatis instituta vetera ob rectam reipublicæ administrationem retinuerunt, magis freti animi sui virtute suaque prudentia quam præliis commissis, majoreque in admiratione habiti apud alios ob constantiam hanc et sobrietatem quam propter tolerantiam laborum et periculorum: omnes enim videbant multos etiam flagitiis coopertos animosos esse in præliis, sed moderationis et prudentiæ, quæ rebus in omnibus utilis omnes juvare possit, expertes esse improbos, et hanc propriam eorum esse laudem qui bene nati beneque educati et instituti sunt, cujusmodi fuerunt illi qui tum urbem rexerunt, quibus successus illi quos diximus omnes sunt accepti referendi.

80. Equidem video alios maximis facinoribus et in primis memorabilibus concludere solere orationes, atque eos qui sic judicant et agunt sapere censeo, sed tamen ita accidit ut ego aliter faciam et plura dicere necesse habeam. Quod cur a me fiat, paulo post ostendam, ubi pauca omnino prius dixero.

81. Tantam hujus orationis partem perscriptam, quanta jam recitata est, cum adolescentulis tribus aut quatuor familiariter mecum vivere solitis corrigebam: quæ quum nobis recensentibus probata conclusione tantum indigere videretur, consultum esse duxi quendam, qui me præceptore usus atque in oligarchia versatus eo animo erat ut perpetuo laudaret Lacedæmonios, accersere, ut, si quid forte falso dictum nos præteriisset, id ille animadversum nobis indicaret. Venit igitur ille vocatus et lecta oratione — nam quæ alia intercesserunt quid multis dicere attinet? — cæterorum quæ scripseram nihil moleste ferebat, sed et summis laudibus efferebat, et de singulis partibus eadem fere dicebat quæ nos quoque sentiebamus: non obscuram tamen significationem dabat sibi displicere ea quæ de Lacedæmoniis dixissemus. Idque mox ostendit: ausus est enim dicere, etiamsi nullum aliud in Græcos beneficium contulissent, ob illud tamen eis jure omnes gratiam habituros, quod, pulcherrimis institutis inventis, eadem et ipsi usurpassent et aliis demonstrassent.

82. Hoc ita breviter et paucis dictum in causa fuit ne ibi finirem orationem ubi decreveram, ac turpe fore ducerem minimeque ferendum, si quenquam ex meis discipulis in conspectu meo verbis improbis uti paterer. Hæc cogitans interrogabam nihilne curaret eos qui adessent, nec impia et falsa et multis contradictionibus referta dicere erubesceret? Intelliges autem (inquam) ita esse, si prudentiores interrogaris quæ instituta pulcherrima esse putent? deinde quantum temporis effluxerit ex quo Spartani in Peloponneso consederunt? Nemo enim est quin religiosum cultum deorum et justitiam

erga homines et prudentiam in aliis rebus omnium pulcherrima instituta esse censeat, Spartanos autem non amplius septingentis annis eum locum tenuisse consentiat. Quæ quum ita sint, siquidem tu vera prædicas quum pulcherrima instituta eos invenisse dicis, necesse est alios qui multis ante sæculis fuerunt, quam Spartani sedes istas occuparent, eorum expertes fuisse, eos etiam qui Trojam expugnarunt, et Herculis ac Thesei æquales, Minoem item Jovis filium et Rhadamanthum et Æacum et reliquos omnes qui ab universis propter istas virtutes divinis laudibus celebrantur, falsaque frui gloriola: si vero tu nugas agis, et omnino par est diis genitos virtutibus istis magis et ipsos esse usos et posteris imitandas eas proposuisse, fieri non potest quin furere videaris omnibus audientibus, qui adeo temere quosvis et inique laudes. Deinde si eos commendes, quid ego dixissem plane non audito, delirasses quidem, sed tibi tamen ipse contrarius esse non videreris: nunc vero tibi qui meam orationem laudaris, quæ ostendebat multa crudeliter et nefarie Lacedæmonios et in cognatos suos et in alios Græcos fecisse, qui inquam tibi dicere licuit eos, qui his criminibus obnoxii sunt, pulcherrimorum institutorum principes exstitisse?

83. Præterea illud etiam te præteriit, quod quæ desint vel institutis vel artibus vel quibusvis aliis rebus, ea non excogitari a quibuslibet, sed ab his qui ingeniis excellunt et e veterum inventis discere plurima potuerunt et investigationi rerum majore studio incumbere voluerunt. A quibus rebus Lacedæmonii longe barbaris essent alieniores: hos enim multorum inventorum fuisse tum discipulos tum doctores, istos vero a communi institutione ac studiis tam longe abesse ut ne literas quidem discerent, quæ tantam vim haberent ut, qui iis instructi essent et uterentur, non ea solum cognoscerent quæ sua ætate gererentur, sed illa etiam quæ ab omni memoria facta essent. Tu tamen earum ignaros pulcherrimorum institutorum inventores esse affirmare non dubitasti, quamvis scires eos ad tales exercitationes liberos suos assuefacere, per quas sperent eos aliis non esse benefacturos, sed Græcis maxima detrimenta importaturos.

84. Quæ si omnia percensere velim, et mihi et auditoribus magnum fastidium ea parerent; sed ubi unum

duntaxat recitaro, quod et amant et studio in primis habent, omne ingenium et mores eorum me declaraturum arbitror. Illi enim quotidie pueros mox a lecto, cum quibus singulis libitum est, ablegant verbo ad venationem, re ad eos per furtum spoliandos qui ruri habitant: in quo accidit ut deprehensi et nummos solvant et plagas accipiant; qui vero scelera plurima admiserunt eaque celare potuerunt, hi tum inter pueros aliis præferuntur, tum viri facti, si in illis studiis permanserint quæ pueri meditati erant, aditum sibi ad summos honores patefecerunt. Quod si quis ostenderit disciplinam ullam apud eos in majore pretio aut honoratiorem esse, fatebor me nihil verum unquam ulla de re dixisse. Enimvero quidnam istiusmodi facinorum vel pulcrum vel honestum est, ac non potius erubescendum? Annon igitur amentes habendi sunt qui eos laudant, qui a communibus legibus tam longe recesserunt neque in ulla re vel cum Græcis vel cum barbaris consentiunt? Alii enim maleficiis et furtis deditos servorum nequissimos judicant, illi autem istorum facinorum principes inter pueros excellere et maxime honorandos esse putant. Quis vero sanæ mentis homo non ter emori malit quam de se famam dissipari quod per hujusmodi studia virtutis exercitationem meditetur?

85. His ille auditis nihil omnino quod dixeram confidenter refutavit, nec tamen obticuit prorsus, sed tua quidem (me innuens inquit) oratio eo pertinet, quasi ego omnia illorum probem et præclara esse putem: ego vero et puerorum licentiam quæ apud illos est et alia multa jure abs te culpari censeo, me autem accusari injuria. Nam quum orationem legerem, cum ea quæ de Lacedæmoniis dicta essent ægre ferebam, tum illud multo magis quod nullam pro eis afferre defensionem possem, quos hactenus laudare consuevissem. Hoc æstu animi quum jactarer, id afferebam quod reliquum erat, scilicet, si non ob aliud, propter illud saltem habendam eis esse gratiam a nobis omnibus, quod pulcherrimis institutis constanter uterentur. Eaque verba neque ad pietatem neque ad justitiam aut prudentiam, quæ tu percensuisti, referebam, sed ad gymnasia ibi recepta, ad exercitationem fortitudinis, ad concordiam, ad studium denique rei mili-

taris singulare, quæ omnes prædicent, et illis usitatissima esse fateantur.

86. Quæ quum respondisset, acquievi: non quod ullum accusationis caput diluisset, sed quod id quod acerbissime dictum fuerat occultaret non inerudite sed sapienter, et cætera modestius defendisset quam dudum jactarat.

87. Verumtamen ut illud omitterem, me habere dicebam cur illa ipsa longe gravius quam puerorum furacitatem accusarem. Siquidem (inquam) illis studiis suos liberos corruperunt, illis vero, quæ tu modo commemorasti, Græcos perdiderunt. Quod ita esse facile perspicitur. Existimo enim confessione omnium pessimos viros esse gravissimaque pœna dignos, qui res ad hominum salutem inventas ad aliorum perniciem convertunt, et iis neque contra barbaros neque contra delinquentes neque contra eos qui in agros ipsorum impetum faciunt, sed contra conjunctissimos et cognatos suos abutuntur; id quod Spartiatæ fecerunt. Nam qui dici fas est illos re militari recte uti, qui, quos conservatos oportuit, eos perdere non destiterunt?

88. Neque vero tu solus ignoras qui rebus bene utantur, sed Græcorum pars fere maxima. Nam si quos viderint aut ex aliquibus audierint studiose versari in iis studiis quæ pulcra habentur, laudant illos et multa verba de eis faciunt, quum ignorent quid eventurum sit. Decet autem veros etiam istorum æstimatores initio tranquillos esse ac nullam de eis habere opinionem, postquam vero ad id tempus venerint, quo eos et dicentes et agentes videant sive privatis sive publicis de rebus, tum demum singulos acute contemplari atque eos qui juste et honeste illis utuntur quæ meditati sunt laudare et honorare, delinquentes autem et improbos reprehendere et odisse et cavere sibi ab eorum moribus, qui eam esse naturam rerum sciant ut nobis per se neque prosint neque obsint, sed usum hominum et actiones causam nobis esse omnium eventuum. Idque inde perspicitur, quod ubique terrarum eædem res planeque nihil differentes aliis prosunt aliis obsunt. Ut autem cum simplicitate haud consentit singulas res naturam sibi ipsis contrariam nec eandem habere, sic prorsus diversa usuvenire his qui recte et juste agunt et iis qui libidinose vivunt ac turpiter, quis homo prudens absurdum esse existimaverit?

89. Quod ipsum de concordia quoque dici potest: nam hujus etiam non est aliud quam cæterarum rerum ingenium; quandam enim concordiam plurima bona peperisse reperiemus, quandam ingentibus malis et calamitatibus præbuisse occasionem. Cujusmodi et Spartanorum istam esse dico: non enim dissimulabo veritatem, tametsi aliquibus supra modum absurda et incredibilia dicere videbor. Hi enim suo consensu freti de rebus externis, tanquam artificium exercentes, efficiebant ut cæteri Græci inter sese dissiderent, et, quod aliis civitatibus omnium malorum gravissimum est, id omnium utilissimum sibi esse credidderunt. Quæ civitates igitur factionibus distractæ erant, eas ipsi arbitratu suo tractare potuerant. Quare nemo eos propter concordiam jure laudaverit, nihilo magis quam piratas aut eos qui maleficio et scelere pascuntur: nam hi quoque inter se consentientes alios interficiunt. Si quibus autem hæc collatio indecora videtur neque illorum existimationi esse consentanea, hac omissa de Tribullis dico, quos omnes aiunt concordiores esse quam ullos alios homines, sed non finitimos tantum et in vicinia sua habitantes perdere, sed eos omnes ad quos penetrare possunt. Neque vero decet ut virtutis studium professi illos imitentur, sed vim potius ac naturam sapientiæ et justitiæ cæterarumque virtutum. Hæ enim non sibimetipsis benefaciunt, sed quorum animis constanter insedeniat, eos felices reddunt et beatos: Lacedæmonii contra, quoscunque accesserint, perdunt, aliorumque bona omnia ad se pertrahunt.

90. His dictis, eum cum quo colloquebar repressi, virum acrem et multarum rerum peritum et in arte oratoria non minus exercitatum quam quemvis meorum discipulorum. Cæterum adolescentuli, qui his omnibus interfuerant, non idem senserunt quod ego; nam me quidem laudarunt ut qui juvenilius exspectatione ipsorum disseruissem et in eo certamine me præclare gessissem, illum autem contempserunt, non vero judicio, sed errore de utroque nostrum. Nam ille quidem discedebat prudentior factus et animo ita contracto modestoque, ut sapientes decet, et, quod Delphis scriptum est, et seipsum et Lacedæmoniorum ingenium magis quam prius cognovisset: ego vero, ut fortasse non invita Minerva disputaram, eo ob hoc ipsum amentior factus eram, et animosior quam nostram ætatem decet, et plenus perturbatione ac tumultu juvenili.

91. Ac me sic affectum esse satis apparebat: nam quum animo sua tranquillitas restituta nonnihil esset, non prius conquievi quam eum sermonem, quem modo cum voluptate habueram, paulo post molestum futurum, puero dictassem. Quum vero triduum aut quatriduum intercessisset, relegens eadem et ordine considerans, ea quæ de nostra urbe dixeram non culpabam — nam omnia recte præclareque de ea scripseram —, quum vero ad Lacedæmoniorum res venissem, indolui ac graviter tuli: nec enim moderate de eis disseruisse videbar nec ita ut de aliis, sed temere et negligenter nimisque acerbe ac prorsus inconsiderate; quare sæpe incitatus cupiditate vel delendi vel comburendi eam orationis partem, mutabam consilium, misertus senectutis meæ et laboris quem illi conficiendæ impenderam.

92. Dum vero his curis æstuarem ac multas mutationes subirem, consultissimum esse duxi ut, meorum auditorum iis qui domi essent accersitis, cum eis deliberarem, utrum hæc oratio prorsus delenda esset an vero edenda ut a volentibus legeretur, ac omnino decreveram utrum illis visum esset, id agere. His decretis, nulla mora interposita, mox et convocati erant quos dixeram, et denuntiatum qua de causa convenissent, et lecta oratio atque laudata et cum plausu excepta et ea consecuta omnia quæ successum declamationum sequuntur.

93. His omnibus peractis, alii inter se disputabant, de iis nimirum quæ lecta erant: sed is quem initio in consilium adhibueram, laudatorem illum Lacedæmoniorum dico, cum quo plura quam decuit disserui, silentio facto, defixis in me oculis, Equidem (inquit) dubito quid in præsentia mihi sit faciendum; nec enim negare volo quæ dixisti, nec omnino possum credere. Miror enim sive ita doluisti ac tam graviter tulisti, ut dicis, dicta illa de Lacedæmoniis — nihil enim tale in iis scriptum esse video —, sive consultoribus de oratione ista uti quum velles nos convocasti, quos satis nosti quicquid tu dixeris aut feceris collaudare. Quum autem prudentiores omnes ea, in quæ magno studio incumbunt, communicare soleant aut cum sapientioribus, aut certe cum iis qui sententiam suam pronuntiaturi sunt: tu fecisti contrarium. Ac neutram quidem harum rationum ego probo, sed et nos callide convocasse et laudationem civitatis fecisse videris non simpliciter, neque ita ut nobiscum collocutus es sed periclitari nos voluisse, an serio in studia incumbamus et ea meminerimus quæ inter docendum dici solent ac perspicere queamus qua ratione scripta sit oratio; tuam vero urbem laudare instituisse prudenti consilio, ut et multitudini civium

gratificareris et laudem apud eos invenires qui vos benevolentia prosequuntur.

94. In isto igitur proposito cogitasti, si de ea sola verba faceres et fabulosa illa diceres quæ omnibus in ore sunt, quicquid diceretur simile visum iri iis quæ ab aliis scripta essent, id quod tu tibi turpissimum et molestissimum esse duceres: sin his omissis ea facta recitares quæ confessione omnium vera sunt et Græcis plurimum profuerunt, et illa cum rebus gestis Lacedæmoniorum conferres, et majorum vestrorum laudes cum illorum vituperatione conjungeres, tum orationem clariorem visum iri audientibus, tum in iisdem te mansurum, quod majori quibusdam admirationi futurum esset, quam ea quæ aliis scripta essent. Initio igitur videris ita disposuisse et deliberasse de rebus.

95. Quum autem scires te Spartanorum constitutionem ita laudasse ut nemo alius fecit, metuisse ne auditores iis te similem esse ducerent qui quicquid in buccam venerit effutiunt ac eos vituperare quos prius ultra cæteros laudibus extulisses; hæc cogitans considerasti quidnam de utrisque dicendum esset ut et vera diceres de ambobus, et tuos majores laudare arbitratu tuo posses, et Spartanos iis quibus invisi sunt accusare videreris, quod minime faceres sed clam et obscure commendares: talia dum inquireres, facile reperisti ambigua dicta quæ nihilo plus cum laudantibus quam cum vituperantibus facerent, sed in utramque partem flecti ac multas admittere disceptationes possent; qualibus uti, si de contractibus et emolumentis in foro litiges, turpe sit et magnum signum improbitatis, quum autem de natura hominum rebusque præclaris et ab eruditione non alienis disseritur, præstantis ingenii argumentum. Cujus generis est ista quam audivimus oratio: qua tuos majores pacis fecisti studiosos et Græcorum amantes et æqualitatis in rebus publicis duces, Spartanos vero superbos et bellicosos, et primas ubique sibi vendicantes, cujusmodi omnes eos esse existimant.

96. Talibus igitur ingeniis quum utrique sint, alteros ab omnibus laudari et videri bene velle multitudini, alteris multos invidere et infensos esse, nec deesse tamen qui eos laudent et mirentur ac dicere ausint majoribus bonis eos esse præditos quam sint ea quæ majoribus tuis insunt: nam et superbiam a majestate,

laudata re, non abhorrere, et qui tales sint omnibus magis magnanimi videri quam qui æqualitatem introducant, et homines bellicosos longe præstare pacis studiosis; qui neque parare possint quæ non habeant nec ea quæ habeant fortiter tueri, illos autem utrumque posse, tum capere quæ desiderent, tum servare quæ semel occuparint: quæ perfectorum virorum officia esse videantur. Verum de præcellendi studio pulcriora etiam dicere se posse censent quam quæ nunc dicta sunt: nam qui contractarum rerum fidem frangant et alios circumveniant et falsis ratiunculis deludant, eos neque justos neque præcellentes esse putant, sed et avaros et improbos — quod enim male de ipsis existimetur, et contemni eos et omnibus in rebus esse deteriore conditione —, Spartanorum autem præcellendi studium et regum et tyrannorum cum optabile esse atque ab omnibus expeti, tum neminem incessere convitiis aut exsecrari eos quorum tantæ sint facultates atque opes; neque invèniri tam abjecto ingenio quenquam quin optet talem a diis potestatem tribui sibi ipsi in primis, aut saltem sibi conjunctissimis: unde perspicuum est summum bonum videri nobis aliis antecellere. Ambitum igitur tuæ orationis in hanc sententiam complexus mihi esse videris.

97. Quod si putassem te parsurum esse his quæ dicta sunt et hanc orationem sine reprehensione prætermissurum, ne ipse quidem plura dicenda mihi censuissem: nunc, quia nihil de his pronuntiavi quorum gratia in consilium advocatus sum, id tibi curæ non fore arbitror — nec enim, quum nos convocares, ea res serio abs te agi videbatur —, sed instituisti, opinor, orationem cæteris nulla re similem, quæ quidem segniter ac otiose legentibus simplex videretur ac intellectu facilis, diligenter autem intuentibus et id quod alios latuisset perspicere conantibus difficilis appareret et non exposita cujusvis intelligentiæ, multisque historiis et recondita eruditione referta, plena etiam omnigena varietate et (ut ita dicam) mendaciloquentia, non ea quæ cives improbe lædere consuevit, sed quæ cum urbanitate juvare et oblectare possit auditores: quorum nihil me sivisse ita se habere dices ut ea tu se habere volueris; nam si ego quæ vis sit orationis edocuero et tuum consilium exposuero, me non animadvertere dices orationem per me tanto magis ingloriam reddi,

quanto eam dilucidiorem fecerim et legentibus notiorem; quum enim ignorantibus scientiam trădam, me efficere ut oratio deserta sit et eam honore privare qui si accessisset ob illos qui laborant et sibi ipsis negotium facessunt.

98. Ego vero me prudentia quam longissime fieri possit te esse inferiorem fateor, sed tamen ut hoc scio, sic illud etiam non ignoro, urbe nostra maximis de rebus deliberante sapientissimos interdum a communi utilitate aberrare, et fieri nonnunquam ut forte fortuna quispiam e vilium contemptorumque numero et recte sensisse et optime dixisse videatur: quare mirandum non erit, si in hoc quoque negotio tale aliquid nunc evenerit, ubi tu existimas te maximam laudem consecuturum, si quam diutissime disputaris quo animo orationem composueris; ego vero tecum optime actum iri puto, si sententiam, qua in ea conficienda usus es, quam paucissimis perspicuam reddere possis tum aliis universis tum Lacedæmoniis, de quibus multa verba fecisti, quorum nonnulla justa sunt et gravia, quædam petulantia et nimis odiosa; quæ si quis eis ostendisset, antequam ego meum judicium interposuissem, fieri non potuisset quin et offensi et irati tibi essent ut qui accusationem contra ipsos scripsisses. Nunc Spartanorum plerosque nihil de vetere sua consuetudine puto mutaturos, neque orationes hic scriptas magis curaturos esse quam ea quæ extra columnas Herculis dicuntur; eorum autem prudentissimos, qui orationum tuarum aliquas habent ac mirantur, si quem nacti lectorem fuerint et tempus ut secum ipsi diligenter omnia perpendant, nihil ignoraturos eorum quæ dicuntur, sed et laudes animadversuros quæ in urbem suam enumeratis rebus gestis conferuntur, et convitia contempturos quæ sine re dicuntur verborumque tantum asperitatem habent, et existimaturos maledicta quæ in libro insint ab invidia esse profecta, res vero gestas et prælia, propter quæ et ipsi multum sibi tribuunt et ab aliis tribui vident, te scripsisse et ab oblivione vindicasse, collectis seorsim omnibus et per collationem explicatis; illud quoque tibi acceptum referent, si ea multi et legere et percensere velint, non quod illorum res gestas audire desiderent, sed quod cognoscere studeant quomodo tu de eis disserueris.

99. Hæc cum animis suis cogitantes et repetentes neque veterum facinorum obliviscentur, ob quæ majores ipsorum laudasti, sed hæc etiam sæpe secum ipsi reputabunt, primum se quum Dorienses essent, ac suas urbes parvas et inglorias esse viderent multarumque rerum egentes, illis neglectis bellum intulisse civitatibus Peloponnesi primariis, Argis et Lacedæmoni et Messenæ, victoriaque parta et urbibus et regione eos exegisse quos superassent, ac possessiones illorum omnes tunc occupasse quas etiam nunc tenent, quo majus facinus et admirabilius nemo ostendet illis temporibus editum, aut quicquam esse gestum felicius aut diis magis propitiis quam id per quod et suæ inopiæ consuluerunt et alienam felicitatem obtinuerunt. Atque hæc cum omnibus expeditionis illius sociis gesserunt.

100. Postquam autem cum Argivis et Messeniis regionem partiti Spartam seorsim se contulissent, illis temporibus animorum tanta magnitudine eos fuisse dicis ut, quum non plures bis mille essent, se vita indignos judicarent, nisi omnibus Peloponnesi urbibus potiri possent; quo consilio quum bellum suscepissent, licet multis miseriis et periculis circumventi non abjecerunt animos neque conquieverunt, priusquam eas omnes Argivorum urbe excepta subegissent; quum autem jam et ditionem amplissimam et potentiam maximam et tantam gloriam consecuti essent quantam eos par est qui res tantas gesserant, hoc sibi non minus laudi duxerunt, quod soli Græcorum omnium hac peculiari et præclara prærogativa gloriari possent, se tam paucos numero nullius unquam urbis quantumvis amplæ ductum secutos esse aut imperata fecisse, sed sua libertate perpetuo retenta bello barbarico Græcorum omnium duces constitutos, eoque honore non sine causa affectos, sed propterea quod ex universo genere mortalium illis temporibus in plurimis præliis versati in nullo rege duce succubuissent, sed omnes superassent, quo nullum majus ac certius signum dici potest fortitudinis et tolerantiæ et consensionis inter ipsos, eo quod jam dicetur excepto: nam quum tanta multitudo sit Græcarum civitatum, cæterarum nulla dici aut inveniri potest, quæ non in calamitates illas inciderit urbibus accidere solitas, Spartæ autem nemo potest ostendere

factas esse vel seditionem vel cædes vel fugas injustas, vel direptiones pecuniarum vel stupra uxorum et liberum, imo ne reipub. quidem mutationem neque novas tabulas neque agrorum divisionem neque quicquam aliud insignium calamitatum. Quæ quum reputabunt, fieri non poterit quin tui etiam, qui ista congesseris et tam eleganter disserueris, recordaturi et magnam tibi gratiam habituri sint.

101. Non autem nunc idem quod prius de te sentio. Nam superiori tempore tum ingenium tuum et vitæ ordinem et industriam tum vero philosophiæ veritatem in primis mirabar, nunc vero te felicissimum et beatissimum judico: videris enim mihi vivens etiam gloria fore non quidem majore quam merearis — vix enim id fieri potest —, generaliore tamen et evidentiore hac qua nunc flores; defunctus autem immortalitatis particeps futurus, non ejus qua dii fruuntur, sed illius qua memoria eorum qui re aliqua memorabili alios superant ad posteros propagatur. Et hæc jure tibi contingent: nam utramque urbem præclare laudasti et convenienter, alteram ex opinione multitudinis, quam nulli viri celebres contempserunt, sed dum eam consequi student omnia pericula subierunt, alteram secundum cogitationes eorum qui veritatem attingere conjectura student, apud quos in magna existimatione esse præstabilius est quam apud alios, si duplo plures quam nunc sunt exsisterent.

102. Quum autem inexplebili hoc tempore cupiditate flagrem, et multa dicenda habeam tum de te tum de utraque urbe tum de oratione hac, tamen omissis illis, de eo sententiam dicam, cujus gratia me accersitum esse dicis. Tibi enim auctor sum ut hanc orationem neque comburas neque aboleas, sed, sicubi aliquid deest, corrigas, et omnibus disputationibus quæ de ea habitæ sunt adscriptis legere volentibus impertias, si modo rem gratam facere studes optimis viris inter Græcos et vere non simulate philosophantibus, et illos afficere molestia, qui quum tua magis quam alii mirentur, orationes tuas in hominum frequentia proscindunt, in qua plures sunt qui dormiant quam qui auscultent, quique sperant, si vulgus hominum deceperint, suas declamatiunculas cum scriptis a te orationibus posse contendere, ignari nimirum se longius abesse ab excellentia tua quam gloria

Homeri vincuntur illi qui in eodem genere poesi elaborarunt.

103. Quibus ille dictis ab iis qui aderant petiit ut ea de re cujus gratia convocati essent sententiam dicerent, illi vero non applauserunt, quod omnibus eleganter disserentibus facere solent, sed exclamarunt quasi excellenter perorasset, factaque circa eum corona laudabant, mirabantur, beatum prædicabant; ac ejus quidem orationi quod adjicerent aut demerent nihil habebant, sed pedibus euntes in ejus sententiam ea mihi facienda censebant quæ ille monuisset. Verum ne ego quidem tacitus adstabam, sed tum ingenium ejus laudabam tum diligentiam, de cæteris autem quæ dixerat nihil locutus sum, nec quam prope conjecturis suis ad meam sententiam accessisset nec quam longe aberrasset, sed eam persuasionem quam a se ipse acceperat eum tenere sinebam.

104. Ac vero de his quæ proposui, satis dictum esse puto; nam singula quæ prius dicta sunt repetere, alienum est ab hoc genere orationum: dicam autem de his quæ in hac oratione mihi privatim acciderunt. Eam ego quidem scribere institui tot annos natus quot initio dixi: quum vero media pars scripta esset, morbus me invasit, qui ut nominari verecunde non potest, sic non seniores tantum triduo aut quatriduo tollere potest, sed multos etiam integræ ætatis; cum quo perpetuum triennium ego sum luctatus, et ea tolerantia singulos dies transegi, ut et ii qui sciunt et qui ex iis audiverunt meam illam tolerantiam mirentur magis quam ea quæ superiori tempore mihi laudem pepererunt. Quum vero jam et animum despondissem et viribus destitutus essem tum morbo tum senectute, quidam eorum qui me visebant, et eam orationis partem quæ scripta erat sæpe legerant, rogarunt et suaserunt ne dimidiatam et inelaboratam relinquerem, sed parvi temporis labore suscepto etiam reliquis absolvendis animum adjicerem. Neque vero ita loquebantur, ut defungendi causa id facerent, sed et quæ scripseram laudibus efferebant, et ea dicebant, quæ si qui audivissent neque familiaritate neque benevolentia nobiscum conjuncti, fieri non potuisset quin existimassent et illos fucum mihi facere, et me errore mentis affici et fore stultum, si verbis eorum fidem habuissem. Quamquam autem sic affectus eram, per ea quæ dicere ausi sunt, sum persuasus — quid enim prolixa oratione opus est, — quæ restabant complere, quum quidem triennio tantum ab anno ætatis centesimo abessem, et sic afflicta valetudine, qua alius tantum abest ut orationem scribere instituisset, ut nec ab alio elaboratam et ostensam audire voluisset.

105. Cur vero hæc commemoro? Non utique ut orationi meæ veniam petam — nec enim sic disseruisse mihi videor — sed primum ut ostendam quid mihi usuvenerit, deinde ut eos auditores laudem

qui hanc orationem probant quique existimant, eas orationes quæ docent et artem monstrant, iis quæ vel ad ostentationem vel ad forensia certamina comparatæ sunt, præferendas et eruditiores judicandas esse, eas item quæ veritati studeant illis esse potiores quæ auditoribus fucum facere ac receptas opiniones extorquere conentur, pluris etiam eas fieri debere quæ delicta reprehendant atque admoneant quam quæ voluptati et auræ populari serviant; eos autem qui diversum ab his sentiunt monere volui, in primis ne suis sententiis plus æquo tribuant, neque vera eorum judicia esse putent qui sunt animis otiosis, secundo loco ne temere ac inconsiderate pronuntient de his quæ prorsus ignorant, sed tantisper exspectent ac differant dum illis assentiri queant qui de iis quæ ostenduntur orationibus peritissime judicant: nemo enim eos qui hac modestia fuerint ineptos et stolidos judicabit.

ISOCRATIS

CONTRA SOPHISTAS.

1. Si omnes isti qui docere instituunt vera dicere vellent, neque majora promitterent quam præstare solent, vulgo non male audirent. Nunc eorum audacia, qui se nimis inconsiderate jactant, factum est ut rectius sibi consulere videantur ii qui in otio degere malunt quam sapientiæ studiosi.

2. Quis enim non simul et oderit et contemnat primum eos qui in rixis versantur, qui quum veritatis indagationem præ se ferant, statim ab initio suarum pollicitationum mentiri non dubitent: omnibus enim perspicuum esse arbitror futurarum rerum prænotionem non esse nostri ingenii, sed humanæ prudentiæ captum usque adeo excedere, ut Homerus opinionem sapientiæ maximam consecutus etiam deos interdum de futuris deliberantes introduxerit, qui etsi animum eorum non perspectum habuit, nobis tamen ostendere voluit id ex eorum esse numero quæ vires humanas superarent.

3. Isti autem tanta sunt audacia, ut persuadere conentur adolescentibus eos, si ipsis magistris usi fuerint, et quid agendum sit scituros et per eam scientiam felicitatis fore compotes. Quum autem tantorum bonorum doctores et dominos se constituerint, ea trinis aut quaternis indicare minis non erubescunt. At si quid aliarum rerum longe infra justum pretium venderent, ne ipsi quidem se desipere negarent; nunc, quum virtutem et felicitatem universam tantillo æstimant, tanquam sapientes aliorum præceptores esse volunt. Et auro quidem et argento atque divitiis, quæ minuendi forma pecuniolam appellant, indigere se negant, quum appetitione parvi lucelli discipulis tantum non immortalitatem polliceantur. Jam, quod omnium maxime ridiculum est, iis diffidunt a quibus numeranda merces est, quibus se justitiam tradituros promittunt, quorum autem magistri nunquam fuerunt, eos pro discipulis spondere jubent; qua sane re non male sibi cavent, sed eadem pollicitationes suas evertunt. Nam qui aliquid aliud docent, eos quam accuratissime sibi providere decet ne in contractibus fraudentur — nihil enim prohibet quominus ii, qui alterius cujuspiam artis peritiam adepti sunt, pacta et conventa violent — : eos autem qui ex virtute et temperantia quæstum faciunt, quid absurdius quam non discipulis

potissimum fidem adhibere? nam si erga cæteros se bonos et æquos præbuerint, non utique illis injuriam facient, quorum opera tales evaserunt.

4. Quum igitur indoctorum quidam his omnibus consideratis animadvertunt eos qui sapientiam docent et felicitatem tradunt, ipsos angustia rei familiaris premi et a discipulis mercedulam exigere, et quas in verbis contradictiones observent, easdem in actionibus ipsis non perspicere, et in affectatione scientiæ futurorum, de iis quæ ante pedes sunt nihil opportuni vel dicere posse vel deliberare, sed eos magis inter se consentire et plura dextre perficere qui opinionibus ducuntur quam qui se scientiam habere gloriantur, jure opinor istos contemnunt, et nugas esse atque sordes non animi eruditionem existimant ejus generis disputationes.

5. Neque vero hi tantum accusandi sunt sed etiam civilis disciplinæ magistri: qui quum et ipsi veritatem secure negligant, hoc artis esse putant, si quamplurimos et exiguitate mercedis et magnificentia pollicitationum ad se pellexerint ut aliquid ab eis capere possint; qui adeo stupidi et ipsi sunt et alios esse censent, ut quum deteriores orationes scribant quam aliqui indocti ex tempore habeant, tamen se discipulos suos ita velle ad artem oratoriam acuere polliceantur ut nihil quod in rebus insit prætermissuri sint; nec in ea facultate vel usui rerum vel ingenio discipuli quicquam tribuunt, sed eloquentiæ præcepta perinde ut literarum scientiam se tradituros aiunt, quæ utriusque rei natura sit non considerantes, sed ob excellentiam promissionum tum se in admiratione futuros tum oratoriæ institutioni pretium accessurum esse existimantes; in quo certe fallantur, artibus enim auctoritatem conciliant non qui multa insolenter de eis jactare audent, sed qui id eruere ac proferre possunt, quod unaquaque contineat.

6. Ego vero tantum posse philosophiam, quantum isti jactant, magnis opibus anteferrem — fortassis enim neque nos postremi essemus neque fructus ex ea minimos caperemus —: sed quum non ita se res habeat, nugatores istos tandem conticescere vellm; non enim delinquentibus tantum male dici, sed et cæteros universos, qui in hoc studiorum genere versantur, peti video.

7. Et illis discipulos committi miror, qui non animadvertunt se ejus artis quæ et ordinata est et opere cernitur afferre exemplum. Quis enim istis exceptis ignorat, literas loco moveri non posse semperque easdem manere? unde iisdem in iisdem quidem verbis perpetuo utimur, quum eloquentiæ sit diversissima ratio: nam quod ab alio dictum est dicenti post illum non perinde expedit, sed is peritissimus artis esse creditur, qui pro dignitate rerum dixerit, eaque protulerit quæ ab aliis ante inventa non fuerint. Maximum autem hujus dissimilitudinis argumentum illud est, quod orationes præclaræ esse

non possunt, nisi temporum et decori et novi diligens habita ratio fuerit, literæ autem horum nihil desiderant. Qui igitur hujusmodi exemplis utuntur, eos multo æquius esset dependere quam accipere pecuniam, qui, quum ipsi doctoris opera in primis egerent, alios erudire aggrediantur.

8. Quod si non tantum alii accusandi sunt, sed mea quoque sententia explicanda est, omnes mihi assensuros arbitror multos artibus eruditos privatam vitam exegisse, alios nullo unquam præceptore usos et dicendi peritiam et reipubl. gerendæ scientiam esse assecutos. Nam tum eloquentiæ tum cæterarum rerum omnium facultates et a natura dantur hominibus ingeniosis et usu rerum atque exercitatione comparantur; institutio autem eosdem et acuit et ad vitam degendam reddit instructiores — nam ea in quæ hactenus velut errantes inciderant, quasi e penu confestim depromere illos docet —, at si qui sunt infirmioribus ingeniis præditi, hi quantumvis diligenti institutione nunquam eo pervenient ut vel dextre in rebus gerendis versentur vel elegantes orationes scribant, id quidem fortassis assequentur ut ipsi sese quodammodo vincant et multis in rebus prudentiores fiant.

9. Libet autem, postquam huc provectus sum, dilucidius hæc exponere. Dico igitur genera illa præceptionum, ad quarum normam orationes omnes et dicimus et componimus, si quis magistrum non facile pollicentem sed artis peritum invenerit, cognitu non esse perdifficilia: in singulis autem rebus, quæ prius discernendæ et inter se miscendæ et ordine disponendæ sunt, neque ab illis nec a decoro aberrare, sed et argumentis totam orationem decenter variare et verba ita collocare ut numerosa sint et musicum quendam concentum efficiant, hæc demum curam ingentem postulant et animum generosum atque sagacem requirunt; præterquam autem quod necesse est discipulum ab ingenio non destitui, etiam genera causarum nosse et in illarum usu exerceri necesse est, magistrum vero et explicare præcepta omnia quam accuratissime fieri potest oportet, ita ut nihil quod doceri possit prætermittat, et discipulis tale exemplum rerum cæterarum se præbere ut, qui id expresserint imitarique potuerint, statim ornantius et elegantius quam alii dicere videantur. Quæ omnia si conjuncta fuerint, tum demum studiosi perfectum aliquid habituri sunt: sin quicquam ex his quæ diximus desiderabitur, necesse erit ab ea parte discipulos minus paratos esse.

10. Equidem bene scio sophistas istos modo subortos et istam arrogantiam recens amplexos, etsi magna est eorum et multitudo et insolentia, omnes tamen ad hoc argumentum pertinere.

11. Restant ii qui, ante nostram ætatem artes quas vocant scribere ausi, non sine reprehensione dimittendi sunt: promiserunt enim se docturos quomodo in judicio contendendum sit, odiosissi-

mo vocabulo delecto; id quod invidos eorum potius quam hujus doctrinæ principes facere decuisset, præsertim quum ea quæ doctrina comprehendi possunt in illa re, nihilo plus ad forenses controversias quam ad cætera genèra orationum conferre queant. Tanto autem sunt deteriores iis qui in contentionibus volutantur, quod hi, quum tales oratiunculas recitent, quibus si quis in rebus gerendis insisteret statim in omnibus esset improbandus, tamen virtutem et temperantiam iis contineri profitentur: illi autem, quum ad gerendæ reipublicæ doctrinam percipiendam adhortentur, neglectis aliis quæ in ea re insunt commoditatibus, curiositatis et avaritiæ se doctores nominare non dubitant. Licet ii, qui doctrinæ istius præceptis obtemperarent, facilius fortassis ad æquitatem quam ad eloquentiam acuerentur. Neque me quisquam in ea opinione esse putet, quasi justitiam posse doceri sentiam: nullam enim prorsus talem artem esse puto, quæ ingeniis virtutem non appositis vel temperantiam vel justitiam inserat; sed tamen aptissimam esse puto eloquentiæ disciplinam ad cohortationem quandam et exercitationem virtutis.

12. Ne vero et aliorum pollicitationes diluere, et ipse rem supra modum exaggerare videar, desino, et hæc me aliis etiam facile probaturum confido, iis argumentis et rationibus quæ me in hanc sententiam adduxerunt.

ISOCRATIS

PLATAÍCUS.

1. Quum sciamus, Athenienses, vos et affectis injuria libenter opitulari solitos et pro acceptis beneficiis cumulate referre gratiam, venimus supplicaturi ne nos tempore pacis patrio solo a Thebanis pulsos negligatis. Etsi autem jam multi ad vestram fidem confugerunt et omnia quæ petierant adepti sunt, curam tamen urbis nostræ vobis in primis putamus suscipiendam: nec enim ullos, qui vel injustius quam nos tantis calamitatibus sint oppressi, vel qui vestram urbem diutius et fidelius coluerint, invenietis. Ea præterea petituri sumus, quæ ut periculi prorsus nihil habent, ita si a vobis impetraverimus, omnes vos sanctissimos et justissimos Græcorum judicabunt.

2. Quod si Thebanos omnino ita esse paratos non videremus ut vobis persuadere studerent se nulla nos affecisse injuria, nostram orationem paucioribus absolveremus: quum autem ea nostra sit infelicitas, ut non cum istis tantum nobis conflictandum sit, sed etiam cum eloquentissimis oratoribus, quos nostris bonis conciliatos suæ causæ patronos adhibuerunt, necessitas postulat ut rem prolixius explicemus.

3. Difficile quidem est non minora dicere quam perpessi sumus: nam quæ oratio nostris malis æquari queat? aut quis orator Thebanorum in nos crudelitatem satis acriter accuset? Opera tamen danda est ut sicut possumus istorum iniquitatem et violentiam patefaciamus. Illud autem maxime indignamur, quod non modo longe deteriore conditione sumus quam cæteri Græci, sed quod pace constituta fœderibusque sancitis non modo communis libertatis expertes sumus, verum ne moderatam quidem servitutem potuimus impetrare.

4. Oramus igitur, Athenienses, ut cum benevolentia nos audiatis, cogitantes nihil accidere nobis posse quod cum omni ratione tantopere pugnet, quam quum perpetuis urbis vestræ inimicis libertatem restitueritis, nos ne supplicantes quidem eadem quæ inimicissimis data sunt posse adipisci.

5. Ac expositioni rerum actarum longius immorari non video quorsum attineat: quis enim ignorat eos et agrum nostrum divi-

aisse et urbem evertisse? de iis autem vos prænonendos esse ducimus, per quæ se vobis fucum facturos putant.

6. Interdum enim dicere audent nos propterea sic tractatos esse, quod in eorum concilio esse noluerimus. Vos autem cogitate primum æquumne sit ob tanta scilicet crimina tam iniquas et acerbas exigere pœnas, deinde an vobis videatur Platæensium urbi vim potius fuisse afferendam quam persuadendum ut cum Thebanis se conjungeret. Equidem nihil istis esse audacius existimo, qui et nostras urbes evertant, et ad suæ reipublicæ communitatem adigant qua non opus est nobis. Præterea in nos aliter grassantur quam in alios. Quum enim persuadere nostræ urbi non possent, nos, quemadmodum Thespienses et Tanagræos, subigere duntaxat sub Thebanam jurisdictionem debuissent: sic enim intolerabilibus malis oppressi non essemus. Nunc non id eis fuisse propositum, sed agri nostri occupationem, satis apparet. Miror equidem ad quod vetus exemplum referentes aut qua juris regula utentes hæc dicturi sint se a nobis postulare. Nam si patrium morem considerant, non aliis imperare, sed Orchomeniis pendere tributum debent; ita enim se res olim habuit: sin fœdera esse rata volunt, sicut æquum est, negare qui poterunt se per injuriam ea violare? quæ parvas civitates non minus quam magnas suis uti legibus jubeant.

7. Arbitror autem eos non fore tam impudentes ut hæc negare audeant, sed illam causam arrepturos, nos Lacedæmoniis in bello fuisse conjunctos, se igitur nostro excidio societatis universæ commodis consuluisse.

8. Ego vero æquum esse censeo ne ullum crimen, ulla excusatio, plus valeat fœdere et jurejurando: verumtamen si qui ob Lacedæmoniorum societatem plectendi sunt, non æquum fuit Platæenses potissimum ex universis Græcis deligi; nec enim voluntate nostra illis sed coacti servivimus. Quis vero credat tanta nos fuisse amentia, ut eos qui urbem nostram everterant iis præferremus qui sua civitate nos donarant? Enimvero difficile erat novis rebus studere, quum et nos parvum oppidum haberemus et tanta esset illorum potentia, atque etiam harmostes cum præsidio intra portas esset et Thespiis tantus exercitus castra haberet, qui nos non tantum citius quam Thebani sed justius etiam perdidisset: hos enim non decuit pace constituta veteres offensas ulcisci, illi autem in bello desertî jure nos maximo supplicio affecissent. Jam nec illud ignorare vos arbitror, multos etiam ex aliis Græcis coactos esse corporibus illos sequi, animis et benevolentia vobiscum conjunctos. Quibus quid animi fore censendum est, quum audierint Thebanos Atheniensi populo persuasisse nemini esse parcendum qui subactus a Lacedæmoniis fuerit? Non enim alio quam huc istorum spectare videtur oratio: nec enim ob crimen aliquod peculiare nostram urbem ever-

terunt, sed idem hoc illis etiam objicere poterunt. Quare cogitandum est, et providendum ne istorum insolentia multos qui jam Lacedæmoniorum imperium oderunt reconciliet, atque efficiat ut suam salutem in illorum societate positam arbitrentur.

9. Recordamini porro vos proximum suscepisse bellum non propter vestram aut sociorum libertatem — omnes enim eam habebatis —, sed eorum causa quibus contra jusjurandum et fœdus libertas erepta erat. Acerbissimum igitur fuerit, si eas urbes, quas Lacedæmoniis servire iniquum putastis, nunc a Thebanis everti patiemini, qui vestram clementiam adeo non imitantur, ut, quod omnium miserrimum habetur, bello capi, illud ipsum ab hac urbe nos perpessos esse præstitisset quam istos vicinos habuisse: nam quorum vos urbes vi expugnastis, hi, mox præfecto Laconico et servitute a se repulsa, nunc concilii par jus et libertatem receperunt; qui autem prope istos habitant, hi partim nihilo minus quam ære empta mancipia serviunt, partim isti prius eos exagitare non desinent quam eodem modo quo nos tractarint. Ac Lacedæmonios quidem accusant ob Cadmeam occupatam et præsidia urbibus imposita, ipsi autem se nihil grave committere putant, qui non præsidia imponunt, sed aliorum mœnia subruunt, alios funditus perdunt, tantaque sunt impudentia [et improbitate], ut suæ salutis curam haberi ab omnibus sociis postulent, quum alios servitute opprimendi potestatem sibi arrogent. Quis igitur non oderit cupiditatem istorum, qui et dominari student imbecillioribus, et cum potentioribus æquum jus affectant? et vestræ quidem urbi agrum ab Oropiis datum invident, ipsi autem alienum vi partiuntur?

10. Neque hac improbitate contenti se propter communem sociorum utilitatem hæc egisse dictitant. Quum autem hic concilium sit et vestra urbs prudentius quam Thebana deliberare possit, eos non huc venire ad purganda sua facta, sed, priusquam hujusmodi quicquam agerent, ad vos consilii capiendi causa profectos esse decuisset. Nunc ubi nostras opes ipsi privatim diripuerunt, adveniunt crimen cum omnibus sociis communicaturi. Quod vos, si sapitis, non admittetis: longe enim honestius est eos ad vestram sanctitatem imitandam cogi, quam persuaderi vobis ut participes sitis injuriarum quas illi faciunt, qui nihil decernunt quod cum judiciis aliorum consentiat. Inter omnes enim constare arbitror prudentium hominum esse munus dare operam ut et in bello quovis modo sint hostibus superiores, et pace constituta nihil pluris faciant fœderibus et jurejurando. Isti autem tum in omnibus legationibus nihil nisi libertatem, nisi leges singulis usitatas jactabant: postquam vero impunitatem sibi faciendi quicquid libeat datam esse censent, neglectis cæteris omnibus privata compendia et violentiam suam defendere audent, ac dicere quod Thebani nostras fortunas occu-

parint, id vero esse e republica sociorum, suo malo ignorantes nihil unquam injusta lucra cuiquam profuisse, sed multos, qui aliena per injuriam appetiverunt, jure de suis in maxima pericula venisse.

11. Jam ne illud quidem dicere poterunt, se fidem constanter servare iis cum quibus se conjunxerint, metuendum autem esse ne recuperata patria nos ad Lacedæmonios deficiamus: nostrum enim oppidum bis expugnatum esse propter amicitiam vestram, istos sæpe hanc urbem injuriis affecisse, reperietis.

12. Ac veteres proditiones recensere, operosum fuerit: sed Corinthiaco bello propter istorum injurias conflato, quum Lacedæmonii contra eos exercitum duxissent, a vobis conservati, non modo gratiam non retulerunt, sed, quum bellum sedassetis, relictis vobis ad Lacedæmonios se contulerunt. Ac Chii quidem et Mitylenæi et Byzantii in fide manserunt, isti autem qui tantam urbem incolerent ne quiescere quidem ac neutrarum esse partium sunt ausi, sed ea timiditate et improbitate [et amentia] fuerunt, ut fide data affirmarint se illos contra vos qui urbem ipsorum servaveratis secuturos esse: propterea divinitus illis pœna hæc inflicta est, ut occupata Cadmea sint ad vos confugere coacti. Unde etiam perfidia eorum maxime perspecta est: nam denuo vestris auxiliis conservati et in patriam restituti ne minimum quidem tempus in fide manserunt, sed mox legatis Lacedæmonem missis ultro servituti se obtulerunt, parati servare omnia quæ pridem promisissent. Quid multis opus est? Nisi enim illi jussissent exsules recipi et facinorosos urbe pelli, nihil obstitisset quominus inita cum Lacedæmoniis a quibus hæsi erant societate vos optime de se meritos bello petiissent.

13. Qui igitur et nuper erga vestram urbem se tales præbuerunt, et olim totam Græciam prodiderunt, veniam tamen adeo voluntariis et tantis injuriis impetrarunt, hi nobis eorum quæ coacti fecimus nullam gratiam faciendam censent, sed, quum Thebani sint, Laconum studium aliis objicere non dubitant, quos omnes scimus diutissime Lacedæmoniis servisse et pro illorum imperio promptius quam de sua salute dimicasse. Cui enim impressioni hanc in regionem factæ non interfuerunt? Qui vobis perpetuo inimiciores et infestiores quam isti fuerunt? Nonne in Decelico bello vos gravius afflixerunt quam ii qui vestros fines populabantur? Nonne quum cladem accepissetis, soli e sociis decreverunt vestram urbem et everlendam esse et agrum in ovium pascua convertendum, quemadmodum Crisæum campum? Itaque si Lacedæmonii Thebanis succultassent, nihil obstitisset quominus vos, qui Græcos omnes conservastis, ipsi a Græcis patria et libertate spoliaremini et in maximas calamitates incideretis. Quod vero tantum beneficium com-

memorabunt, aut quod satis grave supplicium luent ad exstinguendas vestras inimicitias, quas his de causis jure subiissent?

14. Nulla igitur istis post tanta delicta excusatio superest, at patronis eorum hoc unum relinquitur, ut dicant Bœotiam nunc propugnare pro vestra regione, si vero vos ab eorum amicitia removeritis, id sociis male cessurum esse: magnum enim in hoc momentum fore, si istorum urbs cum Lacedæmoniis se conjunxerit.

15. Ego vero nec e re sociorum esse puto ut imbecilliores potentioribus serviant — etenim superiori tempore propter hanc rem bella gessimus —, nec Thebanos in eum furorem deventuros ut [vestra] societate repudiata Lacedæmoniorum potestati suam urbem permittant, non quod eorum ingeniis fidendum putem, sed quia scio ipsos intelligere, alterutrum necessario futurum, vel ut in urbe manentes occidantur et quæ perpetravere simili pœna luant, vel ut in exsilium euntes egeant spe prorsus omni destituti. Num enim cum civibus eis bene convenit, quorum alios interfecerunt alios urbe ejecerunt direpta eorum re familiari, aut cum aliis Bœotiis, quibus non modo per injuriam imperare conantur, sed et quorundam mœnia subruerunt quorundam agros rapuerunt? Neque etiam ad vestram civitatem quasi postliminio redire poterunt, toties a se tam aperte proditam et desertam; quare fieri non potest ut pro alieno oppido vestras suscipiant inimicitias, quo suam urbem adeo temere ac indubitanter amittant, sed et in omnibus actionibus multo moderatiores erunt, et vos tanto magis observabunt, quanto magis sibimetipsis timuerint. Quibus autem ingeniis et quomodo tractandi sint, actis Oropiis ostenderunt: nam dum potestatem sibi datam esse putarunt faciendi quod libuisset, vobiscum non ut cum sociis egerunt, sed ut infestissimis hostibus insultarunt: quum autem ob ea delicta fœderibus eos decreto facto excluderetis, abjecta superbia et ferocia ad vos humiliore gestu magisque supplices venerunt, quam nos hoc tempore. Quare si qui oratorum vos perterrefacere conabuntur, periculum esse [dicentes] ne mutata sententia cum hostibus se conjungant, nihil ea re moveri debebitis: ea enim necessitate premuntur, ut multo libentius vestrum imperium quam societatem Lacedæmoniorum sint subituri.

16. Ut autem contraria omnia facturos concedamus, tamen ne sic quidem decere arbitror majori curæ vobis esse urbem Thebanorum quam fœdus et jusjurandum; cogitandum enim primum vestri moris esse ut non pericula sed probra et dedecus metuatis, deinde usuvenire ut in bello superiores sint non qui civitates vi evertunt, sed qui sanctius et clementius Græciam administrant.

17. Et hæc plurimis exemplis demonstrari queunt: sed quis est qui vel ea quæ nostris accidere temporibus ignoret? nonne Lacedæmonii vestram potentiam quæ insuperabilis videbatur represse-

sunt, quamvis initio non optime ad navale bellum instructi, sed tantum opinione hac Græcis ad se pellectis? vicissim et vos imperium eis eripuistis, quamvis urbem non munitam et parum firmam haberetis, justitiæ societate et præsidio freti? Atque illa regi Persarum non esse adscribenda, his postremis temporibus est manifeste declaratum: nam quum ipse rex extra rem omnino esset, vos omni spe destituti, omnibus pene civitatibus Laconum servitute oppressis, bello tamen eis tanto superiores fuistis ut pacem cupidissime sint amplexi.

18. Nemo igitur vestrum cohorrescat, si pericula propter justitiam adeunda fuerint, neque sibi socios defore putet, si opitulari volueritis injuria oneratis et non solis Thebanis: contra quos si nunc sententiam tuleritis, ut ad vestram amicitiam multi se conferre velint efficietis. Ubi enim vos paratos esse bella æque contra omnes pro defensione fœderum suscipere ostenderitis, quinam tam erunt amentes ut cum oppressoribus Græciæ se conjungere malint quam vobiscum libertatis ipsorum defensoribus? sin aliter animati estis, quibus verbis Græcos allicietis, bello iterum ingruente, si libertatem prætendentes Thebanorum libidini quaslibet civitates vastandas permiseritis? Quo pacto levitatis et inconstantiæ crimen effugietis, si Thebanos jusjurandum et fœdera violare sinetis, pro quibus ipsis sanciendis vos Lacedæmoniis inferre bellum profiteamini? Quum ipsi vestris possessionibus cedere volueritis, ut societatem quam maximam redderetis, istosne aliena tenere et ea facere sinetis propter quæ universi pejus de vobis existimabunt? Illud autem omnium scelestissimum, si vobis deliberatum erit istis opem ferre qui continenter a Lacedæmoniis steterunt, si quid eis fœderi contrarium illi imperarint, nos vero, qui longissimo tempore vestram sectam constanter secuti sumus, in extremo duntaxat bello parere Lacedæmoniis coacti, propter hanc causam mortalium omnium miserrimos esse patiemini.

19. Quos enim nobis miseriores quisquam inveniat? qui et urbe et agro et opibus uno die spoliati, rebus omnibus necessariis æque omnes destituti, errones et mendici facti sumus, ignari quo nos convertamus [pulsi enim patria, desperabundi et errantes Græciam circuimus] et omnibus habitationibus anxii: sive enim calamitosos aliquos invenerimus, dolemus, qui præter mala domestica etiam alienorum fieri participes cogamur; sive ad felices perventum est, dolor noster recrudescit, non quod illorum opibus invideamus, sed quia in aliorum rebus secundis nostras miserias quantæ sint perspicimus, quæ nos nullam diem sine lacrymis exigere sinunt; nam et patriam lugere et hanc mutationem lamentari nullo tempore desistimus. Quid enim nobis animi esse censetis, quum videmus parentes nostros senio confectos longe aliter quam pro dignitate tra-

ctari? neque liberos nostros ea spe qua eos suscepimus educari, sed multos ob parvas quasdam ratiunculas servire? alios ire mercede locatum suam operam, alios ut quisque potest victum quæritare, aliter quam et gloria majorum et sua ætas et nostrorum animorum magnitudo postulabat? Illud autem omnem doloris acerbitatem vincit, si quis videat a se invicem divelli non cives tantum a civibus, sed et uxores a maritis et filias a matribus, et totam cognationem dissipari, quod nostrorum civium multis ob egestatem usuvenit: victus enim communis amissus effecit ut spe privata singuli nitantur. Ac vos ne cætera quidem probra ignorare arbitror quæ paupertas et exsilium afferunt, quæ nos, etsi molestius animo quam cætera mala ferimus, tamen silentio prætermimus, non nimis accurate in calamitates nostras inquirendum esse rati.

20. Oramus autem ut ipsi vos illa considerantes aliquam nostri curam suscipiatis. Nec enim vobis alieni sumus, sed cum benevolentia universi vobiscum conjuncti, tum cognatione maxima nostrum pars; nam propter concessum affinitatis jus e vestrorum civium filiabus plerique nati sumus: quare vobis non licet ea negligere quæ petituri venimus. Quid enim fieret inconvenientius, quam vos, quum olim vestræ patriæ jus nobis dederitis, nunc nostram urbem restituendam non censere? Deinde nec illud consentaneum est, quum singulorum, quos vel fortunæ temeritas afflixit vel hominum injuriæ, misereamini; totam urbem, sic contra omnem æquitatem eversam, nihil omnino misericordiæ posse a vobis impetrare, quum præsertim ad vestram fidem confugerit, et vobis antehac semper gloriosum et honorificum fuerit supplicum esse misertos.

21. Nam majores vestri Argivorum precibus, qui supplices petierant ut sub Cadmea interfectos tollerent, adducti, Thebanos æquiora sequi consilia quum coegissent, non ipsi solum illis temporibus claruerunt, sed urbi etiam vestræ immortalem gloriam in omne deinceps ævum reliquerunt, quæ vobis nunc temere amittenda non est. Etenim turpe sit, facta majorum sibi laudi ducentes, interim secus de supplicibus statuere.

22. Præsertim quum nos propter res multo majores et æquiores vobis supplicemus: nam illi, quum prius alienam ditionem oppugnassent, vos rogarunt, nos, patria nostra amissa; illi vos ad mortuorum sepulturam vocabant, nos ad reliquiarum conservationem. Neque vero par ac simile est sepultura prohiberi mortuos et viventes patria fortunisque omnibus spoliari, ac illud quidem iis qui prohibent contumeliosius est quam iis qui prohibentur, sed sine ullo receptu carentem patria singulis diebus affligi et suis opem adeo ferre non posse, ut cura de eis abjicienda sit, quorsum dicere attinet quanto sit aliis calamitatibus acerbius?

23. Quapropter vobis universis supplicamus ut nobis nostrum

agrum et urbem restituatis, ac seniores commonefacimus ut cogitent quam miserabile sit hac ætate calamitosum conspici et quotidiani victus penuria laborantem, adolescentes oramus et obtestamur ut æquales suos juvent ne, quum plura mala quam diximus tulerint, plura tolerare cogantur. Debetis autem nobis solis Græcorum hanc veluti stipem, ut profligatis opitulemini. Nam et majores nostros aiunt, quum vestri patres bello Persico hac terra excessissent, solos ex his qui extra Peloponnesum habitant, societate periculorum adita, conservandæ civitatis adjutores fuisse: itaque jure nobis idem beneficium reddetis, quod priores in vos contulimus.

24. Quod si vobis decretum esset personas nostras omnino negligere, tamen a vestra virtute alienum fuerit committere ut ea regio vasta et inculta jaceret, in qua clarissima vestræ virtutis ac cæterorum qui illi prælio interfuere monumenta sint relicta: nam reliqua trophæa ab alia civitate contra aliam sunt erecta, illa pro tota Græcia contra totius Asiæ potentiam sunt constituta. Quæ quidem Thebani jure aboleverint — iis enim illorum operum memoria contumeliosa est —, vobis autem conservanda sunt, quod illa facinora vos Græciæ duces effecerunt. Neque vero heroum qui locum illum tenent obliviscendum est, cavendumque ne illorum honores intercidant, quibus vos quum litassetis id periculum subiistis, quo et istos et alios Græcos omnes in libertatem vindicastis. Est etiam majorum quædam habenda ratio, neque pietatis in illos officia sunt prorsus negligenda, qui quibus animis essent, si modo defuncti aliquid rerum nostrarum intelligunt, si animadverterent vobis rerum potientibus eos qui barbaris servire voluerunt aliorum dominos esse factos, nos vero, qui in prælio pro tuenda libertate gesto strenuam operam navavimus, solos e Græcis omnibus esse profligatos, fortiumque virorum monumentis justa non persolvi propterea quod nulli adsint qui id faciant, sed Thebani qui contraria fecerunt eam regionem teneant: illud etiam recordamini Lacedæmonios a vobis acerrime ob hoc fuisse accusatos, quod Thebanis, Græcorum proditoribus, gratificantes, nos benemeritos perdidissent. Ne igitur admittatis ut hæc convitia in vestram urbem retorqueantur, neque istorum libidinem existimationi vestræ præferatis.

25. Etsi autem multa dici possent, quibus ad curam nostræ salutis excitemini, tamen non possum [brevi oratione] complecti omnia; quamobrem vos decet tum prætermissa perspicere, tum vero jurisjurandi et fœderum, itemque nostræ benevolentiæ et inimicitiarum quæ vobis cum istis sunt, recordatos, ita statuere de nobis ut jus et æquum postulabit.

ISOCRATIS

DE PERMUTATIONE.

1. Si hæc quæ jam legetur oratio similis esset iis quæ vel ad forenses controversias vel ad ostentationem fiunt, nihil opus fuisset de ea præfari: nunc propter novitatem et discrimen necesse est causas prius exponere, cur eam aliis ita dissimilem scribere instituerim: his enim non indicatis multis absurda fortasse videretur.

2. Ego, quum scirem quosdam sophistas mea studia calumniari, ac dicere me forenses orationes scribere solere — in quo perinde faciunt ac si quis Phidiam, qui Minervæ simulacrum fecit, puparum fictorem appellare auderet, aut Zeuxidis et Parrhasii eandem esse artem diceret, quæ illorum est qui tabellas pingunt —, nunquam tamen illam mei extenuationem ultus sum, quod existimabam tum nugas illorum nullam vim habere, tum constare inter omnes me et scribere et dicere instituisse non de privatis contractibus, sed de talibus et tantis rebus, ut de iisdem nemo alius quicquam conetur, præter eos qui vel me doctore usi sunt vel hos imitari voluerunt. Longo igitur tempore ætatis meæ putabam tum ob institutum hoc tum ob perpetuum quietis studium omnes indoctos et plebeios homines æquos et benevolos me habere: nunc, quum vitæ finis prope mihi instat, facultatum permutatione ob triremium instruendarum munus facta eaque de re judicio conflato, etiam illorum quosdam non sic erga me affectos esse animadverti ut speraveram, sed alios de vitæ meæ ratione falsissima persuasione imbutos eo inclinare ut iis auscultent qui absurdi aliquid de me dicunt, alios, quum satis sciant quibus in rebus verser, invidere mihi non minus quam sophistas et delectari iis qui falsam de me habent opinionem. Atque hanc mentem suam esse declararunt: nam quum adversarius de ipsa causa nihil æqui diceret nec meam defensionem refutaret, sed et eloquentiæ meæ vim calumniaretur, et in multitudinem discipulorum et opulentiam insolenter inveheretur, munus illud mihi obeundum esse judicarunt. Ac sumptus quidem ita tulimus, ut eos decet qui neque rebus hujusmodi nimis percelluntur neque pecunias negligenter ac temere abjiciendas censent.

3. Quum vero, ut dixi, plures esse sensissem qui prave de me judicarent, cogitabam qua ratione et illis et posteris ostenderem tum qui mei mores essent tum qualem vitam degerem tum in quo do-

otrinæ genere versarer, ne sic velut indicta causa me damnari talium criminum sinerem, nec (ut modo factum) in maledicorum potestate essem. Quæ quum animo agitarem, me non alia ratione facilius id assecuturum animadverti, quam si oratio tanquam imago animi et totius vitæ meæ scriberetur: per eam enim spes erat meas rationes maxime cognitum iri, et eam ipsam longe pulcrius monumentum mei relictum iri quam ærea donaria.

4. Ac si me quidem laudare vellem, sentiebam nec omnia me complecti posse quæ decrevissem, nec cum gratia de iis et sine invidia posse dicere: si autem me in judicium esse vocatum et in discrimen adductum ponerem, et qui mihi dicam impegisset ac negotium facesseret esse calumniatorem, qui quidem iis criminationibus uteretur quas in judicio permutationis attulisset, me autem verba facere per speciem defensionis, sic mihi demum præclaram occasionem datum iri de rebus omnibus arbitratu meo disserendi.

5. Hæc igitur animo agitans hanc orationem scripsi, non florente ætate, sed natus annos duos et octoginta. Quapropter venia danda erit, si prius a me editis mollior esse videbitur. Nec enim facilis fuit neque simplex, sed multum laboris variamque tractationem postulavit. Nam quæ hic scripta sunt partim in judiciis dici commode queunt, partim ad talia certamina non quadrant, sed de philosophia libere dicta vim ejus ostendunt: est etiam tale aliquid, quod adolescentibus disciplinarum et eruditionis cupidis audivisse conducat, multa quoque olim a me scripta inserta sunt his quæ nunc dicuntur non temere nec intempestive, sed instituto meo convenienter. Tantam igitur orationis prolixitatem contueri, et tot formas adeoque inter se distantes conjungere et contrabere, et sequentes antegressis adaptare, atque efficere ut inter se universæ consentirent, non parvi omnino laboris fuit. Tamen non destiti, et si adeo natu grandis, priusquam eam absolvissem, verissimam illam omnino quidem, sed cætera talem qualis videbitur audientibus.

6. Oportebit autem etiam illos qui eam legent aut recitabunt, primum quasi mixta sit oratio et ad hæc argumenta omnia accommodata sic auscultare, deinde studiosius advertere quid dicendum restet quam quid ante sit dictum, præterea non id agere ut primo impetu totam perlegant, sed tantam ejus partem quæ auditoribus molestiam non pariat. Nam his observatis, rectius perspicietis an aliquid dixerimus nostra existimatione dignum.

7. Et hactenus quidem præfandum fuit: nunc autem defensionem legite, quæ quidem fingitur de judicio esse scripta, sed id propositum habet ut et veritatem de me ostendat et ignorantes doceat, et id efficiat ut qui nobis invident magis etiam eo morbo crucientur: gravius enim eis supplicium irrogare non possum.

8. Eos ego improbissimos omnium et maxima pœna dignos esse

puto, qui de iis rebus alios accusare audent, quibus ipsi constricti tenentur; quod Lysimachus fecit. Qui, quum ipse de scripto dicat, de meis scriptis plura verba fecit quam aliis de rebus omnibus, quod perinde est ac si quis alium sacrilegii reum ageret, qui donaria deorum ipse in manibus haberet. Vehementer autem vellem me ab eo tam eloquentem judicari, quam apud vos dixit: nunquam enim negotium mihi facessere instituisset. Nunc me, quem causam inferiorem dicendo posse facere superiorem ait, usque adeo contemnit, ut ipse speret se mentientem vera dicente me facile fore superiorem. Tantis equidem ab omni parte difficultatibus conflictor, ut, quum alii calumnias orationibus refutent, meas Lysimachus orationes maxime traduxerit, ut, si quidem satisfecisse causæ videar, in me hærere appareat eloquentiæ crimen ab eo mihi allatum, sin tenuius quam pro ea exspectatione quam apud vos de me concitavit disseruero, me causam deteriorem habere putetis. Vos igitur oro ut verbis adversarii fidem nec habeatis nec abrogetis, antequam defensionem quoque nostram totam audiveritis, cogitantes supervacaneum fuisse reis pro se dicendi potestatem dari, si ex accusatoris oratione recte ferri sententia potuisset. Nunc, utrum bene an vero male causam peroraverit, nemo qui adest ignorat: an autem vera dixerit, judicibus ex oratione prioris intelligere non ita promptum est, sed boni consulendum si ex utriusque verbis veritatem elicere possint.

9. Neque véro eos ego miror qui plus temporis consumunt in accusandis impostoribus quam in semetipsis defendendis, neque illos etiam qui dicunt summum malum esse calumniam: quid enim ea fieri possit maleficentius? quæ facit ut de mentientibus bene existimetur, ut plane innocentes injurii esse videantur, ut judices pejerent, quæ denique veritatis lucem exstinguit, et caligine mendaciorum auditoribus involutis quemvis civium per injuriam interficit? Quare providendum vobis est ne tale quid usuveniat, aut ipsi ea committatis quæ ab aliis facta reprehenderitis. Arbitror autem vos non ignorare nostram urbem sæpe pœnituisse judiciorum quæ per iracundiam potius quam re examinata facta fuerunt, adeo ut paulo post et impostores punire desiderarit, et calumniis oppressos rebus uti secundioribus quam prius optarit.

10. Hæc igitur tenenda sunt, ne verbis accusatorum temere credatis, neque cum tumultu et sævitia reorum excusationibus adversemini. Neque enim decet ut qui aliis in rebus clementiæ nomine præ Græcis omnibus prædicamini, in his judiciis ea videamini facere quæ isti sint opinioni contraria; et, quum alibi moris sit calculorum partem in judiciis capitalibus reis addi, apud vos eos qui in periculum adducti sunt deteriore etiam esse conditione quam calumniatores; et, quum quotannis juretis vos eadem æquitate audituros tam reos quam accusatores, tam longe ab æquabilitate illa recedere,

ut quicquid delatores crimini dederint approbetis, qui vero se tueri conantur, eorum aliquando ne vocem quidem toleretis; et, quum in iis urbibus habitandum esse non putetis in quibus indicta causa civium aliqui perimantur, istuc ipsum ab iis fieri ignoretis qui non eandem reis benevolentiam præstant. Jam illud omnium iniquissimum est, si quis ipse in judicium adductus fuerit, eum calumniatores accusandos esse censere, quum vero alteri jus dicit, in eadem sententia non permanere. Enimvero sapientis est judicis talem erga alios se præbere, quales in se alios esse vellet, quum præsertim in tanta sycophantarum audacia metuendum sit omnibus, ne in idem periculum vocati eadem, quæ ego nunc apud eos qui suffragia de me laturi sunt, dicere cogantur.

11. Nec enim vitæ moderatione atque innocentia sua quisquam ita fretus esse debet, ut sibi persuadeat se propterea sine ullius incommodi metu vitam in urbe acturum: quibus enim et sua negligere et alienis insidiari deliberatum est, non illi quidem civibus modestis parcunt, facinorosos autem ad vos adducunt; sed experti vires suas in innocentibus, ab iis quorum scelera palam sunt plus argenti extorquent.

12. Quo eodem animo Lysimachus mihi etiam periculum creavit, quum existimaret hoc contra me judicium ab aliis sibi vectigal pariturum, et, si me vicisset eloquentia, quem aliorum magistrum vocat, neminem fore persuasum haberet, qui vim ipsius sustineri posse confideret. Idque se facile confecturum sperat, qui et vos præpropere nimium criminationes atque calumnias approbare videat, et me non ita ut existimatio mea postulet easdem posse refutare tum ob senectutem tum propter imperitiam istiusmodi actionum. Sic enim vixi hactenus, ut nemo unquam vel in oligarchia vel in democratia me ullius vel contumeliæ vel injuriæ accusarit, neque arbiter neque judex fuerit qui de meis actionibus unquam quicquam pronuntiarit: nam hæ meæ artes fuerunt ut ne quid ipse erga quenquam delinquerem, mihi vero si qua facta esset injuria, ut non judicio me de inimicis vindicarem, sed controversias eorum amicis dirimendas permitterem. Quorum nihil mihi profuit, sed quum vitam ad hanc usque ætatem sine ullius querela produxerim, in eodem periculo versor ac si omnes offendissem. Non tamen prorsus abjeci animum ob multæ magnitudinem, sed, si cum benevolentia me audire volueritis, magnam spem habeo, si qui de meæ vitæ ratione falso existimant et assentiuntur illis qui me convitiis deturbare student, fore ut quamprimum de ea opinione deducantur; qui vero me qualis sum, talem etiam esse putant, in ea sententia confirmentur. Ne vero vobis molestiæ sim dum multa ante rem dico, his omissis, ea vos jam docere conabor de quibus suffragia inituri estis. Proinde accusationem mihi lege.

ACCUSATIO.

13. Adversarius igitur accusatione ista me in odium conatur adducere, quod corrumpam adolescentes præceptis eloquentiæ tradendis, quibus instructi contra jus et æquum victoriam in judiciis adipiscantur; cæteris autem verbis suis tantum me facit, quantus nemo unquam fuit neque causidicus in judicum subselliis versatissimus neque in otio philosophiæ studiis deditissimus: nec enim privatos duntaxat homines mihi fuisse discipulos ait, sed et oratores et duces et reges et tyrannos, a quibus magnam pecuniæ vim partim acceperim partim nunc etiam accipiam. Hac autem de causa hoc modo actionem instituit, quod existimaret ista de me atque opibus et multitudine discipulorum jactitando se mihi apud omnes auditores invidiam conflaturum, judiciorum autem tractatione interserenda vestram iracundiam et odium contra me concitaturum: quibus affectibus judices perturbati reis iniquissimi fiunt.

14. Sed ego eum quædam immodice exaggerasse, quædam prorsus ementitum esse, facile me probaturum confido. Peto autem a vobis, ne verbis maledicorum et calumniatorum quæ de me prius audivistis auscultetis, neve ea credatis quæ sine ulla probatione, sine judicio, dicta fuerint, aut iis opinionibus in quas illi vos per injuriam adduxerunt insistatis, sed qualis esse vobis ex hac accusatione et defensione visus fuero, ita de me statuatis: nam hoc pacto decernentes, et ipsi recte ac secundum leges judicabitis, et jus ego meum adipiscar.

15. Neminem igitur vel eloquentia vel scriptis meis esse læsum, hoc discrimen maximo esse testimonio crediderim. Nam si quem offendissem, is, etsi tempore superiore quievisset, hac certe occasione arrepta me vel accusaret vel testimonio oppugnaret. Quum enim iste nullo unquam verbo a me læsus in tantum me periculum adduxerit, quanto magis illi quibus malefecissem a me pœnas expetere conarentur. Nam illud quidem neque consentaneum est nec omnino fieri potest, ut ego multos offenderim, illi vero qui in calamitates per me conjecti sunt quiescant nec accusare ausint, et in periculis meis majore erga me mansuetudine utantur quam isti quibus nulla est a me orta injuria, quum eis liceret conquestione incommodorum suorum summum mihi supplicium irrogare. At neque prius neque nunc quicquam tale mihi quenquam objecisse constat. Quare, si accusatori concederem et ultro largirer me omnium hominum esse eloquentissimum, et orationum quæ vobis molestæ essent talem scriptorem qualis nemo alius exstitisset, humanitatis potius laudem quam pœnam merear: nam excellere aliis vel eloquentia vel rebus gerendis fortunæ merito tribuetur, verum ingenio bene et moderate esse usum probitatis meæ propria laus fuerit.

16. Etsi autem hæc de me ipso dicere possum, tamen ne sic quidem eas orationes mihi studio fuisse apparebit. Idque ex quotidianæ vitæ meæ consuetudine potissimum cognoscetis, quæ veritatem longe certius indicat quam verba calumniatorum. Arbitror enim hoc ignorare neminem omnes homines in eo loco versari solere, unde victum parare decreverunt. Qui igitur e contractibus qui in vestrum judicium afferuntur atque ex istiusmodi occupationibus victitant, eos in foro tantum non habitare videatis, me vero nemo unquam nec in conciliabulis nec in judiciis nec in prætoriis nec apud arbitros vidit, quæ ego ita omnia fugio ut nullus civium aliorum. Deinde illos apud vos solos rem posse facere, si quo autem alio navigarint, nec unde famem depellant habere; mihi autem eas copias, quas iste tam magnidicis verbis effert, ab externis omnes contigisse reperietis: præterea istis sese adjungere illos qui vel ipsi in malis sunt vel aliis negotium exhibere volunt, mihi vero Græcorum omnium otiosissimos. Audistis et accusatorem inter alia dicere me a Nicocle Salaminiorum rege multa et magna munera accepisse. Atqui quis vestrum est qui credat, illa mihi propterea dedisse Nicoclem, ut causas agere disceret, qui controversias aliorum tanquam dominus disceptabat? Ex ipsius igitur adversarii verbis facile intelligitur, me a rebus illis alienissimum esse quæ ad forensia negotia pertinent. Jam illud etiam notum est omnibus, plurimos esse qui litigantibus in judiciis orationes parent. Quorum neminem, quum tanta turba sit, dignum esse habitum constat cujus fidei discipuli mandarentur; ego vero, ut accusator ait, plures habui, quam omnes alii qui in studio literarum versantur. Enimvero quis credat eos, quorum studia tantum distant [et inter sese differunt], in iisdem versari actionibus?

17. Etsi autem multa discrimina tum meæ vitæ tum dicarum possem ostendere, eo modo tamen potissimum vos ab ista opinione deduci posse censeo, si quis vobis ostenderit mihi nullos earum rerum discipulos fuisse de quibus accusator dixit, neque mé forensium orationum egregium esse artificem. Arbitror enim vos, refutato crimine quod in me conjectum fuit, priore opinione ultro repudiata cupide audituros quo genere orationum tractando tantam mihi gloriam compararim. Ac veritatem quidem dicere an mihi profuturum sit, nescio; difficile enim est vestram intelligere sententiam, sed tamen apud vos libere loquendum. Nam vel discipulorum puderet, quum sæpe dixerim me optare civibus omnibus et vitæ meæ rationem et genus orationum quod tractem esse notum, si nunc eas vobis non ostenderem, sed occultarem. Tanquam igitur veritatem audituri, sic animadvertite.

18. Ac illud in primis intelligendum est, genera doctrinarum non esse pauciora quam poematum quæ certis dimensionibus constant.

Nam alii familiis semideorum inquirendis ætatem contriverant, alii de poetis aliquid meditati sunt, alii res in bellis gestas congerere voluerunt, alii in responsionibus et interrogationibus sunt versati, quos a contradicendi studio Antilogicos appellant. Sed immensi negotii fuerit omnes orationum formas enumerare: ejus igitur quæ mea interest mentione facta, cæteras omittam. Sunt enim qui nec ea quæ diximus ignorent, sed orationes eas scribendas susceperint, quæ non de privatis negotiis agunt, sed de statu Græciæ et rerumpublicarum, et quæ in maximis celebritatibus recitentur; quas nemo est quin carminibus, quæ musica ratione ac numeris constant, quam forensi dictioni similiores esse fateatur. Nam et sermonis genus habent magis poeticum et majorem rerum varietatem continent, et argumenta elatiora magisque nova consectantur, atque etiam tota oratio aliis figuris illustrioribus et pluribus adornatur. Quæ qui audiunt non minore voluptate afficiuntur quam si recitationi poematis interessent, ac multi exsistunt qui eadem discere cupiant, existimantes qui in hoc genere excellant, eos multo sapientiores et meliores esse ac plus prodesse posse quam probatos etiam causidicos. Quippe qui sciant hos cupiditate facessendi aliis negotia litigandi peritiam sibi peperisse, illos ex earum orationum quas modo dicebam studio facultatem eam consecutos; eos qui litium jura perdidicerunt eo die duntaxat ferri posse quo causas agunt, hos in omnibus congressibus et omnibus temporibus in pretio haberi et bonos viros perhiberi: præterea illos, si semel atque iterum in judiciis conspiciantur, in odium et reprehensionem incurrere; hos, quo sæpius et cum pluribus congressi fuerint, eo majore in admiratione esse: ad hæc causidicos illam orationis excellentiam minime posse assequi, hos, si vellent, forenses etiam orationes facile habituros. Hæc illi reputantes et hanc studiorum sectam longe præstantiorem rati, ejus eruditionis participes fieri volunt; id quod mihi quoque non detrectatum fuit, sed magnam et gratiam peperit et celebritatem.

19. De mea igitur seu facultatem dicere vultis seu philosophiam seu exercitationem, simplicem veritatem audivistis. De me ipso autem legem feram etiam graviorem quam de aliis, et aliquid audacius quam pro ætate mea dicam. Peto enim non modo, si noxiis orationibus operam do, ne mihi quicquam veniæ detis sed, nisi in talibus elaboro in qualibus nemo alius, ut maximis suppliciis me afficiatis. Neque vero tam confidenter hæc jactarem, nisi vobis eas etiam ostensurus essem, ut quid intersit facile perspiciatis.

20. Sic enim se res habet. Ego pulcherrimam et justissimam defensionem eam esse duco, quæ quam fieri potest certissime judicibus demonstrat eas res, quibus de rebus suffragia sunt ferenda, ut ne in errorem inducantur aut dubitent utri vera dicant. Quod

si mihi lis intenderetur rei cujuspiam male gestæ, in conspectum ego vestrum eam afferre non possem, sed vobis necesse esset ex oratione rei naturam conjecturis utcunque indagatam dijudicare: quum autem orationes meæ culpentur, puto me veritatem vobis dilucidius expositurum. Ipsas enim vobis ostendam tum dictas a me tum scriptas, ut non ex opinione sed ex certa cognitione de eis judicetis. Ac omnes quidem integras recitare non possum; tempus enim nobis datum exiguum est: sed tanquam frugum, sic cujusque specimen quoddam proferre conabor. Parva enim parte audita facile tum mores meos perspicietis tum vim orationum omnium cognoscetis. Rogo autem, si qui ea quæ jam recitanda sunt sæpe legerunt, ne a me in præsentia novum aliquid requirant, neque me importunum propterea existiment, quod eas proferam quibus vestres aures jam olim personuerunt. Nam si eas ostentationis causa recitarem, jure hoc nomine reprehenderer: nunc in judicium et discrimen vocatus ad hunc modum eis uti cogor. Quid enim magis a me ridiculum fieri possit quam si, quum accusator criminatus sit me orationes scribere quæ et reipublicæ noceant et adolescentes corrumpant, alio modo me defenderem, quum iis ipsis prolatis liceat omnem calumniam refutare? Peto igitur ut propter hæc veniam mihi detis et adjutores sitis. Orationes autem absolvere aggrediar, paululum adhuc præfatus, ut ea quæ dicentur, facilius assequamini.

21. Nam quæ prima vobis ostendetur iis est scripta temporibus, quum Lacedæmonii Græcis imperarent, nostræ vero opes tenues essent. Hortatur autem Græcos ad expeditionem contra barbaros suscipiendam, et cum Lacedæmoniis de principatu contendit. Hoc argumento ad tractandum suscepto, quicquid Græcia bonorum habeat, id nostræ urbi acceptum esse referendum ostendo. Quo autem evidentius principatum nostræ urbis esse demonstrarem, disputatione de illis beneficiis seorsim instituta, ad hunc fere modum sum exorsus, reipublicæ nostræ propter bellica pericula plus etiam honoris quam ob cætera merita deberi. Equidem putavi meipsum ista recitaturum: sed me senectus impedit animumque despondere cogit. Ne igitur prorsus deficiam, quum mihi multa dicenda restent, facto a nota initio ea lege quæ de ipso principatu scripta sunt.

E PANEGYRICO.

Arbitror autem majores nostros non minus ob pericula quam propter alia beneficia esse honorandos.

* * * * * * * * *

et qui tum pro salute omnium in prima acie stetimus, nunc alios sequi cogamur?

22. Ac principatum quidem merito nostræ esse civitatis facile ex iis quæ diximus cognoscetur. Cogitate igitur cum animis vestris, corrumperene adolescentes videar, an vero ad virtutem et subeunda

pericula pro republ. potius adhortari, æquiusne sit ob hanc mihi orationem mulctam irrogari, an potius maximam a vobis gratiam referri, qui iis laudibus tum urbem nostram tum majores tum præclara illorum temporum facinora ornarim, ut et ii qui prius idem argumentum tractarant, eorum pudore quæ dixerant, omnes suas orationes aboleverint, et qui etiam hodie inter eloquentes habentur, hisce de rebus diffisi ingeniis suis nihil jam dicere audeant.

23. Quæ quum ita sint, tamen existent aliqui ex istis qui ipsi quidem excogitare nihil aut dicere possunt quod audire sit operæ pretium, sed in eo studio ætatem consumpserunt ut aliorum dicta cavillentur et exagitent, qui eleganter quidem hæc esse dicta fateantur — bene enim invideant dicere —, longe tamen utiliores eas orationes esse dictitent, quæ ea quæ nunc prave ac temere gerantur reprehendant quam quæ res olim gestas laudent, et quæ quid agendum sit suadeant quam quæ vetera facinora commemorent.

24. Ut igitur neque hæc possint dicere, omissa defensione superiorum tantam vobis alterius orationis partem recitare conabor, quanta modo recitata est: ex qua me in harum rerum omnium curam sedulo incubuisse constabit. Agitur autem initio de pace facienda cum Chiis et Rhodiis et Byzantiis: quum enim ostendissem e republ. esse ut bellum deponeretur, accuso dominatum in Græcos usurpatum et damno maris imperium, ac nihil id esse aliud pronuntio quam monarchiam quandam, sive actiones sive clades spectentur; commemoro etiam, quid ex eo nostræ civitati, quid Lacedæmoniis, quid aliis omnibus, usuvenerit. His explicatis, et Græciæ calamitates deploro, et cives admoneo ut malis illis remedium aliquod invenire studeant; denique ad colendam justitiam adhortor et errata reprehendo et de republica in posterum ordinanda do consilium. Orsus igitur inde ubi his de rebus disserere incipio, hanc etiam partem recita.

EX ORATIONE DE PACE.

Sic autem censeo, pacem non tantum decernendam, sed non prius dimittendam esse concionem quam ratio fuerit inita qua eam conservemus.

* * * * * * * *

Dies me defecerit si in omnia nostrarum actionum delicta coner severius inquirere.

42. Qua ratione igitur hoc tumultu liberabimur? quo pacto reipubl. statum corrigemus et in melius provehemus? Primum si desierimus calumniatores habere pro popularibus honestosque viros pro oligarchicis: illud enim tenendum est, natura neminem neque popularem neque paucorum esse potentiæ studiosum, sed eam quemque reipublicæ formam expetere maxime, qua maxime honoratur. Quod si coletis et amplectemini bonos viros præ malis, sicut olim factum fuit, ad vestras rationes magis accommodatos habebitis tribunos plebis et reliquos magistratus. Secundo si vobis adjungere præsidia sociorum non bellis aut obsidionibus, sed beneficiis, instituetis: ex his enim amicitias oriri consentaneum est, ex iis autem rebus quales nunc agitamus, inimicitias. Tertium est ut secundum pietatem in deos nihil

majori studio habeatis quam ut Græci quam honestissime de vobis et sentiant et loquantur: nam, quos illi sic animatos viderint, his ultro et potestatus et principatus deferunt.

* * * * * * *

Nam in rebus Græciæ secundis eruditorum etiam hominum res multo fieri meliores consueverunt.

25. Duarum igitur orationum quasdam partes audivistis, sed et e tertia pauca recitabo, ut omnes meas orationes ad virtutem et justitiam referri planius intelligatis. Monet autem hæc quæ jam legetur oratio, Nicoclem, qui eo tempore Cypri regnum tenebat, quomodo civibus sit imperandum: neque vero eodem modo scripta est quo eæ quæ jam lectæ sunt. In illis enim quicquid dicitur, id cum superiori perpetua serie cohæret ac devinctum est, in hac autem contrarium fit. Dissolutas enim et distinctas a prioribus præceptiones in capita quæ vocantur redegi, ut omnia quæ suadeo paucis verbis explicarem. Id autem argumentum propterea tractavi, quod existimabam monendo præcipiendoque me et ejus ingenio maximas utilitates allaturum et mores meos optime demonstraturum. Qua eadem de causa vobis etiam nunc eam ostendere constitui, non quod inter cæteras ornatissime scripta sit, sed quæ ex ea optime cognosci queat quo pacto et cum plebeiis hominibus et cum principibus viris agere soleam: hinc enim apparebit me libere et e dignitate nostræ civitatis cum eo disseruisse, nec divitiis illius nec potentiæ adulantem, sed et populi causam egisse, et ei gubernationem quam fieri potuit lenissimam (quantum in me quidem fuit) constituisse. Quum autem cum rege agens populo sim patrocinatus, quanto magis in populari versantibus republ. hortator et auctor ero colendæ multitudinis.

26. Ac in exordio quidem et primo veluti limine orationis reprehendo principes, qui, quum excolere mentem et ingenium exercere magis quam alii deberent, pejus instituti sint hominibus privatis. Ea disputatione absoluta, Nicoclem moneo ne secordiæ indulgeat neve eo [omisso] animo sit, quasi regnum tanquam sacerdotium suscepisset, sed ut spretis voluptatibus animum rebus gerendis intendat. Illud etiam ei persuadere conor, rem absurdissimam existimandum, si deteriores cum imperio præesse videat præstantioribus ac prudentioribus dare mandata stultiores; atque assero fore ut quanto magis aliorum inscitiam contemnat, tanto diligentius ingenium suum exerceat. Ducto igitur initio a postrema parte orationis hujus quoque lege quod superest.

EX ORATIONE AD NICOCLEM.

In primis autem ipse te cohortabere, si id absurdum duxeris deteriores præesse præstantioribus et stultiores prudentioribus imperare.

* * * * * * *

Sapientes a te habeantur non qui de rebus minutis curiose rixantur, sed qui de maximis egregie disserunt. Aut præceptis nostris utere, aut ipse his quære meliora.

26.* 1. Et ex orationibus quidem satis nobis sit quod protulimus, præsertim adeo prolixis; a tenui quippe parte scriptorum a me olim non abstinebo: sed dicam siquid mihi videbitur præsenti tempori convenire: nam profecto essem absurdus, si quum videam alios meis scriptis uti, ego solus abstinerem ab iis quæ antea recitaverim; hac maxime occasione qua non solum tenuibus partibus, sed integris locis uti apud vos statui. Hæc igitur prout se res dabit faciemus. Dixi vero quodam in loco, priusquam eæ orationes legerentur, me dignum fore non solum, si noxias orationes conficerem, dare pœnas vobis; sed etiam nisi tales conscriberem quales nemo alius, maximam pati animadversionem. Si qui igitur vestrum esse arbitrati sunt magnificentius jactatum nimisque magnum illud dictum, non profecto jam in eadem sententia jure manebunt: existimo enim me fidem solvisse talesque esse eos qui lecti sunt sermones, quales vobis ab initio proposui. Volo tamen apud vos paucis defensionem persequi uniuscujusque, magisque adhuc apertum facere me vera de iis et antea dixisse et nunc quoque dicere.

26.* 2. Ac primum quidem quænam esse potest sanctior oratio aut æquior quam quæ majores pro eorum virtute gestisque collaudet? Deinde quænam civilior atque urbi convenientior ea quæ tum ex aliis beneficiis tum ex discriminibus quæ adivimus ostendit imperium ad nos potius quam ad Lacedæmonios pertinere? Præterea quis sermo de pulcrioribus majoribusve negotiis agit quam is qui ad expeditionem contra barbaros hortatur Græcos iisdemque concordiam inter se suadet? In prima igitur oratione de his disserui, in posterioribus autem minora quidem quam hæc tam grandia tractavi, non tamen ineptiora vel urbi minus conducentia. Quorum vim sentietis, si ea comparabitis cum aliis quæ probata atque utilia esse videntur. Puto quidem omnes homines confiteri plurimorum ac maximorum bonorum causam esse in vita humana leges: ita tamen comparatum est ut harum usus in iis tantum prodesse nobis possit quæ in urbe aguntur atque in privato quod inter nos exercemus commercio; meis vero orationibus si obtemperaretis, Græciam universam pulcre recte et cum urbis nostræ emolumento regeretis: oportet autem cordatos homines utrique huic rei studere, eam porro quæ major est plurisque facienda alteri præferre, deinde et illud sentire, quod leges quidem condere sexcenti et aliorum Græcorum et barbarorum valeant, dicere autem de utilibus rebus ex urbis et Græciæ dignitate non sane multi queant; quapropter eos, qui talibus orationibus excogitandis operam dant, tanto oportet pluris facere conditoribus et latoribus legum, quanto illi rariores sunt et ægrius fiunt et prudentiore egent animo, præsertim hisce temporibus. Nam

cum quidem incipiebat genus humanum creari et in urbibus congregari, par fuit ejusdem esse conditionis et legum et orationum conquisitionem: postquam vero huc progressi sumus ut et orationes recitatæ et leges conditæ innumeræ sint, quumque legum quidem laudentur antiquissimæ, orationum autem recentissimæ, non jam paris ingenii negotium id est; sed leges ferre instituentibus commoda est multitudo antea conditarum — nihil enim opus est eos novas quærere, sed satis est quæ sunt apud alios probatæ colligere, quod facile quisquis id voluerit faciet —, iis vero qui componendis orationibus vacant, eo quod plurima jam sint occupata, contrarium accidit: nam, si eadem ac prius recitata dicant, impudentes ac nugatores videbuntur, nova si quærant, operose invenient. Quare dixi utrosque quidem merito laudandos, luculentius tamen eos, qui possunt id quod est difficilius præstare. Jam et iis, qui sibi sumunt ut alios ad temperantiam et justitiam hortentur, nos veraciores atque utiliores deprehendemur. Ii enim hortantur ad virtutem et sapientiam quandam, quæ cæteris quidem ignota, apud ipsos autem controversa est, ego vero ad eam quæ cunctis in confesso est: et illis utique sufficit, si quos fama nominum possint in suam pertrahere consuetudinem, ego vero nunquam coarguar privatum aliquem ad me invitasse, civitati porro universæ suadere conor ea aggredi, ob quæ et cives bene habebunt et cæteros Græcos præsentibus malis eripient. Jam qui omnes cives impellere studeat ut melius et æquius Græcis præsint, quomodo, inquam, hunc credibile est convenientes ad se corrumpere? Quis autem, si hujusmodi orationes invenire valeat, noxias potius noxiisque de rebus quærere aggrediatur? præsertim vero si ea sit ab his orationibus consecutus quæ ego.

26.* 3. His enim scriptis editisque et famam apud multos obtinui et auditores complures recepi, quorum nemo apud me mansisset, nisi talem me deprehendisset, qualem exspectarat: nunc vero quum tot fuerint mei discipuli, quorum alii tres, alii quatuor annos mecum vixere, neminem patebit de me aliquid questum; immo absoluta institutione, quum jam navigaturi essent ad suos parentes ac notos, ita erga scholam videbantur affecti ut cum desiderio et lacrymis discederent. Utris vero decet vos fidem habere, iis ne qui omnino norunt meos sermones ac mores, an ei qui nihil mearum rerum scit, calumniatorem autem agere instituit? Qui eo improbitatis et audaciæ venit, ut accusans me, quod ita dicere doceam ut homines præter jus superiores evadant, argumentum quidem hujus rei nullum protulerit, orationem autem in eo consumpserit ut contenderet rem indignam esse juvenes corrumpi; quasi vero aut aliquis hoc neget, aut ipse quod omnes fatentur probare debuisset, et non potius illud unice ostendere, me nimirum huic facinori esse obnoxium. Sane si quis, hoc [Lysimacho] ceu plagiario et fure et grassatore in judi-

cium adducto, nihil quidem hujusmodi ostenderet illum patrasse, dissereret autem quam quodvis ex his criminibus grave sit, ipse Lysimachus diceret accusatorem nugari atque insanire; et tamen ipse se eodem orationis genere usum latere vos putat. Ego autem vel insipientissimos hoc scire arbitror, judicandas esse probabiles et satis validas accusationes, non eas quibus uti etiam contra innocentes liceat, sed quas non nisi in peccantes dicere possimus: at his neglectis Lysimachus orationem nihil ad crimen pertinentem recitavit. Opus enim erat eum et sermones meos indicare, quibus familiares corrumpam, et discipulos nominare qui ex mea consuetudine facti essent nequiores: nunc vero neutrum horum fecit, sed justissima omnium accusatione prætermissa vobis facere fucum conatus est. Ego autem unde par est et æquum, ex his ipsis nempe defensionem meam exornabo. Et orationes quidem paullo ante legimus vobis, eos autem qui me a pueris ad senectam usque usi sunt proferam, proque iis de quibus dicam testes ex vobis ipsis excitabo eos qui mihi coætanei vixerunt. Primi igitur ad me accesserunt Eunomus et Lysithides et Calippus, post hos Onetor, Anticles, Philonides, Philomelus, Charmantides. Atque hos omnes civitas aureis coronis donavit, non profecto ut alienorum cupidos, sed ut viros bonos et qui sua multa in civitatem insumpsissent. Apud hos quo me vultis officii gradu collocate: nam ad rem quidem præsentem quod attinet, id omnino mihi commodum accidit. Sive enim putetis me consiliarium et magistrum horum fuisse, gratiam mihi jure potiorem habebitis quam iis qui in Prytaneo ob virtutem aluntur: nam horum quisque unum se præclarum virum exhibuit, ego vero tantum numerum quantum vobis nuper exposui. Sive eorum facinorum nulla ego cum illis extiti causa, sed iis tantum sodalibus et amicis usus sum, sufficientem mihi hanc contra eam quam patior accusationem puto apologiam: si enim præmio ob virtutem donatis placui, cum sycophanta autem non consentio, qui merito judicer familiares corrumpere? Alioqui ego omnium miserrimus essem, si, quum ceteri homines ex studiis et societatibus alii quidem malam alii bonam famam consequantur, ego unus hoc argumento non me satis probarem, sed postquam cum viris tantis convixerim, meque inculpatum usque ad hanc ætatem exhibuerim, similis denique eorum videar qui ob alias societates et studia in criminationes incurrunt. Libenter autem cognoscerem quid essem passurus, si quis mihi talis familiaris fuisset qualis meus accusator, quandoquidem ego, qui universum genus hujusmodi hominum odio persequor iisdemque invicem sum invisus, in hoc tamen discrimen deveni. Atqui ne ille quidem merito me lædet sermo, quem forte nonnulli qui mihi prorsus sunt infensi de me dicere audebunt, quod iis nimirum quos nominavi ita tantummodo usus sim ut cum iis colloqui quidem sim con-

spectus, verum alios mihi fuisse multos et turbulentos discipulos quos celem vos. [At ego sermonem in promptu habeo, qui has omnes calumnias coarguat atque dissolvat:] volo enim, si qui e meis familiaribus boni viri evaserunt erga urbem amicos et suam domum, a vobis illos laudari, mihi autem nullam pro his gratiam haberi; sin mali eoque ingenio, ut deferre in judicium et accusare et aliena appetere soleant, vos de me pœnas sumere. Porro quænam provocatio fieri potest hac invidiosa minus aut æquior, qua ego bonos et honestos mihi non vindico, si qui autem mali fuerunt, pro his pœnam subire paratus sum? Et sermo profecto hic non frustra prolatus est, sed permitto et accusatori et cuivis alii volenti, si quem habet hujusmodi nominare; non quod non libenter aliqui adversus me mentituri sint, sed, quod hi statim nobis patefient, et pœna ad illos non ad me pertinebit. Et quod quidem attinet ad illatam mihi accusationem quodque discipulos non corrumpem, non video quomodo evidentius me purgare potuissem.

26.* 4. Injecit præterea mentionem et amicitiæ meæ cum Timotheo, et utrumque nostrum calumniari conatus est; neque eum puduit de viro mortuo et qui multa bona civitati creasset maledicos et admodum protervos sermones effutire. Ego vero existimassem, etiamsi aperte convincerer esse reus, tamen propter consuetudinem cum illo me servari oportere: sed quia Lysimachus vel iis argumentis me nititur lædere quibus merito juvandus essem, de his quoque disserere opus est. Idcirco autem hujus mentionem non feci simul cum cæteris meis necessariis, quia eorum res gestæ valde differunt. Ac de illis quidem nihil ineptum blaterare adversarius ausus est, at in vituperatione Timothei diligentius est versatus quam in iis rebus de quibus intulit accusationem. Tum illi paucis sunt præfecti rebus, eorum vero quæ unicuique sunt commissa ita curam gesserunt ut quem paullo ante dixi honorem consecuti sint; hic autem multis et magnis diuturnoque tempore præfuit. Ut prorsus non decuerit indiscriminatim de hoc aliisque amicis verba facere, sed opus fuerit ita discernere atque ordinare de iis sermonem. Oportet autem et orationem de illo non videri alienam a præsenti negotio, neque me dicentem extra causam: et privatos quidem ubi de suis quisque gestis dixerunt, par est aut de suggestu descendere aut videri frustra satagere, verum eos qui consiliarii et magistri esse putantur non secus pro familiaribus suis quam pro se ipsis apologiam instruere necesse est, præsertim si quis ob eam causam reus agatur; quod mihi scilicet accidit. Atque alius quidem contentus esset dicere, æquum non esse se censeri participem si qua in re Timotheus haud felici successu usus esset; cum scilicet ne donorum quidem aut honorum partem ipse peroeperit qui Timotheo decreti sunt, immo neque ab ullo rhetore sit laudatus tanquam si illius consiliarius

fuisset: æquum autem esse aut et commodorum in societatem venire aut ne adversitatibus quidem contingi. Me vero puderet ita loqui, quin et eandem atque de cæteris provocationem facio: volo enim, siquidem malus vir fuit Timotheus multaque in vos peccavit, ego particeps esse pœnasque dare neque secus ac reus puniri: sin autem et civis bonus et dux talis qualem nullum nos scimus ostendetur, ille videlicet a vobis laudandus erit gratiaque ei habenda, de hac autem adversus me accusatione, ex iis quæ a me sunt patrata, quod justum vobis videbitur, judicabitis.

26.* 5. Coacervatim vero hoc habeo dicere de Timotheo quodque omnia simul comprehendit, tot eum cepisse urbes vi quot nemo unquam imperator neque ex hac urbe neque ex reliqua Græcia, et harum aliquas, quibus captis universa vicinia coacta est nostræ urbi amica fieri. Tantam unaquæque habebat vim! Quis enim nescit Corcyram opportunissimo et pulcherrimo omnium circa Peloponnesum situ collocatam, Samum autem in Ionia, Sestum et Crithotem in Hellesponto, Potidæam et Toronem in Thracia? Quas ille omnes subactas tradidit vobis, sine magnis impensis, sine detrimento sociorum, nulla necessitate vobis imposita multas collationes militares afferendi; sed, cum ei ad cursum circa Peloponnesum tredecim tantum talenta urbs dedisset et quinquaginta triremes, Corcyram urbem cepit octoginta instructam triremibus, ac circa illud tempus Lacedæmonios navali prælio superavit, hancque pacem eos coegit componere, quæ tantam utrique urbi mutationem attulit, ut nos quidem ab ea die sacrum ei [Paci] faciamus quotannis, tanquam nulla fuerit æque urbi utilis, Lacedæmoniorum vero post illud tempus sive classis navigans intra Maleam sive terrestris exercitus Isthmum prætergrediens a nemine conspectus sit, quod eis fuisse causam cladis ad Leuctra jure quis deprehendat. His gestis, expeditione suscepta contra Samum, quam Pericles ille, qui maximam prudentiæ justitiæque et modestiæ laudem est assecutus, ducentis navibus et mille talentis oppugnaverat, hanc Timotheus, cum nihil omnino a vobis accepisset neque a sociis collegisset, post decim mensium obsidionem in potestatem suam redegit octo millibus peltastarum triremibusque triginta, quibus et stipendium ex hostico solvit. Jam si quis alius paria opera fecisse videtur, fateor me nugari, quod singulari modo eum laudare coner qui nihil præstantius cæteris fecerit. Hinc igitur navigans Sestum et Crithotem cepit; quumque aliis temporibus neglecta fuisset Chersonesus, vos ei ut mentem adverteretis impulit. Denique Potidæam, in quam urbs nostra quadringenta et bis mille talenta antea consumpserat, cepit opibus quas ipse suppeditavit et tributis e Thracia collectis: tum universos Chalcidenses debellavit. Quod si oportet non singillatim sed compendio dicere, quatuor supra viginti urbium vos dominos fecit, minoribus expensis

quam patres nostri in unam Meliorum obsidionem erogarunt. Vellem vero, ut facile fuit gesta enumerare, ita posse me breviter tempora declarare quibus horum quæque sunt acta, et statum urbis, hostiumque potentiam : multo enim vobis benefacta majora viderentur, atque ille pluris faciendus. Nunc vero hæc propter eorum multitudinem mittam.

26.* 6. Vos autem libenter audituros arbitror, cur nam laudatorum apud vos virorum et qui bellicosi existimarentur, aliqui ne pagum quidem capere potuerint, Timotheus autem neque corporis natura valida præditus neque in vagis exercitibus tritus, sed vobiscum in urbe versatus tam grandes res gesserit. Et sermo quidem de his invidiosus est, neque tamen sine fructu dicetur. Ille enim adeo cæteris præstitit, quia de Græcorum et Sociorum rebus eorumque regimine non eandem ac vos sententiam gerebat: vos enim imperatores deligitis robustissimos corpore et qui in mercenariis sæpe exercitibus versati sint, tanquam si per hos opportunum aliquid confecturi essetis; ille autem hujusmodi centurionibus et tribunis utebatur, [quorum nonnulli, quia cum eo militarunt, homines frugi urbique utiles evaserunt,] ipse autem iis erat eximius, quorum bonum imperatorem oportet esse prudentem. Atqui ea quamnam vim continent? — præstat enim non tantum indicasse sed omnino aperte hæc evolvere. — Primum quidem ut possis cum quibus sit bellandum cognoscere, et quinam socii adsciscendi: fundamentum hoc est enim imperatorii muneris, in quo si quis peccet, necesse est bellum damnosum, asperum, et frustra laboriosum evadere. In his igitur deliberandis non solum nemo ei fuit par, sed ne proximus quidem. Facile autem est ex ipsis factis id cognoscere: plurimis enim bellis injussu urbis susceptis, omnia prospero eventu gessit cunctisque Græcis visus est ea juste fecisse. Sane prudentis consilii quis isto clarius et gravius argumentum exhibeat? Quid secundo loco expedit bono imperatori? Exercitum contrahere convenientem bello quod gerit, atque hunc ordinare eoque utiliter uti. Quod autem Timotheus eo sciret bene uti, gesta ipsa declararunt: quod vero et apparatu splendido quique hanc urbem deceret omnes superarit, nemo vel inimicorum inficiari audeat. Quis præterea commilitonem in utroque hoc illum excelluisse non judicet, in tolerando scilicet necessitates atque egestates exercitus, rursusque copiam comparando? Sciunt enim illum sub initium bellorum, quod nihil ab urbe acciperet, in extrema necessitate fuisse constitutum; et tamen ex hoc statu eo res deducere potuisse, et ut bello superior esset et integrum militibus stipendium solveret. Quæ quum tanta sint tamque gravia, jure tamen is propter ea quæ addam luculentius adhuc laudari potest. Quum enim vos videret eos tantum putare viros, qui et minantur et cæteras civitates terrent quique novum

aliquid semper inter socios moliuntur, huic vestræ opinioni non est obsecutus, noluitque cum urbis detrimento famam consequi, sed hoc curavit et fecit, ut nulla eum Græca urbs timeret, sed cunctæ alacri essent animo præter eas quæ peccarent: sciebat enim et qui timent odio persequi illos quorum causa id patiuntur, urbemque nostram ex aliarum benevolentia factam esse beatissimam et maximam, ex odio autem parum abfuisse quin in extremos casus incideret. Quæ ipse reputans urbis quidem viribus evertit hostes, mansuetudine autem sua aliorum amicitiam comparavit, hoc judicans facinus majus et pulcrius quam multas urbes capere et sæpe pugna vincere. Adeo vero studuit ne qua urbs vel leviter suspicaretur sibi ab eo strui insidias, ut si forte præternavigaturus esset aliquam ex iis quæ tributum non penderent, mitteret qui magistratibus id nunciaret, ne forte coram portubus repente conspectus in tumultum et trepidationem eos conjiceret. Quod si ad aliquam regionem appulerat classem, non profecto sinebat milites rapere et furari domosque spoliare, sed tantam adhibebat curam ne quid horum fieret, quantam rerum domini: neque enim hoc mente spectabat, ut in his rerum articulis gratiam ipse iniret apud milites, sed ut urbs apud Græcos. Præterea captas bello urbes tam humaniter tractavit et juste quam nemo alius socias, putans, quod si talis erga eos cognosceretur qui contra se pugnassent, maximum præstiturus esset argumentum se nunquam in cæteros delinquere ausurum. Igitur propter opinionem ex his conflatam multæ urbes quæ vobis erant infensæ apertis eum portis exceperunt; in quibus nihil ipse perturbavit, sed ut eas constitutas ingrediens repererat, ita egrediens reliquit. Horum vero omnium caput est, quod quum solerent aliis temporibus multi et terribiles evenire in Græcia casus, sub ejus imperio nemo vel seditiones excitatas inveniat vel civilium constitutionum mutationes vel cædes vel exsilia vel quidvis aliud gravius, sed ita ejusmodi calamitates per ea tempora quieverunt, ut solus memoria nostra Timotheus inculpatam hanc urbem Græcis exhibuerit. Atqui oportet optimum censere ducem non si quis sola fortuna tale aliquid prospere fecerit quale Lysander, quod alii nemini contigerit: sed eum qui in multis variis atque asperis rebus recte et sapienter semper se gesserit, quod nimirum Timotheus præstitit.

26.* 7. Puto itaque ex vobis multos quæ dicta sunt mirari atque arbitrari illius laudes vituperationem esse civitatis, si hæc de eo qui tot urbes ceperit, nullam amiserit, tanquam de proditore judicium exercuit; rursusque si quum ille rationem administratæ reipublicæ reposceretur, quumque crimen in se recepissent de rebus quidem gestis Iphicrates, de pecuniæ vero ratione Menestheus, hos quidem absolverit, Timotheo autem tantam mulctam imposuerit quantam alii unquam nemini. Res nimirum ita se

habet: volo enim verba et pro urbe facere. Si vos quidem id quod justum est spectantes hæc considerabitis, fieri non potest quin gravia et acerba omnibus videantur quæ in Timotheum facta sunt: sin reputaveritis ignorantiam qua omnes homines laboramus, invidiasque quæ nobis accidunt, motusque ac turbas quas inter vivimus, nihil horum sine causa aut alienum ab humana natura factum videbitur; immo et Timotheus partem aliquam contulisse ut ne recte judicaretur de his. Is enim, cum nec popularis regiminis neque hominum osor esset neque superbus neque ullo ejusmodi morbo laboraret, propter animi quandam excelsitatem utilem illam quidem imperatorio muneri, usibus vero quotidianis non opportunam, reus eorum quæ diximus omnibus visus est: tam enim erat ineptus ad colendos homines, quam ad res gerendas strenuus. Et tamen sæpe a me hujusmodi sermones audierat: oportere eos qui in rep. versantur et placere volunt, uti quidem factis utilissimis atque optimis sermonibusque verissimis atque æquissimis, sed tamen et illud curare ac spectare, ut venuste et benevole hæc omnia facere et dicere videantur; quod qui negligunt invisiores et graviores apud cives evadunt. Vides (aiebam) ut multorum natura ad voluptatem sit prona, utque magis idcirco ament qui ad gratiam loquuntur quam qui beneficia præstant, magisque eos qui cum festivitate et humanitate fucum faciunt quam qui cum fastu et severitate juvant. Quæ tibi nullatenus curæ sunt, sed si recte res extra domum gesseris, putas et hic degentes æquo in te animo futuros. Hoc vero non sic sed contra solet accidere. Nam si his placueris, quidquid faceris, non pro rei veritate de eo judicabunt, sed prout tibi conduxerit accipient, et errata quidem negligent, prospere autem gesta in cœlum tollent: nam benevolentia ita omnes comparat. Quam tu quidem urbi omnibus artibus studes ab aliis acquirere, judicans maximum esse bonum, tibi autem ipsi ab urbe non putas oportere eandem conciliare; quumque plurimorum bonorum causa fueris, pejus habes iis qui nihil memoratu dignum fecerunt. Merito: hi enim colunt rhetores atque eos qui in privatis conventibus rumores serere valent quique omnia se scire profitentur, tu vero potentissimos eorum non solum negligis, verum etiam oppugnas. Et tamen quot putas propter horum mendacia, alios quidem in calamitates incidisse, alios carere honoribus, [quot autem e veteribus nulla frui nominis celebritate,] qui cæteroqui præstantiores fuere et pluris faciendi quam ii qui hymnis et tragœdiis famigerantur? Sed hi videlicet poetas et fa-

bulatores consecuti sunt, illi autem neminem habuere qui se celebraret. Si mihi igitur parueris sapiensque fueris, non profecto hujusmodi homines spernes, quibus multitudo non in iis solum quæ ad unumquemque civem pertinent, sed in communibus reip. negotiis, fidem habet; atque in hos studium atque observantiam quandam præ te feres, ut bona utrinque utaris fama, ex tuis scilicet gestis et ex horum oratione. Hæc ille audiens recte quidem me loqui dicebat, neque tamen mutare naturam poterat; sed strenuus utique et fortis vir erat atque hac urbe et Græcia dignus, at non accommodatus huic generi hominum, qui se præstantioribus succensent. Itaque rhetores quidem in confingendis multis et falsis adversus eum criminibus occupabantur, populus vero in excipiendo quæ ab illis dicerentur. Ad quæ libenter apologiam adornarem, si tempus suppeteret: existimo enim vos audientes odio inflammatum iri in eos qui urbis invidiam contra Timotheum excitarunt quique contumeliosum aliquid adversus eum dicere audent.

26.* 8. Nunc autem hæc omittam, de me autem et de præsenti negotio iterum verba faciam. Jam vero ambigo quomodo reliqua persequar, quidve primum memorem quid posterius: nam ab ordinate dicendo jam excidi. Forte ergo necessarium est, ut se quidque obtulerit, ita de eo dicere: quod igitur mihi nunc in mentem venit, quodque ego sane aperiendum censebam, alius vero quidam absterrebat ne dicerem, non celabo vos. Postquam enim Lysimachus hanc dicam impegit, cœpi considerare hæc ipsa scilicet, ut vestrum unusquisque; vitamque meam et gesta perpendi, plurimumque tempus in iis versandis trivi ex quibus laudem mihi deberi putabam. Id intelligens quidam e necessariis meis sermonem omnium abjectissimum apud me ordiri ausus est: æmulatione quidem digna esse quæ ego dicerem, se tamen vereri, ne multis audientium ingrata forent. Ita enim aiebat nonnulli invidia et egestatibus efferantur atque hostili animo sunt, ut non vitiis sed diligenti vitæ adversentur, oderintque non solum justissimos hominum, sed etiam studiorum optima; ac præter cætera mala impiis quidem faveant atque indulgentes se præbeant, quibus autem invident, hos siquidem possint evertant. Atque hæc facientes non ignorant profecto pro quibus suffragium ferant, sed nocere quidem sperant, revelatum autem iri non exspectant: dum igitur sui similes servant, sibi ipsis patrocinari arbitrantur. Hæc eo exposui, ut meliore consilio te geras utque tutioribus sermonibus apud eos utaris: quanam enim mente exspectandum est hos esse futuros, cum et vitam tuam et tua gesta

recensebis factis eorum nullo modo consentanea, sed quadia apud me recitas? Ostendis quippe et orationes quas scripsisti non vituperatione sed gratia maxima esse dignas, eorumque qui tua familiaritate sunt usi alios quidem nullius vel injurim vel peccati reos, alios vero propter virtutem a civitate coronatos; tuam porro vitam quotidianam ita modestam ac compositam qualem haud scio an alius quisquam e civibus degat; preterea neque litem te alicui intulisse neque passum esse excepta hac de permutatione, neque aliis ad id fuisse patronum neque testimonium dixisse, neque aliud quidvis eorum fecisse, in quibus cives omnes versantur. Preter hæc tam tui propria et eximia illud quoque dicis, te a magistratibus et quæ hinc oriuntur emolumentis atque ab omni publica re abstinuisse; inter mille et ducentos autem qui tributum militare conferunt et munera obeunt non te ipsum solum exhibere, sed etiam filium, torque jam trierarchia funeti estis, cetera vero ministeria sumptuosius gessistis et pulcrius quam leges jubent. Hæc si audiant ii qui his contraria fecerunt, nonne censes graviter laturos et suam vitam non sane probam reprehendi putaturos? Nam si cernerent te ægre et cum incommodo publicis muneribus et reliquæ administrationi reip. hæc suppeditare, non hoc illis adeo curæ esset: nunc autem putant multo majores opes te ab extraneis accepisse quam contuleris, teque otiosius vivere credunt non cæteris solum, sed etiis qui philosophiæ et iisdem ac tu studiis vacant. Vident enim plurimos eorum, iis exceptis qui tantum vitæ genus instituntumque præoptarunt, in publicis et privatis conventibus ostentationis causa dicere, inter se certare acerrime, pollicari, contendere, conviciari, nihil ab improbis differre, sed mutuo sibi negotium facessere; audientibus vero potestatem tribuere, aliis quidem dicta irridendi, aliis laudandi, plurimis aversandi, aliis prout voluerint de se sentiendi: te vero nihil habere cum his commune, sed tam sophistarum tum idiotarum, tum ditium tum pauperum, dissimilem vivere. Quas ob res te fortasse laudabunt qui ratione uti possunt et aliquid sapiunt, qui vero deteriore conditione sunt, magisque aliorum virtutibus quam suis miseriis angi solent, fieri non potest quominus tibi subirascantur ægroque animo id ferant

Tanquam igitur istis sic afficiendis, considera quid tibi dicendum sit, quid prætermittendum. Ego vero et dum ille hæc diceret et nunc etiam omnium hominum absurdissimos et abjectissimos judico, qui segre hoc audiant, quod me utique ministrantem urbi exhibeam et imperata facientem, non tamen velim vel magistratus sortiri, vel accipere quæ aliis urbs tribuit, vel pati lites vel inferre. Sic enim constitui non divitiarum vel superbiæ causa, neque contemnens eorum vitæ rationem qui aliter ac ego vivunt, sed quietis et otii gratia; præsertim quum viderem hujusmodi homines et apud vos et apud cæteros optima frui opinione, dulcioremque hanc vitam judicarem quam plura negotia tractantium, nec non studiis meis, quæ ab initio suscepi, convenientiorem. Has enim ob causas ita vivere institui: a stipendiis autem qui ex urbe percipiuntur abstinui, grave existimans, si quum ex propriis me alere possem, eos impedirem qui vivere hinc cogunter quominus reditus ex urbe caperent, meique interventu gratia cureret aliquis victu necessario. Propter quæ laudem potius consequi debuissem, quam criminationem. Nunc vero vehementer ambigo quonam facto placere his possim. Si enim omni tempore studens ne quem injuria vel incommodo vel molestia afficerem, ob hoc tamen ipsum alicui sum molestus, qua demum opera gratificer? quidve reliquum est nisi ut ego quidem veterum morum sim impos, hi vero inurbani videantur et iniquo animo affecti erga suos cives?

26.* 9. Et apud eos quidem qui nulla in re cum aliorum sententia consentiunt, sed asperiores sunt in eos qui non male habent quam in improbos, apologiam quærere stultum est; nam, ut patet, quo se quisque integriorem ostendet, eo deterius apud illos causam dicet: jam apud cæteros, de eo quod Lysimachus calumniatus est, me nempe quamplurimas acquisivisse facultates, necesse est dicere, me pro vere habitus sermo in ministeria me conjiciat graviora ac plura quam ferre possim. Omnino nullus reperietur sophista qui multas divitias collegerit, sed alii quidem tenuiter, alii moderate vitam traduxerunt: qui vero plurimas omnium memoria nostra acquisivit, Gorgias Leontinus is fuit: hic quum apud Thessalos, qui tum beatissimi Græcorum erant, sit commoratus, diuturnoque tempore et vixerit et hujusmodi lucris studuerit, nullam urbem firmiter habitaverit, nihil in publicam rem erogaverit neque militare tributum conferre coactus sit, ad hæc neque uxorem duxerit neque liberos procreârit, atque immunis etiam ab hoc assiduo et sumptuosissimo ministerio fuerit; hic, inquam, tantis opportunitatibus instructus ad ditescendum præ aliis mille tantum stateres reliquit. Atqui, quod attinet ad alienas facultates, non est temere credendum accusatoribus, neque putandum par esse lucrum sophistarum et histrionum; sed qui eandem exercent artem, de iis ex mutua com-

paratione judicium fiat, et qui parem in arte vim habent, consimili quoque peculio instructi putentur. Si vos igitur æquabitis me vel ei qui plurima lucratus est meque eodem quo illum loco collocabitis, neque vos omnino inconsiderate de his conjicere videbimini, neque nos deprehendemur sive ea quæ ad urbem spectant sive quæ ad nos ipsos male procurasse; sed paucioribus impensis vitam tolerasse, quam quas in publica ministeria fecimus. Jam qui parciores sunt in privatis quam in publicis, jure ac merito laudandi sunt.

26.* 10. Hæc dum loquor subit animum cogitatio, quam urbis status deterior sit factus, quamque hodierni cives a prioribus mente ac judicio differant. Nam cum ego puer esam, tutum adeo atque honorificum putabatur ditem esse, ut tantum non cuncti simularent se majores veris facultates habere, quippe qui vellent in hujus gloriæ partem venire: nunc autem quod dites non simus apologia probandum est, ac porro videndum si qua ratione salvi esse possimus. Nam periculosius est videri divites quam aperte maleficos: hi enim vel consequuntur veniam vel leviter mulctantur, illi funditus pereunt; ac plures reperiemus a suis facultatibus excidisse, quam improbos pœnas dedisse. Sed quid opus est de publicis dicere? Ego ipse enim non parum in meis studiis falsus sum propter hanc opinionem conversionem. Cum enim ego cœpi rebus meis mederi, amissis in bello contra Lacedæmonios cunctis facultatibus meis, ex quibus pater tum urbi se utilem exhibuerat, tum nos ita studiose educaverat ut ego tunc clarior et notior inter æquales et condiscipulos essem quam nunc inter cives; cum igitur, inquam, cœpi aliquorum esse magister, putabam, si possem plura mihi vindicare atque asserere quam artis socii, utrumque de me existimatum iri, et sapientia nimirum excellere et honestius vixisse cæteris. At plane contrarium mihi contigit. Si enim homo ineptus evasissem nec quicquam acquisivissem, nemo mihi molestiam exhibuisset, sed etiamsi aperte fuissem improbus, a sycophantis certe securus vixissem: nunc vero pro gloria quam exspectabam, lites et pericula et invidiæ et criminationes contigerunt. Hoc enim nunc civitas gaudet, bonos nimirum affligere atque deprimere, improbis autem dare copiam dicendi agendique quidquid libuerit, ita ut etiam Lysimachus, qui statuit e sycophantia vivere semperque aliquem civem vexare, ad me accusandum in concionem adscenderit; ego autem qui in neminem unquam peccavi atque a stipendiis in patria percipiendis abstinui, ab extraneis vero qui se beneficiis a me affectos putabant emolumenta comparavi, quasi impia fecerim in hoc discrimen conjectus sum. Atqui par est eos qui sapiunt orare Deos ut quamplurimis civibus hæc insit facultas, ob quam muneribus ab extraneis ditati utiles se, uti ego, civitati essent præstituri. Jam quum multa

adversus me absurda commissa sint, indignissimum omnium acciderét, si ii qui mihi divitias dederunt, tantam habeant mihi gratiam, ut etiam nunc me colant: vos autem, in quos mea absumpsi, pœnas cupiatis de me sumere. Immo adhuc indignius videretur, si Pindarum poetam majores nostri ob unam vocem, quod scilicet hanc urbem PROPUGNACULUM GRÆCIÆ nominavit, ita honorarint ut eum et proxenum fecerint et decem millibus drachmarum donarint; mihi autem, qui sæpius et pulcrius urbem ac majores nostros laudavi, ne tute quidem vivere liceat quod vitæ superest. Contra has igitur et cæteras accusationes sufficientem esse puto quæ dicta est defensionem.

26.* 11. Ac ne illud quidem gravabor coram vobis veraciter aperire, quomodo scilicet in præsenti periculo sim affectus, et quid antea de eo senserim. Ego pro me ipso magnas spes gerebam feliciter me causam dicturum; nam vitæ meæ gestisque confidebam multaque et justa putabam posse me pro his dicere: cum autem vidi male affectos erga eloquentiæ disciplinam non eos solum qui solent omnibus esse infensi, verum etiam ex aliis civibus complures in eam exasperatos, timebam ne privata quidem mea causa negligeretur, ex generali autem accusatione quæ in sophistas fit indignum aliquid paterer. Sed enim quum progrediente tempore cœpissem reputare et dispicere quid præsenti negotio conferret, timorem eum ac trepidationem dimisi; neque id temere, sed ex justis momentis ratiocinans ac consolans me ipsum: nam viros æquos ex vobis, apud quos ego loquerer, sciebam non manere in opinionibus injuste susceptis, sed veritatem sequi atque a justa dicentibus de sententia deduci; tum philosophiam existimabam pluribus argumentis probare me posse injuria vituperari, multoque potiore jure eam diligi quam odio haberi. Atque in hac sane sententia adhuc maneo. Neque porro mirandum est si qua optima studia ignorari ac latere contingat, neque si nonnulli falsam de iis opinionem contraxerint: nam paria erga nos ipsos et erga alia innumera nos pati deprehendemur. Urbs quippe nostra quæ multorum bonorum et nunc est et olim fuit causa civibus suis cæterisque Græcis, multisque commoditatibus abundat, hoc habet incommodissimum, quod propter amplitudinem atque incolarum multitudinem non adeo oculato utitur accuratoque judicio, sed torrentis more, ut quodque corripuerit sive homines sive res, sic trahit in præceps, et contrariam debitæ opinionem quibusdam affingit; quod huic quoque contigit disciplinæ. Quæ vos reputantes par est nulla de re sine ratione sententiam ferre, neque sic animo comparatos esse cum jus dicitis ut in privatis disputationibus, sed unamquamque rem diligenter perpendere veritatemque indagare, jurisjurandi memores atque legum, secundum quas convenistis judicaturi. Est autem non de parvis causa et ju-

dicium in quo versamur, sed de maximis: non enim de me tantummodo laturi estis suffragium, sed et de ea professione cui multi ex adolescentibus student. Arbitror vos non ignorare urbis negotia seniores his succedentibus juvenibus tradituros. Quum hic orbis sit perpetuus, necessario futurum est, ut quo modo adolescentes instituti fuerint, eodem se urbs habeat: quare non est committendum ut syncophantæ in hoc tam gravi negotio prævaleant, neque ii qui illis pecuniam non dederunt puniendi, neque iis contra qui sycophantas muneribus corruperunt ut suo arbitrio vivant permittendum: sed si philosophia quidem hanc habet vim ut adolescentes corrumpat, non eum solum punire oportet quem aliquis sycophanta detulerit, sed omnes ejus sectæ homines exterminare; sin ea contra ita comparata est ut juvet melioresque ac laudabiliores efficiat sectatores suos, ii quidem qui eam calumniantur reprimendi sunt, sycophantæ infamandi, adolescentibus autem consilium dandum ut hoc potius quam aliud vitæ genus amplectantur.

26.* 12. Ac multo mallem, si quidem in fatis erat me hanc subire criminationem, adolescenti mihi hoc accidisset periculum; neque enim animo concidissem, sed et adversarium repulissem et philosophiam defendissem validius: nunc autem vereor, ne quum hujus ope pro aliis rebus recte dixerim, pro hac ipsa deterius disseram quam pro iis quarum me minorem decebat curam gerere. Et contentus profecto essem — dicam enim vere etsi vanus est sermo — jam vitam finire, ubi pro dignitate argumenti dixissem vobisque persuasissem ut tales existimaretis literarum disciplinas quales revera sunt, potius quam vivere multo diuturniore tempore, videns eam ut nunc tali apud vos fortuna utentem. Ac sentio sane me multo abjectius quam cupio de ea dicturum: tamen pro viribus conabor exponere et ejus naturam et vim qua pollet, et cuinam alii arti sit specie similis, in quo sui asseclas juvet, quosque nos spondeamus; puto enim vos, quod verum est cognito, melius de illa et consulturos et judicaturos. Obsecro autem vos si forte videbor uti sermonibus longe aliis ab iis qui apud vos dici solent, ne ægre feratis, sed vosmet indulgentes præbeatis, reputantes eos, qui de rebus diversis a ceteris disputant, opus esse hujusmodi quoque oratione de iis uti. Postquam igitur sustinueritis genus et libertatem eorum quæ a me dicentur, neque siveritis concessum defensionibus tempus implere, uti vestrum unicuique videbitur justum et legitimum, sic ferte suffragium.

26.* 13. Volo autem de oratoria institutione, more eorum qui genealogias recensent, apud vos primum disserere. Ac in confesso est quidem naturam nostram corpore constare et anima; horum autem nemo est qui præcipuam non dicat animam plurisque faciendam: hujus enim est deliberare et privata et publica, corporis

autem exsequi quæ ab anima decreta sunt. Quæ quum ita se habeant, videntes quidam qui multo ante nos extiterunt, ad cæteras quidem res artes esse plures adornatas, ad corpus vero et animam nihil hujusmodi excogitatum, invenientes duplices disciplinas, eas nobis reliquerunt: ad corpora quidem pædotribicam, cujus pars quædam est gymnastica; ad animas autem philosophiam, de qua ego verba facturus sum, quæ disciplinæ sunt sibi invicem respondentes et connexæ et consentientes, et quibus earundem doctores tum animas prudentiores tum corpora utiliora reddunt; neque hi valde a se mutuo institutiones dissociant, sed affinibus utuntur et doctrinis et exercitiis et cæteris eruditionibus. Ubi enim receperunt discipulos, pædotribæ quidem schemata quæ sunt excogitata ad palæstram alumnos docent, philosophi autem formas quibus sermo utitur discentibus tradunt. Ubi vero horum rudimentorum peritos effecerint accurateque in his formarint, iterum exercent eos, atque ad agendum assuefaciunt, et connectere inter se singula quæ didicerint cogunt, ut hæc firmius retineant et propius ad opportune agendum sententiis accedent. Nam vis opportune agendi comprehendi scientia nequaquam potest; illa enim vis ad quasvis occasiones præceptis caret: qui autem plurimum in eam incumbunt atque eventus mente complecti possunt, multo-sæpissime rem tenent. Hoc igitur modo curaque erudientes possunt quidem utrique magistri usque eo promovere discipulos, ut hi incrementum doctrinæ capiant melioribusque polleant alii mentibus alii corporibus; neutri tamen eam artem habent, qua illi quidem athletas, hi rhetores perfectos quos vellent efficiant, sed aliquam quidem conferunt partem, at facultates ipsæ omnino iis contingunt qui ingenio et diligentia præcellunt. Atque imago quædam philosophiæ hæc ferme est.

26.* 14. Puto autem vos magis adhuc ejus vim cognituros, si recenseam cujusmodi pollicitationes iis faciamus qui ad nos accedere volunt. Dicimus enim oportere eos, qui in dicendo aut agendo aut quavis alia disciplina futuri sunt excellentes, primum quidem ad hoc præclare a natura comparatos esse, quod profitendum elegerint, secundo institui atque ea præcepta accipere quæ de unaquaque disciplina exstant, tertio peritos fieri atque in usu eorumque exercitatione versari: his enim in qualibet arte perfectos et valde præstantes creari. Ex his tribus utrosque oportere, docentes scilicet et discentes, propriam symbolam conferre, hos quidem idoneum ingenium, illos vero vim qua docere valeant, communem vero utrisque exercitationem ad praxin: opus est enim illos quidem studiose præcipere discentibus, hos autem firmiter hærere imperatis. Hæc igitur sunt quæ de omnibus artibus pronunciamus: si quis autem prætermissis cæteris me roganet quid maxime conducat oratoriæ institutioni, responderem naturam præcipuam esse multumque cætera

excedere; is enim qui habeat mentem inveniendo, discendo, laborando, memoria tenendo aptam, vocem præterea et os adeo purgatum ut non oratione tantum sed ejusdem venustate persuadere auditoribus possit, ad hæc confidentiam non eam quidem quæ impudentiæ argumentum est, sed quæ non sine modestia ita animum afficit ut nihilominus audeat sive hic in conventu civium verba faciat sive apud se commentetur, quis non videt, etiamsi is non exquisitissimam institutionem sortitus sit, sed vulgarem et cunctis communem, tamen rhetorem talem futurum qualis haud scio an aliquis Græcorum extiterit? Sed et illos scimus qui deteriore quidem ingenio erant præditi, studiis tamen et exercitationibus fuere diditi, non se ipsos solum superasse, verum etiam ingeniosos qui animi cultum valde neglexissent: quare horum alterutrum facere potest et ad dicendum et ad agendum valentem, utrumque autem si in eodem sit, eum præstantissimum inter cæteros reddet. De ingenio igitur et de exercitatione hæc sentio: de institutione autem per præcepta idem dicere nequeo, nec ea similem aut proximam his habet vita. Si quis enim didicerit cunctas leges orationis seque iis accuratissime omnium imbuerit, orationum quidem scriptor plerisque concinnior fortasse erit; quum vero ad populum accesserit, si una confidentia careat, nihil dicere queat.

26.* 15. Neque porro aliquis putet me apud vos quidem minuere pollicitationes, cum autem coram iis loquor qui ad me convenire decreverunt, omnem mihi vim tribuere: cavens enim hujusmodi accusationes cum hanc facultatem tractare cœpi, scriptam orationem edidi, in qua comperiar et eos qui grandiora faciunt promissa increpare et meam sententiam aperire. Quæ igitur in aliis arguo prætermittam; nam prolixiora sunt quam præsens tempus patitur: quid vero ipse declarem aggrediar vobis recitare. Ordior autem hinc:

EX ORATIONE CONTRA SOPHISTAS.

Quod si non tantum alii accusandi sunt, sed mea quoque sententia explicanda est

* * * * * *

prout quidquam ex his desiderabitur, necesse erit et ab ea parte discipulos esse deteriores.

Hæc concinnius sunt dicta quam quæ antea recitata fuere: volo autem per hæc illud declarare, quod vobis maximum argumentum esse debet æquitatis meæ; neque enim quum essem junior, jactator fuisse videbor et grandium promissor; postquam autem re sum fruitus seniorque factus, jam elevare loquendo philosophiam, sed eodem sermone usus et quum essem adolescens et cum illam dimitto, et inscalumis et in discrimine constitutus, et apud discipulos et apud eos qui de me sententiam laturi sunt; quare haud scio qua ratione aliquis veracior aut justior erga illam fuisse ostendi possit. Hæc igitur iis adjiciantur quæ prius de nobis dicta sunt.

26.* 16. Non sum autem nescius, nondum ea quæ dixi movere inimicos posse de suscepta sententia, sed multa adhuc opus esse variaque oratione, ut aliam ab ea quam nunc gerunt mentem induant. Porro oportet ne nos quidem priores a docendo disserendoque deficere; ex quo alterutrum [consequemur] ut vel eorum mentes immutemus, vel contumelias saltem et criminationes quas nunc in nos conjiciunt mendaces coarguamus. Est autem duplex vituperatio. Aiunt enim nugas esse et ludificationem sophistarum scholam: nullam quippe esse institutionem, ex qua quis aut ad dicendum vehementior aut ad res gerendas prudentior evadat; verum qui ad hæc natura paratiores sunt, eos nimirum cæteris antecellere. Alii autem efficaciores quidem pronunciant eos qui in hac disciplina versantur, sed enim corrumpi ac improbiores fieri: ubi enim artem consecuti sunt, alienis insidiari. Quod igitur neutri horum quidquam sanum aut verum dicant, vehementer spero me omnibus ostensurum. Ac primum quidem considerate, qui aiunt nugas esse literariam institutionem, eos omnino ipsos aperte nugari. Traducunt enim illam quasi nihil prodesse queat, sed deceptio ac ludificatio sit; vellent autem discipulos nostros, statim ac ad nos accesserint, differre jam a se ipsis, paucisque diebus contritis sapientiores in dicendo et superiores videri iis a quibus ætate et exercitatione vincuntur, anno autem uno apud me exacto rhetores omnes esse bonos immo perfectos nec ineptiores ignavos laboriosis aut humilis ingenii iis qui generosos animos sortiti sunt. Atque hæc exigunt quum neque me unquam audiverint talia spondentem, neque in aliis artibus et disciplinis simile quid contingere viderint, immo quum omnes cognitiones labore acquiri soleant, neque cuncti qui eas discimus æque in iis proficiamus, sed duo aut tres ex omnibus ludis pugiles evadant, reliqui autem ignobiles abeant. Verum enimvero quis non stultos judicet eos qui illam vim, quæ cæteris haud dubiis artibus non insit, ab hac exigere audent quam nullam artem esse dicunt, quique ab ea quam ipsi exsistere negant plures utilitates requirunt quàm ab iis quæ certo inventæ esse videntur? Oportet autem cordatos homines non inæqualiter judicare de similibus rebus, neque improbare disciplinam hanc quæ idem ac plurimæ aliæ artes efficit. Quis enim vestrum nescit multos a sophistis neque illusos esse neque ita affectos ut isti aiunt, sed alios quidem bonos causidicos effectos, alios ad docendum idoneos; qui vero ex his vitam privatam prætulerunt, tum in congressibus elegantiores esse quam antea fuerant, tum sermonum judices ac consiliarios oculatiores quam alii plurimi? Qui ergo contemnere hanc disciplinam liceat, quæ se utentes tales reddere possit? Jam et hoc cuncti fatebuntur, nos illos absolutissimos in quavis arte atque opificio judicare, qui discipulos quam fieri potest simillimos inter se artifices effecerint. Atqui

philosophiæ hoc ipsum quoque contigisse apparebit. Quotquot enim magistrum nacti sunt non fucatum sed vere sapientem, tam simili orationis genere utuntur ut omnibus pateat eos ejusdem institutionis fuisse participes. Et tamen, si nulla communis iis intercessisset consuetudo nullaque artis conversatio, fieri non poterat ut in tanta similitudine constituerentur. Præterea nemo vestrum plures e simul educatis nominare non potest, qui pueri quidem rudiores erant condiscipulis, grandiores autem facti longo intervallo superarunt prudentia eloquentiaque eos ipsos quibus pueri erant inferiores. Unde quivis cognoscere queat, disciplina quantam vim habeat: patet enim cunctos ea tunc usos mentis facultate quam a natura habuissent; viri autem facti adeo alteri visi sunt præstare alteris ac commutasse inter se ingenium, eo quod hi solute et ignave viverent, illi rebus gerendis et sibi ipsis excolendis vacarent. Quod si nonnulli propria tantum industria meliores fiunt, quid ni assumpto præside et seniore multarumque rerum perito, quique alia quidem ab aliis acceperit, alia ipse excogitarit, quid ni inquam multo magis et suam facultatem augeant et inter cæteros præstent? Sed non ob hæc solum, verum etiam ob reliqua argumenta, merito omnes mirentur eorum inscitiam qui tam temere philosophiam spernere audent: primum quidem si quum videant omnia opificia atque artes commentatione ac sedulitate acquiri, ad ingenium excolendum nihil hanc curam valere putant; deinde si corporum quidem nullum adeo ineptum esse dicant, quod exercitio et labore non fiat melius, animas vero natura corporibus nobiliores nihilo existiment præstantiores fieri institutione curaque opportuna; præterea si ad equos quidem et canes et plurimas bestias artes tenere quosdam videant, quibus alias animosiores, alias mitiores, alias intelligentiores efficiunt, ad hominum vero naturam putent inventam hujusmodi nullam institutionem, quæ ipsos ad aliqua ex his, ad quæ etiam belluas, ducere valeat, sed tantam esse omnium nostrum infelicitatem pronuncient, ut fateantur quidem nostri ingenii vi unamquamque rem fieri meliorem atque utiliorem, nos vero ipsos qui hac pollemus intelligentia qua omnia facimus præstantiora, dicere audeant nihil mutuo juvare posse ad vitæ bonitatem. Omnium autem gravissimum est, si singulis annis contuentes in spectaculis leones mansuetiores erga suos curatores quam quosdam homines erga suos benefactores, ursasque sese versantes luctantesque ac nostras artes imitantes, ne hinc quidem cognoscere valeant quantam institutio et cura vim habeant, quamque eæ celerius nostræ naturæ quàm belluarum prodesse queant: itaque potiore ne jure miretur quis mansuetudinem ferocissimis belluis inductam, an feritatem quæ animis istiusmodi hominum inest? Equidem longe plura de his dici possent: sed si nimis multa de iis disseram quæ apud plurimos certa

sunt, timeo ne id facere videar quia mihi desint argumenta pro controversia.

26.* 17. His igitur relictis, jam ad illos convertar qui quidem philosophiam non contemnunt, multo vero acerbius eam calumniantur, improbitatesque eorum qui sophistas se dicunt, sed aliud quid faciunt, conferunt in eos qui nihil cum illorum studiis commune habent. Ego autem non pro omnibus qui se posse docere profitentur verba faciam, sed pro iis qui merito hac opinione fruuntur. Puto autem me aperte ostensurum vituperatores nostros longe a veritate aberrare, si volueritis ad finem usque audire quæ dicam. Ac primum quidem definire opus est quid spectantes quidve consequi volentes audent quidam peccare: si enim hæc recte complectemur, melius cognoscetis vera ne sint an falsa quæ nobis adscribuntur crimina. Ego igitur voluptatis aut lucri aut honoris causa omnes omnia agere dico: ultra hæc enim nullam cupiditatem hominibus accidere video. Quod si hæc ita se habent, reliquum est ut consideremus, quid horum nos consequemur adolescentes corrumpendo. Utrum lætabimur videntes an etiam audientes eos esse pravos atque tales a civibus judicari? Quis vero ita durus est, qui non angeretur hujusmodi patiens accusationem? Enimvero neque suspiceremur neque magno in honore haberemur, si tales discipulos nostros emitteremus; immo longe majori contemptui ac odio essemus quam qui aliis improbitatibus sunt obstricti. Sed fac ista nos despicere, non profecto maxima stipendia acciperemus si ita institutionem moderaremur. Puto videlicet hoc omnes cognoscere, sophistæ mercedem pulcherrimam ac maximam accidere, si discipulorum quidam boni honesti ac frugi evadant optimaque apud cives opinione utentes: hi enim multis injiciunt cupiditatem ejusdem scholæ, improbi autem etiam eos qui se prius in disciplinam tradere cogitaverant avertunt; ut plane nemo quid in his sit melius non videat, quum res tam lato intervallo inter se differant.

26.* 18. Sed enim fortasse aliquis ad hæc dicere audebit plures homines propter incontinentiam iis quæ ratio suadet non acquiescere, sed utilitate contempta ad voluptates proruere. Ego vero fateor et alios multos et nonnullos etiam qui se sophistas profitentur hoc esse ingenio. Sed tamen ne horum quidem quisquam est ita intemperans, qui velit etiam discipulos esse tales: nam voluptatum quidem quæ ex incontinentia illis acciderent ipse particeps esse non posset, famæ vero quæ ex improbitate eorundem conflaretur plurima parte frueretur. Deinde quosnam corrumperet vel quomodo comparatos reciperet discipulos? Nam et hoc quærendum est: num scilicet male jam moratos et pravos? Quis vero, quæ proprio ingenio novit, ab alio discere queat? Sed dicetis, recipiet corrumpendos bonos et honestorum studiorum cupidos. Verum ne

unus quidem horum cum iis qui pravum aliquid dicunt aut faciunt confabulari patietur.

26.* 19. Illud quoque libenter rescirem ab adversariis meis, quid de iis sentiant qui e Sicilia et Ponto aliisque ex locis ad nos huc navigant ut instituantur? Num eos putant, quia careant ibi pravis hominibus, huc iter suscipere? At ubique magnam copiam quivis inveniat hominum qui secum improbe agere et peccare parati sint. At, dicetis, ut malefici et sycophantæ fiant, multa impendunt. Sed primum quidem qui hac sunt mente, multo libentius aliena accipient, quam quicquam de suó aliis dabunt: deinde quinam improbitatis acquirendæ causa pecuniam insumant, quum liceat ipsis sine ulla impensa esse talibus, statim ac voluerint? Neque enim discere hæc, sed tantum aggredi oportet. Jam vero patet eos et huc navigare et stipendia pendere, cunctaque hæc ideo facere quod et se meliores evasuros et eos qui hic docent multo esse cordatiores quam suos indigenas putant: quibus rebus par esset cives universos gloriari, plurimique eos facere qui hanc opinionem civitati crearunt. Sed sunt quidam ita vecordes, ut quum videant tum advenas qui huc appulerunt tum institutionis præsides nihil pravi molientes, sed in civitate alienissimos a negotiis et quietissimos, sibi vero ipsis vacantes ac societates inter se celebrantes, præterea parce et modeste quotidianam vitam degentes, et orationum studiosos, non earum quæ pro privatis negotiis dicuntur neque quibus aliqui molestiæ afficiuntur, sed quæ cunctis hominibus probantur, tamen audeant iis obtrectare, ac dicere eos hanc colere disciplinam, ut in causis præter jus superiores evadant. Porro quinam ex iis qui ad injustitiam et improbitatem sese exercent, continentius reliquis vivere vellent? Quosnam vero viderunt ii, qui hæc blaterant, improbitatem differre atque in futurum reservare, et non potius præsentem propensionem recta sequi?

26.* 20. Sed vel his omissis, siquidem dicendi vis facit alienis insidiari, omnes disertos oporteret turbulentos esse ac sycophantas: hanc enim causam in omnibus pariter operari necesse est. Nunc autem et inter superstites cives et inter nuper defunctos deprehendetis, qui plurimum eloquentiæ studium præ se tulerint, optimos eorum esse qui suggestum conscendunt; præterea antiquos rhetores qui magnum nomen sunt consecuti, plurimorum bonorum urbi extitisse auctores, initio ducto a Solone. Hic enim dux populi constitutus eas leges tulit, ita res ordinavit urbemque composuit, ut nunc quoque administratio ab eo constituta probetur: deinde Clisthenes a tyrannis ex urbe ejectus, quum eloquentia persuasisset Amphictyonibus ut ex pecunia numinis sibi fœnerarent, et populum reduxit et tyrannos expulit et illam liberta-

tem constituit quæ maximorum Græcis bonorum causa exstitit: post hunc Themistocles dux in Persico bello creatus, quum auctor fuisset majoribus nostris urbem relinquendi — quod quisnam persuadere valuisset, nisi eloquentissimus esset? —, eo res eorum duxit ut, quum ad paucos dies eversi fuissent, ad multum tempus domini Græcorum constituti sint: ad extremum Pericles, quum bonus esset populi ductor et rhetor optimus, ita urbem delubris, donariis, et cæteris omnibus exornavit, ut etiam nunc qui in eam adveniunt, putent dignam eam esse quæ non Græcis solum sed toti orbi imperet; ad hæc in arcem non minus decem millibus talentorum invexit. Atqui ex his viris qui tanta patrarunt nulli eloquentiam neglexerunt, sed tanto impensius cæteris ei studuerunt, ut Solon quidem unus e septem Sophistis appellatus sit atque hoc habuerit cognomentum, quod nunc contemnitur atque in judicium apud vos vocatur; Pericles autem duorum fuerit auditor, Anaxagoræ Clazomenii et Damonis qui eo tempore sapientissimus civium videbatur. Undenam igitur manifestius ostendetur, non vim eloquentiæ maleficos homines reddere, sed eos potius, qui eodem ingenio sunt ac meus accusator, pravis videlicet et sermonibus et factis uti?

26.* 21. Possum autem et loca indicare, ubi cupientibus licet videre turbulentos et eorum criminum reos quæ ipsi in sophistas conjiciunt. In tabulis enim quæ ab archontibus proponuntur, necesse est, in thesmothetarum quidem utrosque inveniri et qui civitatem lædunt et sycophantas, in tabulis autem XIvirorum et publice facinorosos et horum duces, denique in tabulis XLvirorum eos qui in privatis negotiis injurii sunt et qui injustas lites intendunt: quibus plerisque in tabulis et hunc et hujus sodales scriptos invenietis, me autem et qui meum vitæ genus sequuntur in nullo horum alborum, sed ita res quemque suas curantem ut nihil contentionibus egeamus quæ apud vos agitantur. Jam vero eos qui neque in his litigiis versantur neque incontinenter vivunt neque omnino in ulla turpitudine sunt, quid ni potius laudari quam judicium subire par est? Patet enim nos docere discipulos eadem quæ facimus.

26.* 22. Sed adhuc manifestius ex iis quæ dicam cognoscetis quam longe a corrumpendo adolescentes absimus. Si quid enim hujusmodi faceremus, non profecto Lysimachus nec quivis alius sycophanta me horum causa vexaret, sed parentes cerneretis ac cognatos auditorum meorum indignantes, accusantes, pœnasque quærentes de me sumere. Nunc autem ipsi et liberos suos nobis commendant et stipendia pendunt et gaudent cum eos vident diem apud me consumere; at vero sycophantæ accusant et negotium mihi facessunt, quibus quinam libentius multos civium viderent corrumpi et pravos effici? Sciunt enim se in his dominari, a bonis

autem honestis et cordatis viris perdi, siquando deprehendantur. Quare isti prudenter faciunt, cum omnes has abolere disciplinas nituntur, in quibus quos meliores effectos viderint, inimiciores putant futuros suis vitiis et sycophantiis; vos autem decet contraria his facere, atque ea putare pulcherrima studia quibus hos potissimum adversari videtis.

26.* 23. Sed iterum absurda passus sum: dicam enim, licet nonnulli me valde inconstantem appellaturi siat. Paullo quippe ante aiebam multos bonos et honestos viros falsis de philosophia imbutos opinionibus in eam esse exasperatos: nunc autem ita evidentes atque omnibus perspectos sermones meos arbitratus sum, ut nemo mihi videatur vim illius ignorare, vel in me quasi discipulorum corruptorem sententiam ferre, vel hujusmodi aliquid pati de quo paullo ante cum illis expostulabam; sed si vere dicendum est atque id quod menti meæ occurrit, ego existimo eos qui mihi adversantur omnino et sapientiæ et eloquentiæ cupidos esse, sed ipsos quidem has artes negligere, alios per socordiam, alios quia suis ingeniis diffidant, alios aliis de causis — quæ innumeræ esse possunt —, illis autem qui vehementer ea colunt atque adipisci student, quorum ipsi desiderio tenentur, subirasci, invidere, animis concitatis in eos esse, et similia amantium pati: nam quæ criminatio hac convenientior in eos conferri potest? a quibus beati quidem prædicantur ac laudantur ii qui recte uti sermone possunt, increpantur autem adolescentes qui hoc honore potiri student. Ac nemo quidem est qui a diis non peteret se in primis esse eloquentem; sin minus se, certe liberos ac familiares suos: eos autem qui labore et literarum studio hoc efficere nituntur quod ipsi a diis consequi vellent, nihil opportunum facere aiunt, sed interdum quidem ut deceptos et illusos simulant irridere eos, quum iidem autem adolescentes facultatem dicendi nacti fuerint, aliter de iis loquuntur, tanquam ipsi videlicet injuste in causis prævalere possint. Et consultores utique, quum aliquod periculum urbem corripuerit, hos adhibent, qui optime de re gerenda dicere valent, faciuntque id quod isti suaserint; eos porro qui dant operam ut hos utiles talibus temporibus urbi exhibeant, putant esse vituperandos. Et Thebanis quidem cæterisque hostibus inscitiam exprobrant, eos autem qui totis viribus nituntur morbum hunc vitare maledictis incessunt. Atque hoc non perturbationis tantum argumentum est, verum etiam contemptus deorum: nam Sundam unam ex deabus esse existimant videntque urbem singulis annis huic sacrum facere; illos autem qui ejus facultatis quam dea habet fieri participes volunt, tanquam pravæ alicujus rei studiosos corrumpi dictitant. Omnium autem gravissimum est, quod animam quidem nobiliorem corpore sine dubio judicant, et tamen ita sentientes amplectuntur potius gymnasticæ quam philosophiæ studiosos. Jam

vero quid ni stultum sit eos qui viliora curant magis laudare quam qui nobiliora, et quidem scientibus cunctis ob bonum corporis habitum nullum unquam clarum facinus ab hac urbe esse patratum, viri autem [unius] prudentia beatissimam et maximam Græcarum urbium effectam esse.

26.* 24. Ac multo plures congerere posset horum hominum repugnantias is qui junior me esset ac præsentis temporis rationem non haberet: sed sin minus hæc, certe adhuc unum de iisdem dicendum est. Age enim, si qui multis divitiis acceptis a majoribus suis urbi non essent utiles, cives vexarent, pueros ac fœminas dehonestarent, num quis opum accumulatores arguere auderet, nos autem ipsos qui peccant puniendos putaret? Quid? si qui certare armis eruditi contra hostes quidem scientia non uterentur, seditione autem facta multos cives interimerent, vel pugilatum et pancratium quam optime edocti agones quidem negligerent, obvios autem pulsarent, quis non horum magistros laudaret, male autem iis quæ didicerunt utentes occideret? Oportet igitur et erga eloquentiam eadem mente esse, qua erga cætera, nec de similibus contraria judicare, neque se præbere in eam disciplinam infensos, a qua præ omnibus quæ in natura humana sunt bona plurima dimanarunt. Namque aliis quæ habemus, uti jam ante dicebam, nihil a belluis differimus, immo multis celeritate, robore, aliisque facultatibus inferiores sumus: indita autem nobis persuadendi invicem vi declarandique inter nos ipsos quidquid velimus, non modo a ferina vita discessimus, sed et congregati urbes condidimus, leges tulimus, artes invenimus, cunctaque pæne quæ per nos excogitata sunt sermo nobis comparavit. Hic enim justi et injusti, honesti et turpis, jura sancivit, quibus haud constitutis fieri non posset ut simul habitaremus. Hoc et malos arguimus et bonos laudamus. Hoc et insipientes erudimus et sapientes exploramus: nam dicere ut oportet recte sentiendi maximum indicium putamus, sermoque verax, æquus, justus, animæ bonæ et sinceræ imago est. Hoc et de controversis disputamus et incognita quærimus: nam quibus argumentis persuademus aliis dicendo, iisdem deliberantes utimur; et eloquentes quidem vocamus qui ad populum dicere possunt, prudentes autem putamus qui apud se ipsos optime de rebus gerendis disputant. Quod si summatim de hac facultate dicendum est, nihil prudenter factum reperiemus sine sermone, sed et operum et consiliorum omnium ducem fuisse hunc, ac eo maxime usos qui cordatissimi fuerunt. Quarum rerum nullam rationem habens Lysimachus eos accusare ausus est qui huic disciplinæ student, quæ tot tantorumque bonorum causa est.

26.* 25. Quid autem hunc miremur, quum quidam etiam ex iis qui in contentiosis orationibus exercentur, similiter eloquentiam

vituperent communem et utilem, ut stultissimi homines solent; non quia ejus vim ignorant, quodque celerius hæc suos asseclas juvabit, sed quia sperant, hac in crimen conjecta, se suam artem honoratiorem esse effecturos. Contra quos possem multo fortasse acerbius disserere quam contra nos illi; neutrum tamen, ut arbitror, faciendum est, neque scilicet ii imitandi qui invidia tabescunt, neque ii reprehendendi qui nihil quidem auditoribus suis nocent, sed minus quam cæteri valent ad benefaciendum. Pauca nihilominus de iis dicam, maxime quod idem ii in nos fecerunt; tum ut vos clarius cognita eorum facultate, sic de utriusque nostrum sentiatis ut æquum est; ad hæc ut ostendam nos qui in civilibus orationibus versamur, quas illi odia excitare dictitant, multo ipsis esse mitiores: ipsi enim semper de nobis ineptum aliquid garriunt, ego vero nihil ejusmodi dicam, sed vera de iis narrabo. Existimo enim eos qui in contentiosis disputationibus dominantur, tum eos qui astrologiæ et geometriæ et hujusmodi disciplinis operam dant, non nocere, immo prodesse auditoribus, minus quidem quam ipsi spondent, plus autem quam aliis videntur. Plurimi enim hominum existimant nugas et tricas esse has disciplinas: nulla enim pars earum sive ad rem privatam sive ad publicam confert, vel memoriæ ad ullum temporis spatium insidet discentium, eo quod eæ neque vitam comitentur neque rebus gerendis opitulentur, sed omnino extra numerum rerum necessariarum sint. Ego autem neque sic neque longe aliter de istis judico; sed et qui putant nihil prodesse hanc institutionem rebus gerendis, ii recte mihi judicare videntur, et qui eam laudant, vera dicere. Propterea vero non consentientem sibi sermonem dixi, quod ne hæ disciplinæ quidem similem naturam prorsus habent cæterarum quibus erudimur. Cæteras enim tum nobis prodesse comparatum est, quum earum peritiam acquisiverimus; ex his autem studiosissimi quidem earum nihil utilitatis percipient, nisi forte quis decreverit hinc victum lucrari, sed tamen juvenes discentes juvantur: nam quum hi in superfluitate et severitate astrologiæ et geometriæ versati fuerint atque abstrusioribus rebus coacti mentem advertere, præterea assueti dicere et sese exercere circa dicta et demonstrata et mentem haud vagantem habere, his inquam exerciti et exacuti facilius celeriusque graviores et nobiliores disciplinas suscipere ac discere poterunt. Philosophiam igitur non puto posse appellari eam quæ nihil in præsenti sive ad dicendum sive ad agendum prosit; exercitationem autem quandam animi et præparationem philosophiæ voco disciplinam hanc, robustiorem quidem ea qua pueri utuntur in scholis, sed maxima ex parte similem: nam, qui grammaticæ, musicæ, et reliquæ puerili institutioni dant operam, ad melius quidem dicendum vel deliberandum nihildum incrementi capiunt, ipsi tamen ad majores gravioresque doctrinas evadunt

expeditiores. Insumendi igitur in disciplinam hanc aliquod tempus auctor sum adolescentibus, non tamen sinendi ut sua ingenia in his exarescant, aut in fabulas veterum sophistarum delabantur, quorum alii infinitum numerum dixerunt rerum exsistentium, Empedocles autem quatuor, pugnamque et fœdus inter eas, Ion non plures tribus, Alcmæon duas, Parmenides et Melissus unam, Gorgias omnino nullam. Existimo enim hujusmodi opinionum nugas similes præstigiis quæ nullius usus sunt, sed quæ circumstantium stultorum corona cinguntur; oportere autem ab iis, qui aliquid frugi præstare volunt, et sermones vanos et res quæ nihil ad vitam conferunt tolli ex omnibus disciplinis.

26.* 26. Ac de his mihi sufficit hactenus et dixisse et consuluisse: ad sophiam vero et philosophiam quod attinet, iis qui diversas ab hac causas dicunt loqui opportunum non erit de nominibus istis — sunt enim aliena ab omnibus litigiis —, me autem, quoniam et harum causa judicium subeo et quæ a quibusdam philosophia dicitur eam esse nego, decet quænam jure talis reputetur definire atque apud vos aperire. Atqui singulariter prorsus de iis sentio. Quia enim naturæ humanæ non licet eam scientiam acquirere, qua videremus quid deinceps faciendum aut dicendum sit, sophos quidem judico qui sententia plerumque possunt optimum assequi, philosophos autem qui in iis se exercent, ex quibus celerrime hanc scientiam acquirent. Quæ autem studia hanc contineant vim, habeo sane dicere, sed piget efferre: sunt enim mira et inexspectata atque a cæterorum opinione ita remota, ut verear ne eorum initio audito tumultu et clamore totum judicium personetis. Sed licet ita sim affectus, aggrediar tamen de iis dicere: puderet vero si quibusdam viderer propter senectutem et exiguam vitam timidus deserere veritatem. Obsecro autem vos ne præjudicio quodam putetis me ita insanum, ut licet in judicio pericliter, aggressurus essem ad proferendos sermones sententiis vestris contrarios, nisi et prædictis consentaneos putarem, et possem vere ac aperte eos comprobare. Sentio igitur hujusmodi artem, quæ improbos adjuvet ad virtutem justitiamque acquirendam, neque antea fuisse neque nunc adhuc exsistere, eosque qui tales sponsiones faciunt dicta retractaturos atque a nugis cessaturos prius quam hujusmodi disciplinam inveniant: verumtamen eos arbitror semetipsos meliores reddere posse, si ad bene dicendum impense incumbant, curentque se fieri idoneos ad persuadendum audientibus, et si præterea studeant præstare inter cæteros homines, non ita quidem ut stulti id intelligunt, sed ut revera præcellentes evadant. Quod hæc ita se habeant, statim, puto, patebit. Ac primum quidem qui dicere aut scribere aggreditur sermones laude et honore dignos, fieri non potest ut sumat materiam injustam aut tenuem aut de privatis negotiis, sed magnam, pulcram,

humano generi utilem atque ad remp. pertinentem capiet: nisi enim talem excogitet, nihil opportunum conficiet. Deinde rerum quæ ad argumentum faciunt splendidissimas et convenientissimas eliget: jam vero qui res tales assuevit contueri et perpendere, is non tantum ad eum qui præ manibus est sermonem, sed ad alias etiam tractationes eandem vim retinebit; quare simul et dicere et sentire recte continget iis qui philosophice et studiose ad eloquentiam incumbent. Nam neque qui aliquibus suadere aliquid vult, negliget ipse virtutem, sed longe plus his ei studebit, ut quam æquissimam apud bonos cives existimationem obtineat. Quis enim nescit et sermones videri veriores proborum quam eorum qui male audiunt, et argumenta plus posse quæ ex vita consurgunt quam quæ verbis suppeditantur? ita ut quanto quis vehementius optat persuadere auditoribus, tanto magis conari debeat bonus esse et honestus ac bene apud cives audire. Ac nemo vestrum putet alios quidem omnes cognoscere quanti momenti sit ad persuadendum placere judicibus, philosophos autem solos ignorare benevolentiæ vim: nam multo cæteris accuratius tum hoc sciunt, tum etiam probabilia et conjecturas et universum argumentorum genus eam solum partem juvare, ad quam unumquodque eorum dictum sit, famam vero boni et honesti viri non tantum reddere probabiliorem sermonem, sed honorabiliores etiam actiones ejus qui hac opinione fruitur; qua de re cordatis viris laborandum est magis quam de reliquis omnibus.

26.* 27. Quod igitur attinet ad studium præstandi cæteris, quod omnium probatu difficillimum a me dictum est, si quis existimat alienorum fraudatores, deceptores, aut quovis alio modo maleficos præstare cæteris, non recte sentit; nulli enim homines in tota vita aut deteriore quam hi conditione sunt, aut pluribus in angustiis versantur, aut probrosius vivunt, aut omnino infeliciores sunt: oportet autem existimare et nunc præstare cæteris et præstituros in posterum, apud deos quidem eos qui sunt pientissimi et in eorum cultu diligentissimi, apud homines vero qui in eos quibuscum versantur sunt benevolentissimi et qui prorsus egregii videntur. Atque hæc et ita revera se habent, et sic de iis loqui præstat: nunc enim adeo inversa sunt multa et confusa in urbe, ut ne nominibus quidem idoneis utantur nonnulli, sed ea a nobilissimis facinoribus ad vilissima studia transferant. Nam scurras qui subsannare et mimice agere valent egregios appellant, quum contra opus esset eos qui virtute excellunt hanc obtinere appellationem; et eos qui vitiis atque improbitatibus dediti parva quidem assequuntur, malam autem famam acquirunt, præstandi cæteris studiosos putant, non vero ita sentiunt de sanctissimis et justissimis viris qui bonitate nedum improbitate cæteris præstant; et eos qui necessaria negligunt, veterum autem sophistarum præstigiis delectantur, philosophari aiunt, contemnuntque

illos qui ea didicerunt atque exercuerunt quibus et suam privatam domum et remp. bene administrarent, quarum rerum scilicet gratia et laborandum et philosophandum et omnia agendum est. A quibus vos multo abhinc tempore adolescentes avertitis, dum institutionem hanc calumniantibus aures præbetis. Jamque effecistis ut horum modestissimi in compotationibus et conventiculis et desidia et lusibus ætatem ducant, quia neglexistis scilicet curare qua ratione meliores evaderent; jam ii qui pejore natura sunt, in iis incontinentiis totos dies agunt, in quibus antea ne servus quidem paullo modestior versari ausus esset: ac eorum alii ad Enneacrunum vinum refrigerant, alii in cauponis potant, alii in lustris alea ludunt, multi in tibicinarum ludis tempus terunt. Atque illos quidem qui juvenes ad hæc impellunt, nemo eorum qui curam hujus ætatis se gerere dicunt ad vos detulit: nobis autem et malum infertur, quibus par esset gratiam haberi, si nullo alio nomine, certe quia auditores nostros ab hujusmodi vitæ genere deterremus. Ita porro iniquum est in omnes sycophantarum genus, ut eos quidem qui viginti atque etiam triginta minis meretrices redimunt, quæ reliquam quoque domum simul profligaturæ sunt, adeo non objurgent ut et gratulentur eorum incontinentiis; eos vero, qui quantulumcumque pecuniæ in propriam institutionem impendunt, corrumpi dicant. Verum quinam iniquius hac accusatione petantur, quam hi qui in tali ætatis flore spreverunt eas voluptates, quas æqualium plurimi appetunt? quum autem in eorum potestate esset desidere sine ullis impensis, laborare maluerunt cum dispendio: jamque vix e pueris egressi ea sciebant quæ multi e senioribus ignorant; oportere nimirum eum qui bene ac decenter moderari ætatem ac vitæ pulcrum initium facere velit, sibi primum quam aliis curam impendere, neque præmature quærere ut aliis præsit antequam suæ ipsius mentis rectorem sit passus, neque tam gaudere et exsultare reliquis bonis quam iis quæ in animo per institutionem gignuntur. Jam qui hac sunt mente, quid ni laudentur ac optimi et continentissimi inter coætaneos habeantur, nedum vituperentur? Miror autem, si qui eos qui natura sunt eloquentes beatos prædicant tanquam bonum quid pulcrumque sortitos, illos autem qui tales fieri volunt conviciis lacessunt quasi iniquæ et vitiosæ institutionis studiosos. Jam vero quænam res natura sua bona, si studio ea comparetur, turpis aut mala fiat? Nihil ejusmodi reperiemus, immo aliis in rebus eos qui industria sua bonum aliquod consequi potuerunt, luculentius laudamus quam eos qui id a majoribus receperunt. Nec injuria: expedit enim cum in cæteris rebus, tum maxime in eloquentia, non fortunam sed curam celebrari. Qui enim a natura et fortuna sunt eloquentes, non optimum sibi proponunt, sed ut sunt comparati, ita uti oratione solent: qui autem philosophia et studio vim hanc consecuti sunt, nihil non meditate dicentes, minus

circa res ipsas peccant. Quare omnibus cupiendum est multos esse ex institutione eloquentes, maxime autem vobis: vos enim præstatis atque excellitis inter alios non bellicis studiis, nec quia optime remp. administratis aut quia accuratissime leges observatis quas vobis majores reliquerunt, sed iis rebus quibus natura hominum belluis genusque Græcorum barbaris præstant, quia nimirum ad sapientiam et eloquentiam melius ceteris erudimini. Quare omnium iniquissimum foret, si eos qui volunt inter cœtaneos excellere iis ipsis rebus, quibus vos inter cunctos, corrumpi pronunciaretis, eosque qui ea disciplina utuntur, cujus vos principes estis, calamitate aliqua implicaretis.

26.* 28. Par quippe est ne hoc quidem latere vos, omnium qui dicere aut docere possunt civitatem nostram jure videri fuisse magistram. Merito: patet enim et præmia proponere maxima iis qui hanc facultatem tenent, et exercitationes plurimas ac mire varias exhibere iis qui ad causas orandas animum applicuerint atque in his disciplinis sese exercere velint; præterea experientiam, quæ maxime facit eloquentes, hinc cunctos desumere; tum et linguæ communem usum et moderationem et reliquum leporem ac philologiam non parum conferre putant ad eloquentiæ institutionem; quare non immerito existimant cunctos eloquentes hujus urbis esse discipulos. Cavete igitur ne omnino sit ridiculum de hac fama absurdum quid dicere, qua vos magis apud Græcos quam ego apud vos utor: nullum enim crimen nisi vestrum ipsorum aperte damnaretis; idemque faceretis ac si Lacedæmonii eos qui bellica exercent punire vellent, aut Thessali de equestris artis studiosis pœnas capiendas censerent. Quapropter cavendum vobis est, ne quid ejusmodi contra vosmet peccetis, neque credibiliores reddatis sermones eorum qui urbem vituperant quam eorum qui laudant.

26.* 29. Existimo autem vos non ignorare alios quidem Græcorum vobis esse infensos, alios vero quam maxime vobis esse amicos spemque salutis in nobis collocare. Dicunt autem hi postremi hanc solam esse urbem, reliquas vero pagos; jureque hanc Græciæ urbem appellari et propter magnitudinem et propter commoditates quæ hinc aliis accidunt, maxime vero ob incolarum morem: nullos enim esse humaniores aut tractabiliores vel quibuscum familiarius toto vitæ tempore versari quis velit. Tanta porro exaggeratione utuntur, ut ne graventur quidem dicere, se libentius a viro Atheniensi puniri quam ab aliorum barbarie beneficio affici velle. Illi contra qui vos oderunt, his laudibus obtrectant; sycophantarum autem acerbitatem et incommoda narrantes universam urbem tanquam inhospitalem et crudelem criminantur. Est igitur sapientium judicium, eos quidem qui horum sermonum causa sunt interimere, utpote qui ingens dedecus urbi creant; illos autem qui laudum

earum quæ de urbe prædicantur partem aliquam conferunt, honorare magis quam athletas qui in coronariis agonibus vincunt: multo enim illi pulcriorem et convenientiorem gloriam urbi acquirunt. Nam quod attinet ad corporum exercitia multos æmulatores habemus, in literis vero primas cuncti nobis deferunt. Oportet igitur, si qui paullum res æstimare valent, eos, qui excellunt iis rebus ob quas civitas bene audit, manifeste honorare, nedum illis invidere, neque secus ac cæteri Græci solent de ipsis decernere. Quod nunquam vobis cordi fuit? sed ita ab utilitate vestra aberrastis ut cariores habeatis eos per quos male auditis, quam per quos laudamini, ac magis populares eos judicetis qui in causa sunt ut multi huic urbi sint infensi, quam eos qui omnes quibuscum versantur urbi conciliant. Siquidem igitur sapitis, ab hac perturbatione cessabitis, neque ut nunc alii quidem inimici alii negligentes eritis philosophiæ, sed existimantes animi cultum pulcherrimam esse et honestissimam occupationem, hortabimini adolescentes, qui sufficienti patrimonio sunt prædíti ac sibi vacare queunt, ad hoc exercitium et studium; eosque, qui laborem subire volunt seque utiles urbi comparare, plurimi facietis; qui vero abjecte vivunt ac nihil aliud cogitant nisi ut bonis sibi relictis luxuriose fruantur, eos aversabimini proditoresque urbis et majorum gloriæ judicabitis: vix enim, si sic sentient erga utrosque eorum vos affectos, volent juniores despecta desidia mentem sibi et philosophiæ advertere. In memoriam revocate præstantiam magnitudinemque rerum ab hac civitate majoribusque gestarum, et vobiscum ipsi commemorate ac considerate, qualis erat et quo loco natus quaque ratione institutus is qui tyrannos ejecit, populum reduxit, et libertatem constituit; qualis ille qui barbaros ad Marathonem pugna vicit gloriamque ex hac partam urbi acquisivit; quis et is esset qui post illum Græcos liberavit majoresque nostros ad principatum et dominationem quam tenuerunt evexit, quique præterea opportunitatem Piræei notavit et mœnia invitis Lacedæmoniis urbi circumjecit; quis vero is qui post hunc argento et auro arcem complevit domosque privatas magna copia et divitiis instruxit: invenietis autem, si hos singulos perpendetis, non ex classe eorum fuisse qui ignave vivunt aut sycophantiose neque similes majori civium numero eos qui hæc patrarunt, sed præstantes et primos non solum nobilitate et fama, verum etiam prudentia et eloquio, omnium bonorum auctores exstitisse. Quæ animis reputantes, æquum est, vos quod quidem ad plebem attinet, hoc curare ut in causis de privatis negotiis jus suum obtineant atque in aliorum communium bonorum partem veniant; eos autem qui natura et disciplina præstant quique tales fieri nituntur, complecti, honorare et colere, quippe qui sciatis ad pulcra et præclara facinora duces se præbere, urbem e

periculis posse servare, libertatem conservare, in his, non vero in sycophantis, esse repositum.

27. Etsi autem multa in mentem mihi veniunt, nescio tamen quid de eis statuere debeam: nam singula quæ cogito per se mihi dictu commoda et æqua videntur, si vero nunc omnia proferantur, magna molestia et me et auditores affectura esse. Atque adeo vereor ut prolixa etiam superiorum commemoratio fastidium effugerit. Omnes enim tam insatiabili dicendi cupiditate tenemur, ut opportunitatem laudemus nec quicquam præstabilius esse dicamus; quum vero aliquid habere videmur quod dicamus, neglecto modo semper aliquid prioribus paulatim adjiciendo in extremam importunitatem incidamus. Nam et ego, qui hæc dico ac sentio, vobiscum adhuc disserere volo.

28. Indignor enim quum sycophantiam conditione meliore esse video quam philosophiam, et illam quidem accusare, hanc vero causam dicere. Quod quis veterum fuit qui futurum esse crederet, apud vos præsertim qui sapientiores aliis haberi vultis? Apud majores certe quidem alia ratio fuit. Nam eos qui sophistæ dicebantur magni faciebant eorumque familiares beatos judicabant, sycophantas autem perniciosissimos homines existimabant. Cujus rei maximum signum illud est, quod Solonem, qui primus civium hoc cognomen sortitus fuit, gubernatorem ac principem civitatis esse voluerunt; in sycophantas autem graviores quam in alios maleficos leges tulerunt. De summis enim injuriis in uno judicari prætorio voluerunt, hos vero et ad sexviros citari, et deferri apud senatum, et apud populum accusari sinunt, existimantes istius generis artifices omnem improbitatem excedere. Nam alios id studere tantum ut sua maleficia tegant, istos ubique ostentare suam crudelitatem et inhumanitatem odiumque de industria quæritare.

29. Ac illi quidem sic de eis statuerunt: vos vero tantum abest ut puniatis eos, ut his et accusationes aliorum mandetis et iisdem legumlatoribus utamini. Atqui decebat eos nunc in odio majore esse quam olim. Tunc enim pervulgatis duntaxat in negotiis nostræ urbis et subinde in orbem redeuntibus nocebant civibus; quum vero aucta urbe et magistratum nacta majores nostri, audaciores facti quam oportuit, viris bonis ac præstantibus, quorum virtute respublica est amplificata, quam consecuti sunt, auctoritatem inviderunt, et homines improbos audaciaque plenos expetiverunt, opinati eos quod et audaces sint et nullas inimicitias reformident popularem statum posse tueri, et quum ex infimo loco emerserint, non superbos aut novarum rerum fore studiosos — ex ista mutatione quæ in rempublicam pericula invecta non sunt, quæ maxima mala qui istis ingeniis homines erant et dicto et facto non perfecerunt? Nonne laudatissimis civibus et reipubl. maxime profuturis oligarchiæ et Laco-

num studium objicere non prius destiterunt, quam eos perpulissent ut objecta crimina vere in se admitterent et tales fierent quales esse a calumniatoribus dictitabantur? socios vero vexando et calumniando, et optimos quosque re familiari spoliando, eo redegerunt, ut a nobis alienati ac repulsi Lacedæmoniorum amicitiam et societatem adamarint? Quibus de rebus bello nobis concitato, multos civium conspeximus partim trucidatos, partim captos ab hostibus, partim rei familiaris penuria oppressos, atque etiam popularem statum bis abrogatum, et patriæ mœnia diruta, et, quod maximum est, urbem in periculum servitutis et excidii adductam et arcem ita ut hostes in ea habitarint occupatam.

30. Sed enim sentio, quanquam efferor iracundia, nos aqua defici, ac me incidisse in materiam quæ totum diem postularet atque ad accusationem esse delapsum. Præterita igitur multitudine calamitatum, quarum isti auctores fuere, et rejecta molestia et turba eorum quæ de istorum calumniis dici possent, paucis omnino adjectis orationem jam nunc concludam.

31. Alios quidem reos video, ubi jam defensionis finem attigerunt, supplicare, obtestari, liberos suos atque amicos ad deprecandum subornare; ego vero neque decere quicquam istius generis hanc meam ætatem existimo, et præter hoc quod ita sentio, etiam erubescerem, si alia res saluti ac præsidio mihi fuisset quam orationes ante recitatæ [a me et conscriptæ]. Scio enim me ita sancte et juste locutum esse tum de republ. tum de majoribus nostris tum de diis immortalibus in primis, ut, si qua illis rerum humanarum cura est, nec ea quæ mihi nunc accidunt eos ignorare putem. Quare nihil exhorresco quicquid de me statueritis, sed confido et in spe optima situs sum mihi tunc ultimum vitæ diem adventurum, quando id vobis expediet, hoc signo adductus, quod hactenus etiam in hunc usque diem ita vixi, quemadmodum pios homines vivere decet, quorum diis mutua cura est. De me igitur, ut qui hoc animo sim, quique existimem quicquid vobis visum fuerit id e re mea futurum, ut libitum placitumque fuerit, ita vestrum quisque suffragium ferat.

ISOCRATIS

DE BIGIS.

1. De Jugo igitur equorum, patrem meum eos habuisse non Tisiæ ereptos, sed de civitate Argivorum emptos, et e legatorum qui illinc venerunt et cæterorum qui rem noverunt testimoniis audivistis. Omnes autem eodem modo me calumniari solent. Quum enim de privatis negotiis me in jus vocent, de rebus ad rempublicam pertinentibus accusant, et plus temporis consumunt patre meo criminando quam eo de quo ipsi jusjurandum calumniæ dederunt explicando, et leges usque adeo contemnunt, ut injuriarum, quibus ab eo vos affectos esse dicunt, a me pœnas exigant. Ego vero sic existimo, crimina publica nihil attinere ad privatas controversias: sed quia Tisias patris exsilium sæpe mihi objicit, in exquirendis vestris quam suis rebus curiosior, de his ipsis me purgare necesse habeo: erubescerem enim, si cui civium minus de illius existimatione quam de meis periculis sollicitus esse viderer.

2. Ac quod ad seniores attinet res paucis absolvi posset; omnes enim sciunt per eosdem viros et popularem statum sublatum esse et patrem meum urbe pulsum: propter juniores autem, qui, quum post res illas gestas nati sint, calumniatores sæpe audiverunt, narrationem altius exordiar.

3. Qui populo pridem insidiati fuerant, et Quadringentos constituerant, patrem meum ad coeundam secum societatem vocaverunt; quod quum ille recusasset, quia virum esse videbant in rebus gerendis acrem et populo fidelem, non putarunt se ulla vetera instituta loco movere posse, nisi illum e medio sustulissent. Quia vero sciebant urbem de religione gravissime irasci solere si quis Cereris initia violasset, cæteris vero in rebus si democratiam abrogaret, utrumque crimen hoc commenti, retulerunt ad senatum patrem meum cœtus habere secum ad res novandas, qui quidem in Poulytionis ædibus concœnantes mysteria celebrarent. Urbe igitur propter criminum magnitudinem concitata, et concione celeriter convocata, tam evidenter eos mendaciorum coarguit, ut accusatores populus libenter suppliciis affecisset, eum vero ducem in Siciliam crearit. Posthæc ipse trajecit quasi jam calumnia liberatus; isti vero senatu sollicitato et oratoribus sibi per largitiones adjunctis rem de integro commoverunt et delatores subornarunt. Quid multis opus est? nec enim prius conquierunt quam et patrem ab exercitu revocassent,

et ex ejus amicis alios occidissent alios urbe ejecissent. Is igitur audita et hostium potentia et familiarium suorum calamitatibus, quamvis indigne secum agi existimans, quod præsens ne in judicium quidem adductus, absens autem condemnatus esset, ne sic tamen ad hostes defecit; tantaque diligentia cavit ne patriam re ulla vel in exsilio offenderet, ut Argos profectus otium egerit, illi vero prioribus injuriis haud contenti persuasere vobis eum tota Græcia pellendum esse inque cippo proscribendum et per legatos ab Argivis exposcendum. Quapropter animi dubius quo se in his malis converteret, exclusus undique, nullaque spe salutis alibi relicta, tandem ad Lacedæmonios confugere est coactus.

4. Et res quidem sic acta est: eo vero insolentiæ processerunt inimici, ut, cum pater tanta iniquitate pulsus urbe fuerit, eum tamen quasi summum scelus admisisset accusant, [et crimini dare student] eum et Deceleam contra remp. muniisse et insulas ad defectionem impulisse et magistrum hostium exstitisse. Ac alias eum a se contemni simulant, ut qui nihil aliis antecelluerit, nunc autem quæcunque acta sunt ei uni adscribunt, et ab eo quo pacto bella gerenda sint edoctos esse aiunt Lacedæmonios, qui eam artem ipsi alios docere possunt. Ego vero, nisi temporis angustiis excluderer, facile ostenderem eum alia jure egisse, de aliis injuste in crimen vocari. Quid vero fieri queat iniquius, quam, quum pater meus post fugam præmium acceperit, me propter illius exsilium plecti?

5. Censeo autem jure illi omnino veniam a vobis esse tribuendam: nam a triginta tyrannis expulsi iisdem quibus ille malis conflictati estis. Unde in animum revocandum est, ut quisque vestrum affectus fuerit et quid animi habuerit et quid periculi non adisset, ut ne inquilini loco diutius esse cogeretur, et ut in patriam reversus pœnas de iis sumeret, qui se ejecissent. Quam urbem, quem amicum, quem hospitem non adistis precaturi ut vobis adjumento essent ad patriam recuperandam? Quid a vobis omissum est, quod reditum pareret? Annon occupato Piræeo et segetes vastastis et agros cæsis arboribus populati estis? non suburbia incendistis? non muros denique oppugnastis? Hæc ita decere ac ex officio facienda censuistis, ut, si qui de numero exsulum quieti se dedidissent, illis magis irasceremini quam calamitatum auctoribus.

6. Quamobrem culpandi non sunt qui eadem quæ vos concupiverunt, nec in improborum numero habendi viri qui patria pulsi redire ab exsilio studuerunt, sed illi potius qui quum domi manserint exsilio digna perpetrarunt: neque inde ordiendum est, si judicare velitis qualis pater meus civis fuerit, quum urbs jam nihil ad eum attineret, sed ab eo tempore considerandum, qualem erga populum se præbuerit antequam in exsilium ageretur, ut, quum ducentos duntaxat armatos haberet, maximas Peloponnesi urbes a

societate Lacedæmoniorum abduxerit, ad vestram societatem adduxerit, quanta illis pericula intulerit, ut in Siciliam exercitum duxerit. Nam ob hæc vos gratiam ei habere debetis: quæ vero in calamitate acciderunt, illis per quos exactus est imputare.

7. Memoria repetite quanta post reditum beneficia in rempublicam contulerit, ac illud in primis, quo statu rerum eum susceperitis; quum quidem imperium populi abrogatum esset, quum cives factiosi tumultuarentur, quum milites a magistratibus hic constitutis dissiderent, et utrique in eam insaniam incidissent ut neutris spes ulla salutis relinqueretur: nam alteri eos qui urbem tenebant inimiciores sibi putabant quam Lacedæmonios, alteri eos qui Decelee erant accersebant, existimantes satius esse patriam hostibus tradere quam eos in civitatem recipere qui bella pro republica gerebant. Quum igitur hi civium animi essent, et hostes terra marique tenerent omnia, atque etiam vos pecunias non haberetis, rex Persarum autem illis affatim suppeditaret, prætereaque nonaginta naves e Phœnicia Aspendum venirent paratæ ad opem ferendam Lacedæmoniis, quum igitur in tantis malis inque talibus periculis civitas versaretur, a ducibus accersitus non fastum præ se tulit ob eas res, non ob anteacta succensuit, neque consilium cepit de futuris, sed mox cum republica quidvis perpeti maluit quam cum Lacedæmoniis esse felicissimus, ac planum fecit omnibus se bellum gessisse cum suis inimicis non vobiscum, et in urbem redire non evertere urbem voluisse. Vobiscum autem conjunctus et Tissapherni persuasit ne pecunias suppeditaret Lacedæmoniis, et effecit ne socii a vobis desciscere pergerent, et de suo militibus stipendia solvit, et libertatem populo restituit, et cives inter se reconciliavit, et Phœnissas naves avertit. Posthæc vero, quot triremes ceperit, quot prælia vicerit, quot urbes vi expugnarit, quam multis oratione vestram amicitiam persuaserit, singulatim enumerare immensi negotii esset: quum autem urbs illis temporibus plurima prælia commiserit, nunquam tamen patre meo duce hostes trophæum contra nos erexerunt. Ac rerum illius ductu gestarum equidem scio multas me præterire, quas accurate commemorare propterea nolui, quod fere omnes illas meministis.

8. Invadunt et in privatam patris mei vitam libidinose nimis et confidenter, nec ea libertate verborum in mortuum invehi dubitant, qua eo vivente uti non auderent, tantaque dementia illos invasit, ut existiment se tum apud vos tum apud alios eo majore gloria futuros, quo plura et majora in eum maledicta congesserint; quasi vero quisquam ignoret etiam nequissimis hominibus licere non de viris tantum præstantissimis sed de diis etiam immortalibus contumeliose loqui.

9. Fortassis igitur curare sermones omnium dementiæ fuerit: sed

tamen vel in primis cupio de patris moribus ac studiis verba facere apud vos, re paulo altius repetita et mentione majorum facta, ut intelligatis a prima nobis origine maxima inter cives et pulcherrima ornamenta contigisse.

10. Nam pater meus ex gente Eupatridarum fuit, quorum nobilitas de ipso cognomine facile intelligitur, materna stirpe Alcmæonida, qui divitiarum evidentissimum monumentum reliquerunt — Alcmæon enim primus civium Olympiæ bigis equestribus vicit —, benevolentiam autem suam erga populum tyrannicis temporibus declararunt: quamvis enim cognatione cum Pisistrato conjuncti essent, et priusquam is imperium cepisset, familiarissime illo uterentur, tamen ejus tyrannidis socii ac participes esse noluerunt, sed exsulare patria quam cives servitute oppressos intueri maluerunt. Et, quum ea seditio quadraginta durasset annos, tyrannis ita præ cæteris invisi fuerunt, ut eorum factione victoriam adepta non tantum sedes ipsorum diruerentur sed sepulcra etiam effoderentur, a coexsulibus autem tanta eis fides habita est, ut omni eo tempore populi duces fuerint. Postremo Alcibiades et Clisthenes, alter paternus alter maternus patris mei proavus, imperatores designati ab exsilio populum reduxerunt, et tyrannis ejectis eam democratiam constituerunt, in qua cives ad fortitudinem ita instituti sunt, ut barbaros, qui contra totam Græciam venerant, soli prælio vincerent; tantaque justitiæ gloria floruerunt, ut ultro eis Græci maris imperium traderent; et civitatem tantam redderent tum potentia tum reliquis copiis, ut, qui eam esse Urbem Græciæ dicunt et aliis magnificis verbis ornare solent, vera dicere videantur.

11. Caritatem igitur populi tam vetustam et sinceram et beneficiis maximis partam a majoribus accepit: ipse vero pupillus relictus est — nam pater ejus in Coroneo prælio cum hostibus dimicans ceciderat —, tutorem autem Periclem habuit, quem omnes utique fateantur omnium civium fuisse et modestissimum et justissimum et sapientissimum. Quod ipsum etiam in præclaris habendum esse duco, si cui talibus orto natalibus tam præstans vir et tutor et educator et vitæ magister contigerit. Jam quum adolevisset, a virtute illorum quos jam diximus non degeneravit, nec ipse otio ac luxu diffluens majorum virtute gloriari voluit, sed statim tanta fuit magnitudine animi, ut existimaret oportere propter semetipsum et illorum res gestas in memoriam revocari.

12. Ac primum quum Phormio mille Athenienses armatos contra Thraciam duceret, fortissimis delectis, cum his profectus ita se gessit in prœliis ut corona ornaretur et ab imperatore panoplia donaretur. Enimvero quodnam ejus officium [esse credi debet], qui laudes maximas mereatur? Annon cum præstantissimis civibus militantem primas ferre, et ducentem contra Græcorum fortissimos

exercitum in omnibus pugnis exsistere longe superiorem? At ille alterum adolescens adeptus est, alterum jam natu grandior præstitit.

13. Posthæc matrem meam uxorem duxit. Nam et hanc eum præmii loco propter excellentem virtutem accepisse censeo. Cujus pater Hipponicus, quum et opibus primus esset inter Græcos et genere nemine civium inferior et suis temporibus in summo honore et admiratione habitus, quumque filiam porro cum dote maxima et gloria insigni esset elocaturus, omnes et quidem optarent nuptias illas, principes vero tantum ambirent, patrem meum delectum ex omnibus generum adjungere desideravit.

14. Circa eadem tempora quum videret Olympicam celebritatem ab omnibus amari maximique fieri, et Græcos ibi et opes suas et vires et ingeniorum dexteritatem ostentare, nec eos tantum qui se ibi bene gessissent in admiratione esse, sed et eorum qui vicissent urbes celebrari, prætereaque munera quæ hic obirentur civibus deberi pro re familiari ac privata, quæ vero in illam celebritatem conferrentur ad omnes pertinere Græcos et pro republica nostra fieri, hæc inquam reputans, quamvis nec ingenio nec robore corporis ulli cederet, gymnica tamen certamina despexit, quum sciret pugilum nonnullos et sordido genere ortos et minime liberaliter institutos esse et in obscuris oppidulis habitare, verum ad alendos equos animum adjecit, quod ut beatissimorum munus est, sic nemo vilis præstare queat, nec eos tantum qui tum cum eo contendebant, sed omnes qui unquam vicerant, superavit. Nam et tot bigas immisit, quot bigis ne maximæ quidem urbes certaverunt, et tam egregias, ut et primus esset et secundus et tertius. Ad hæc in sacrificiis et aliis quos feriæ illæ solennes requirunt sumptibus tanta fuit liberalitate et magnificentia, ut aliorum publicæ opes illius privatis minores haberentur. Denique sic ab illa festivitate discessit, ut principum virorum felicitas præ ejus gloria parva videretur, et qui eo tempore vicerant in admiratione esse desinerent, et iis, qui in posterum equos alere instituerent, nihil reliqui faceret quo excellentiam ipsius superarent. Jam de ejus in hac urbe ædilitatibus et gymnasiarchiis et trierarchiis dicere me pudet. Tantum enim aliis antecelluit, ut qui tenuius quam ille res eas administrarint, ex his se ipsos laudibus efferant: pro illo vero si quis etiam tantorum sumptuum gratiam repeteret, de parvis verba facere vidéri possit.

15. Quod autem ad rempubl. attinet, nec enim hoc prætermittendum est, quemadmodum eam nec ipse neglexit, multo iis etiam quorum summa gloria est in populum benevolentior et beneficentior exstitit; nam alios propter semetipsos seditiones excitasse, eum vero pro vobis pericula subiisse reperiemus. Non enim quod repelleretur ab oligarchia, sed, quum ad eam accerseretur, popularis fuit: et, quum sæpe licuisset non tantum aliis imperare cum paucis,

sed illis ipsis etiam plus posse, tamen noluit, ac potius esse duxit injuriis a civitate affici quam rempubl. prodere. Atque hæc, dum summa rerum adhuc penes populum esset, persuadere vobis nemo potuisset: nunc factæ seditiones perspicue vobis ostenderunt, qui populares, qui oligarchici, qui neutrius status appetentes, qui utriusque cupidi fuerint. Nam in iis seditionibus bis a vestris inimicis pulsus est: ac in priore, quum primum eum removissent, populi per eos prostrata est auctoritas, in posteriore statim post vestri oppressionem primus ipse fuit quem exsilio mulctarint; usque adeo subinde nostra urbs amplissimos e patris mei felicitate fructus percepit, contraque publicæ urbis calamitates in ejus caput redundarunt. Enimvero multi civium et infensi fuerunt tanquam regnum affectanti, non quod factis suis ejus rei suspicionem daret, sed quia putabant, cum ipsam rem omnibus expetendam videri, tum eam ejus esse potentiam ut ea facillime ipsi potiretur. Quo majorem ei merito gratiam haberetis, quod quum solus civium is esset in quem ea suspicio cadere videretur, pari tamen in republ. æquoque jure cum cæteris vivere voluit.

16. Tam multa porro sunt quæ pro patre meo dicam, ut dubitem cujus nunc mentio facienda, quæ prætermittenda sint: subinde enim ea majora mihi videntur quæ nondum exposita sunt iis quæ jam apud vos diximus. Nam illud quoque nemini dubium esse arbitror, quin eum necesse sit rebus secundis civitatis maxime gaudere, ad quem pars maxima bonorum et malorum redit. Quis autem florente republ. inter omnes cives eo fuit vel felicior vel admirabilior vel æmulatione dignior? quis eadem afflicta vel spe majore vel pluribus opibus vel ampliore gloria est orbatus? Annon postremo triginta tyrannis imperantibus alii urbe duntaxat exsularunt, ipse vero tota Græcia exterminatus est? Annon Lacedæmonii et Lysander non minus laborarunt de eo perimendo quam de imperio vobis adimendo, existimantes muris etiam dirutis se nostræ urbi fidere nihil posse, nisi illum etiam perdidissent qui eos instaurare posset? Quare non ex ejus beneficiis duntaxat, sed etiam ex infortuniis, quæ propter vos tulit, ejus benevolentia facile perspicitur. Apparet enim eum populo suppetias tulisse, formam reipubl. vobiscum eandem expetivisse, ab iisdem afflictum esse, una cum civitate fortunam adversam habuisse, eosdem vobiscum et amicos et inimicos judicasse, omnis generis periculis functum, partim per vos, partim vobiscum, partim propter vos, partim pro vobis; fuit igitur civis omnino dissimilis Charicli istius affini, qui servire hostibus, civibus imperare voluit, qui otium in exsilio egit, in patriam restitutus urbem afflixit. Quis autem esse queat vel amicus nequior vel hostis magis contemnendus? Tu tamen quum sis affinis illius, et sub triginta tyrannis senator fueris, alios incessere non dubitas ac veteres vulnera refri-

care? neque te pudet ea fœdera violare, quorum beneficio tu in urbe manes? non cogitas, si decretum fuerit ut veteres offensæ vindicentur, tibi et ante me et majora pericula fore subeunda? Nec enim scilicet paternorum delictorum ego pœnas dabo, tibi vero tuorum facinorum gratia fiet. At vero non easdem tibi fuisse causas facile apparet: non enim patria pulsus sed rempublicam una gerens, neque coactus sed ultro, neque ultor sed auctor injuriarum, cives violasti; quare ne defensio quidem istorum criminum tibi concedenda erit.

17. Sed de iis quæ a Tisia gesta sunt fortassis aliquando in istius periculis dabitur uberior dicendi locus: a vobis autem peto ne me inimicis omni præsidio destitutum prædæ esse patiamini, neque exitio mihi sitis. Nam ante plus satis malorum perpessus sum, qui quidem quum primum in lucem prodii, pupillus sum relictus, patre acto in exsilium, matre vero mortua, et annos nondum quatuor natus ob patris fugam in vitæ periculo fui, ac puer adhuc a triginta tyrannis urbe sum ejectus. Et quum ii qui in Piræeum confugerant rediissent, aliique suas opes recuperarent, ego solus agro, quem nobis populus pro publicatis pecuniis dederat, inimicorum violentia sum spoliatus. Tot igitur calamitatibus conflictatus et bis amissa re familiari nunc de quinque talentis causam dico. Et actio quidem instituta est de pecuniis, revera autem id agitur an in civitate mihi manere liceat. Nam, quum eædem mulctæ in tabulas publicas referuntur, non omnes iisdem de rebus in periculum vocantur: nam divitum quidem pecunia agitur, inopum vero qualis ego sum dignitas, cujus jacturam exsilio acerbiorem duco; multo enim miserius est, apud suos cives ignominiose vivere quam apud alios agere inquilinum. Vos igitur oro ut me juvetis, neque ab inimicis contumeliose vexari aut patria spoliari aut hujusmodi cladibus nobilitari patiamini. Jure autem res ipsæ mihi a vobis commiseratione impetrarent, tametsi ego vos eo deducere verbis non possem, si modo commiseratione digni sunt qui nullo suo merito periclitantur ac maximis de rebus in discrimen vocantur, et fortuna tum se tum suis majoribus indigna premuntur, et maximis opibus spoliati maximam vitæ mutationem experiuntur. Quamvis autem multa mihi sunt quæ deplorem, ob hæc potissimum tamen indignor, primum si huic pœnas dare cogar de quo ego sumere deberem, deinde si propter Olympicam patris victoriam ignominia notabor, ob quam aliis præmia dari video, præterea si Tisias nunquam de republica benemeritus et in democratia et in oligarchia magnus ac potens erit, ego vero, quum neutros offenderim, ab utrisque male tractabor: si vos, in aliis quidem actionibus diversam a triginta tyrannis rationem secuti, in me eodem animo quo illi fuerunt eritis, egoque tum quidem vobiscum nunc autem per vos civitate exterminabor.

ISOCRATIS

TRAPEZITICUS.

1. Magna mea res agitur, judices. Nec enim tantum de plurimis pecuniis in discrimen venio, sed existimatio quoque mea, quam ego maxime facio, periclitatur ne aliena injuste concupiscere videar. Satis enim opum etiam his fraudato mihi relinquetur. Sed si absque justa causa tantam pecuniam petere videbor, ea res perpetuæ mihi infamiæ fuerit.

2. Est autem, judices, incommodissimum, in tales incidere adversarios. Nam quicquid cum mensariis agitur fit sine testibus: quod si quis ab eis circumventus fuerit, adversus eos experiri cogitur, qui et amicorum præsidiæ habent et multas pecunias tractant et propter artem boni viri ac fide digni existimantur. Quæ quum ita sint, tamen perspicue declaraturum confido, a Pasione me pecunia fraudari.

3. Quare ab initio [ut potero] vobis rem omnem recensebo. Mihi, judices, pater Sopæus est, quem omnes qui in Pontum navigant ita familiarem Satyro esse norunt, ut et amplam provinciam gubernet, et omnibus copiis militum præsit. Ego vero, quum et de hac urbe et de cætera Græcia audivissem, peregre abire desideravi. Pater igitur duabus navibus frumento plenis pecuniaque data me ablegavit simul et mercandi et spectandi gratia: et, quia Pythodorus Phœnix Pasionem mihi commendarat, ejus mensa usus sum.

4. Aliquanto post, quum pater meus regni affectati apud Satyrum accusatus esset, egoque cum exsulibus conspirasse dicerer, Satyrus et patrem meum in vincula conjicit, et ad Ponticos negotiatores huc scribit ut et pecunias a me auferrent et ipsum redire domum juberent: quod ni fecissem, a vobis exposcerent.

5. Tantis igitur malis, judices, circumventus apud Pasionem fortunas meas deploro: nam ita eum complectebar familiariter, ut non pecunias tantum sed alia quoque ejus potissimum fidei crederem. [Existimabam autem, si pecunias universas amisissem et patri meo aliquid accidisset, me et hic et illic opibus spoliatum ad summam inopiam redactum iri: sin esse mihi pecunias faterer et post Satyri

literas eas postulantis non tradidissem, id et patri et mihi gravissimas calumnias pariturum.] Nobis igitur deliberantibus consultissimum videbatur ut [dicerem omnia me facturum quæ Satyrus imperasset, et] pecunias quas in promptu haberem traderem, quæ vero apud istum essent, eas non modo negarem, sed etiam fœnore plures accepisse tum ab isto tum ab aliis simularem, omnia denique facerem per quæ illis maxime persuaderetur mihi non esse pecunias.

6. Tunc igitur, judices, putabam Pasionem mihi cuncta hæc suadere ex benevolentia: re vero cum Satyri legatis transacta, eum fortunis meis tetendisse insidias animadverti. Nam quum Byzantium navigaturus mea recipere vellem, iste pulcherrimam sibi occasionem esse datam ratus est — quippe quod et pecunia apud se reposita magna esset ac digna impudentia, et ego multis audientibus negassem me quicquam habere, nemoque ignoraret me, quum pecunias legati peterent, fassum esse aliis etiam me debere —, adque hæc, judices, putabat, si hic mansissem, me a civitate Satyro deditum iri, sin alio me contulissem, se facile posse negligere querelas meas, sin rediissem in Pontum, me una cum patre periturum,— hæc igitur cogitans me fraudare pecuniis instituit. Ac apud me quidem simulabat, se in præsentia minus a pecunia paratum reddere non posse: sed, quum rem certo cognoscere volens Philemelum et Menexenum ad eum misissem, inficiatus apud eos est se meum quicquam habere. Tantis igitur ab omni parte malis oppresso mihi quid animi fuisse censetis? Nam si tacerem, id consequebar ut ab isto pecuniis fraudarer; sin dicerem, ut et eas nihilo plus reciperem, et apud Satyrum mihi simulatque patri maximum crimen conflarem. Optimum igitur esse duxi quiescere.

7. Post hæc, judices, mihi nuntiatur et patrem carcere liberatum esse, et Satyrum ita pœnitere omnium quæ fecisset, ut patri et fidem suam arctissime obstrinxerit, et prius imperium amplificarit, et meam sororem suo filio uxorem despondérit. His Pasio auditis, quum me aperte jus meum persecuturum sciret, Cittum puerum occulit, qui quid de pecuniis actum esset conscius erat. Quem quum ego quæsiturus accessissem, quod me nullam actionis meæ probationem evidentiorem habere posse crederem, orationem affert audacissimam et iniquissimam, me et Menexenum puerum qui ad mensam sederet corrupisse et sex ab eo talenta per fraudem abstulisse: ne vero id facinus argui et per tormenta veritas exquiri posset, dicebat nos occultasse puerum, nunc vero ad se accusandum venisse, et eum postulare quem ipsi occuluissemus. Hæc quum diceret, et indignabatur et lacrymabatur, et me ad polemarchum trahebat, sponsores postulans, neque prius destitit, quam sex talentum sponsores ei dedissem. Voca mihi harum rerum testes.

TESTES.

8. Testes audivistis, judices: ego vero, quum alias pecunias perdidissem, de aliis per summam contumeliam accusarer, ipse inquirendi causa in Peloponnesum abii, Menexenus vero puerum hic deprehendit, eumque comprehensum postulat in quæstionem tum depositi gratia tum ob ea propter quæ iste nos in crimen vocarat. Pasio autem tanta fuit confidentia, ut eum pro libero assereret, neque vereretur aut metueret, quem a nobis plagio abductum et a quo nos tantam pecuniam abstulisse dicebat, eundem in libertatem asserere ac prohibere ne torqueretur. Jam quod omnium gravissimum est, quum Menexenus puerum a polemarcho sponsione facta exposceret, Pasio septem talenta pro eo depòsuit. Prodite testes.

TESTES.

9. His ita peractis, judices, putavit e præteritis actionibus manifeste suam improbitatem elucere, seque deinceps ea delicta correcturum censuit; itaque ad nos accessit, professus se non recusare quominus puerum det in quæstionem. Quæsitoribus delectis ad Vulcani ædem convenimus. Ac ego quidem petebam ut deditus puer flagellaretur et torqueretur, donec eum vera dicere putarent: Pasio vero iste eos a se lectos dicebat non ut carnifices, sed jubebat verbis, si quid vellent, puerum percontari. Orta igitur inter nos controversia, quæsitores dixerunt se puerum non esse torturos, sed æquum esse pronuntiarunt ut Pasio mihi puerum traderet. Is vero a quæstione tantopere abhorrebat, ut de tradendo quidem eis parere nollet, sed argentum solvere paratus esset si condemnatus ab eis esset. Voca testes.

TESTES.

10. Quum autem post congressus, judices, omnes eum injurium et iniquissimum hominem judicarent, qui puerum, quem ego dixeram scire de pecuniis, quum prius ipse occultasset, a nobis occultatum diceret, postea deprehensum ut liberum torquere prohiberet, post eundem pro servo deditum tortoribus delectis verbo torquere juberet, re non permitteret, his igitur de causis sibi nullum patere effugium, si in jus ambulasset, existimans, per internuntium me rogavit ut in templo se convenirem. Quum autem in aream ventum esset, involuto capite plorabat, ac paupertate se adactum dicebat ut iret inficias, sed brevi daturum operam ut pecunias redderet; neque precabatur ut sibi ignoscerem calamitatemque tegerem, ne resciscetur se, qui deposita soleret accipere, ad hunc modum deliquisse. Ego vero eum facti pœnitere existimans concedebam, jubebamque

rationem inire, qua et ipsi consuleretur et mihi satisfieret. Triduo post congressi fidem mutuo dedimus omnino tacitum iri quæ acta essent, quam iste solvit ut vos ipsi progressu orationis audietis, ac pollicitus est se in Pontum mecum navigaturum et ibi aurum redditurum, ut quam longissime ab urbe mihi satisfaceret, neque quisquam qui hic esset modum reconciliationis nosset, et ipse peregre profectus dicere posset quicquid libuisset: quæ ni fecisset, arbitrium certis conditionibus se ad Satyrum delaturum, ut sesquialteræ partis damnaretur. Conscriptis igitur codicillis inque arcem educto Pyrone Pheræo, in Pontum navigare solito, pacta illi custodienda damus, ea conditione, ut si inter nos convenisset, scriptum comburaret, sin minus, ut Satyro traderet.

11. Hæc, judices, inter nos acta sunt: Menexenus autem, iratus ob crimen sibi etiam a Pasione objectum, die illi dicta petiit ut Cittus dederetur, ac Pasioni mentienti mulcta eadem irrogaretur, quæ sibi criminis illius convicto luenda fuisset. Iste vero, judices, me precabatur ut Menexenum placarem: nihilo enim melius secum actum iri, si ex pacto ses alienum in Ponto mihi dissolvisset, et hic nihilominus ridiculus fieret: puerum enim, si torqueretur, omnibus de rebus veritatem dicturum. Ego vero petebam ut arbitratu suo cum Menexeno transigeret, mihi vero præstaret quod promisisset. Ille igitur tempore humilis erat, et quo se verteret nesciebat, non de quæstione tantum et constituto judicio sollicitus, sed etiam de scripto, ne id a Menexeno deprehenderetur.

12. Quum igitur æstuaret, et nullum aliud remedium inveniret, cum pueris rem conficit; tabulas, quæ Satyro reddendæ erant, nisi mihi iste satisfecisset, adulterat. Quod quum primum peregisset, omnium hominum factus audacissimus, ait se neque in Pontum navigaturum neque sibi mecum rei quicquam esse; tabulas coram testibus aperiri jubet. Quid vobis multa dicam, judices? scriptum in tabulis inventum est, eum mihi omnia quæ debuisset persolvisse neque me quicquam ab eo præterea postulare.

13. Rem igitur omnem, quam diligentissime verissimeque potui, vobis recensui. Suspicor autem Pasionem e corruptis tabulis petiturum sibi defensionem atque in illis omne suum præsidium collocasse. Vos igitur me, quæso, attendite: spero enim per hæc ipsa illius improbitatem declaraturum.

14. Primum autem illud cogitate. Quum daremus hospiti pactionem, qua iste sibi omnia remissa esse asserit, ego vero aurum mihi reddendum esse affirmo, jubebamus hospitem, si inter nos transegissemus, comburere tabulas; sin minus, Satyro reddere: et hæc esse dicta uterque nostrum confitetur. Quid vero nobis in mentem venisset, judices, ut juberemus eum tabulas reddere Satyro, nisi inter nos convenisset, si quidem Pasio causa liberatus fuisset, re ad

exitum deducta? Annon evidens est, nos eam pactionem ita fecisse quasi res nondum transacta esset, de qua istum ex tabulis mihi satisfacere oportebat? Jam causas ego dicere possum, judices, ob quas iste promiserit se aurum redditurum. Quum enim nos ex criminibus apud Satyrum erepti essemus nec ipse Cittum depositi conscium occultare posset, existimavit, si puerum in quæstionem dedisset, suas machinationes deprehensum iri, sin id non fecisset, se esse condemnandum; his igitur de causis mecum transigere voluit. Jubete et istum indicare, cujus ego lucri spe aut cujus periculi metu ipsum crimine liberarim? Quod si nihil horum vobis ostendere poterit, annon æquius erit mihi credi de tabulis quam isti? Enimvero, judices, hoc facile intelligitur, si veritus essem ut actio a me probari posset, licuisse mihi etiam nulla pactione facta causa desistere: istum vero tum propter quæstionem tum propter causæ dictionem apud vos non extra periculum esse potuisse, nisi ego accusator assentirer. Quare non me de absolutione, sed istum de solutione pecuniarum pactiones facere oportuit. Deinde id quoque monstri simile est, me priusquam tabulæ conscriberentur rei sic diffisum esse, ut Pasioni non tantum causam omnem remiserim, sed etiam pactionem de ea fecerim: postquam vero evidentissimo isto testimonio me ipse damnarim, tum demum apud vos judicio experiri voluisse. Quis vero est qui suis de rebus talia consilia inire velit?

15. Illud autem argumentum omnium evidentissimum est Pasionem in pactione non absolutum, sed se aurum velle reddere pollicitum fuisse: nam quum ei Menexenus diem dixisset, tabulis nondum adulteratis, misso Agyrrhio, qui est utrique nostrum familiaris, petebat ut aut Menexenum placarem aut pactionem secum initam abrogarem. Atqui, judices, num putatis eum fuisse postulaturum ut pactio aboleretur, qua nos si mentiremur convicturus erat? Non ille quidem mutata jam scriptura eadem illa dixit, sed in omnibus ad eam confugit et tabulas resignari jussit. Eam igitur pactionem primum abolere voluisse uti constet, ipsum Agyrrhium testem producam. Adscende.

TESTIMONIUM.

16. Nos igitur pactionem fecisse, non ut Pasio dicere audebit, sed ut ego vobis exposui, satis esse demonstratum arbitror. Neque vero mirandum est eum tabulas adulterasse, non eo tantum quod multa jam talia facta sunt, sed etiam quod quidam Pasionis familiares his multo graviora commiserunt.

17. Pythodorum enim cognomento Tabernarium, qui pro Pasione omnia et dicit et facit, quis vestrum ignorat anno superiore urnis resignatis eos exemisse judices qui a senatu injecti fuerant? Is

igitur, qui ob rem parvulam capitis adire periculum ausus est, ut has aperiret, quæ quidem et a consulibus signatæ et ab ædilibus obsignatæ erant, et a quæstoribus custodiebantur, et in arce asservabantur, quid miri est, si tabellas apud hominem peregrinum sitas, tantam pecuniæ vim lucraturi, seu pueris ejus persuasis seu alio quopiam modo re confecta, adulterarunt? De his igitur haud scio plura dicere quorsum attineat.

18. Jam autem Pasio quibusdam persuadere conatus est mihi prorsus nullas pecunias hic fuisse, quod a Stratocle trecentos stateres sim mutuatus. Quare operæ pretium est de his etiam audire, ut sciatis quibus argumentis fretus me pecuniis fraudet.

19. Ego, judices, Stratocle in Pontum navigaturo, quum inde quamplurimas pecunias exportare vellem, precatus sum Stratoclem ut suum aurum mihi relinqueret, idque in Ponto a patre meo reciperet, magni lucri id instar esse putans, si mea pecunia in navigatione non periclitaretur, præsertim quum eo tempore Lacedæmonii maris imperium tenerent. Hoc igitur signo confido eum non probaturum me pecuniam hic non habuisse; mihi vero aurum apud istum fuisse, firmissimas probationes ea ipsa erunt quæ cum Stratocle egi. Nam Stratocle interrogante quisnam sibi pecuniam redditurus esset, si pater ea quæ literis continerentur non fecisset, aut ipse reversus hic me non reperiret, ad Pasionem eum adduxi, qui se et sortem et usuras ei redditurum promisit. An vero putatis, si nihil apud eum depositum habuissem, eum tam facile tantæ pecuniæ sponsorem mihi futurum? Prodite testes.

TESTES.

20. Fortassis autem, judices, de illo etiam testes producet, me apud Satyri procuratores negasse quicquam habere præter ea quæ ipsis tradidissem, item ipsum merces meas invasisse, me confitente trecentas ei drachmas debere, et Hippolaïdam, hospitem et familiarem meum, a se mutuum sumere permisisse.

21. Ego vero, judices, illis quæ dixi malis circumventus, tum iis quæ domi habueram spoliatus, tum quæ hic erant legatis dare coactus, quum nihil mihi reliquum esset, nisi si quid celare possem retento auro quod apud istum depositum erat, fateor me et de trecentis drachmis esse confessum et cæteris in rebus ea et dixisse et egisse, per quæ illis facillime persuasum foret nullas mihi pecunias esse. Quæ non ex inopia me fecisse, sed ut illis fidem facerem, facile intelligetis. Primum enim testes producam, qui me sciunt magnas opes e Ponto attulisse, deinde eos qui viderunt me istius mensa uti, quin illos etiam a quibus eo tempore amplius mille stateres aureos alia pecunia commutavi. Præterea, tributo nobis imperato et aliis censibus habitis, ego plurimum inter omnes

hospites contuli, atque ipse delectus mihi quidem tributum maximum inscripsi; pro Pasione autem deprecatus sum quæstores, quod a meis pecuniis auferetur. Prodite testes.

TESTES.

22. Ipse præterea Pasio, non quidem verbis, sed facto ipso mihi testimonium his de rebus perhibebit. Navem enim onerariam, cui ego multas merces imposueram, quidam detulit quasi Delii cujusdam esset. Quum vero ego eam mihi asserrem et in portum subduci juberem, quidam eorum, qui calumniando quæstum facient, ea consilia inierant, ut pene indicta causa ego perissem. Tandem vero persuaderi sibi passi sunt ut vades a me acciperent. At Philippus paternus hospes accersitus, venit ille quidem, sed periculi magnitudine perterritus se subduxit: Pasio vero Archestratum mensæ præfectum mihi exhibuit septem talentum sponsorem. Atqui, si parva duntaxat jactura fuisset facienda et me nihil hic habere scivisset, nequaquam pro me tantam pecuniam spopondisset. Sed evidens nimirum est eum mihi gratificantem trecentas a me drachmas postulasse, ut septem talentum sponsorem esse factum, quum existimaret satis sibi cautum esse auro meo apud se deposito. Me igitur multum pecuniæ habuisse, eamque in hujus mensa depositam, tum factis Pasionis vobis probavi, tum ex aliis quibusdam audivistis.

23. Sic autem, judices, ut mihi quidem videtur, rectissime percipietis omnem controversiam, illud tempus si recordemini, et quo loco res nostræ fuerint spectetis, quum ego Menexenum et Philomelum misi qui depositum reposcerent, ac Pasio primum abnegare ausus fuit. Patrem enim meum fuisse comprehensum et opibus universis privatum, neque mihi licuisse, qui status rerum mearum tum fuit, vel hic manere vel navigare in Pontum, reperietis. Atqui utrum verisimilius est, me in tantis calamitatibus injuste accusare, an Pasionem tum nostris ingentibus malis tam magnitudine pecuniæ impulsum fraudare nos voluisse? Quis vero unquam adeo calumniarum cupidus exstitit, ut ipse in vitæ periculo constitutus alienis opibus insidiaretur? Qua spe, quo consilio contra fatum injuste venissem? An ut meam potentiam reformidans mox argentum mihi numeraret? Atqui non ita cum utroque nostrum agebatur. An vero negotio in forum deducto etiam præter æquitatem meliore conditione futurus eram apud vos quam Pasio? At ne hic quidem manere parabam, quum timerem ne me Satyrus deposceret. An ut nullo meo commodo istum inimicum haberem? at nemo in tota urbe fuit quo familiarius uterer. Et quis vestrum est qui me tantæ insaniæ et inscitiæ condemnaret?

24. Est autem, judices, operæ pretium considerare quam absurdâ et minime credenda Pasio idemtidem dicere instituerit. Quum enim ita mecum ageretur, ut etiamsi fateretur me pecuniis a se fraudari, persequi tamen injurias non potuissem, tam criminatur me injuste litem inferre conatum esse: quum autem reconciliata Satyri gratia istum omnes judicio convictum iri crederent, tum demum ait me totam sibi litem condonasse. Quo quid fieri potest absurdius?

25. Neque vero in his tantum, sed ceteris pariter in rebus cum sibi contraria tum dicere tum agere palam deprehenditur: qui quum puerum, quem ipse occultarat, plagio per nos abductum conquestus esset, eundemque quum census ageretur pro servo cum ceteris familiis inscripsisset, ubi Menesenus eum in quæstionem postulavit, pro liberò asseverarit. Deinde, quum depositi nos fraudaret, criminari non dubitarit nos a sua mensa sex talenta accepisse. Enimvero quam in rebus ita manifestis mentiri non dubitaret, quid ei fidei habendum est de iis quæ solus cum solo egit?

26. Postremo, judices, quum se ad Satyrum navigaturum et quicquid ille pronuntiasset facturum promisisset, etiam in eo me decepit; ac ipse quidem navigare noluit, sæpe me postulante, sed Cittum misit: qui quum eo venisset, se hominem ingenuum esse dixit, genere Milesium, atque a Pasione missum ut exponeret quid actum esset de pecuniis. Satyrus autem utroque nostrum audito jus quidem dicere de contractibus hic factis noluit, quum præsertim iste nec adesset nec quod illic decerneretur facturus esset; sed tam insignem injuriam mihi fieri judicavit, ut navicularios convocatos rogarit ut opem ferrent neque injuria me affici paterentur, et scriptas ad civitatem vestram literas Xenotimo Cancri filio perferendas dederit. Lege.

LITERÆ.

27. Quum autem, judices, tanta meæ causæ sit æquitas, illud evidentissimum signum esse arbitror me pecuniis a Pasione fraudari, quod puerum depositi conscium in quæstionem dare noluit. Quæ enim contra mensarium alia probatio evidentior esse possit? Nec enim scilicet testes adhibemus. Video autem vos quoque neque publicis neque privatis in rebus quicquam fide majore dignum aut verius existimare tormentis, ac fieri quidem posse ut aliqui subornentur qui testes sint rerum non factarum, per cruciatus autem extorta testimonia perspicue ostendere utri vera dicant. Quæ iste haud ignoravit, eaque de causa vos conjectura ut iquam rem vere intelligere maluit. Neque vero dicere potest, quæstiones pro nobis potius quam pro se futuras fuisse, propterea que se puerum dedere noluisse. Omnes enim scitis ei, si contra istum dixisset, per omne

vitæ suæ tempus summam istius crudelitatem fuisse perferendam, sin animi constantia tormentorum acerbitatem superasset, tum libertate donandum tum fraudatæ pecuniæ participem futurum fuisse. Etsi autem tanto meliore conditione futurus erat, conscientia tamen facinorum æstuans et judicium detrectare et alias criminationes subire maluit, ut ne quid certi de negotio per quæstiones comperiretur.

28. Itaque vos rogo, judices, ut horum memores Pasionem condemnetis, neque arbitremini me ita esse improbum ut, qui in Ponto habitem, et tantas opes habeam ut aliis etiam benefacere possim, Pasionem calumniatum advenerim et de falsis depositis accusatum.

29. Est etiam Satyri et patris mei habenda ratio, qui longo jam tempore vos inter omnes Græcos maximi faciunt, qui quum ob frumenti penuriam sæpe naves aliorum mercatorum vacuas dimiserint, vobis exportandi facultatem dederunt: in privatis etiam contractibus, quorum illi judices sunt, non tantum pari sed etiam liberaliore jure disceditis. Quare vos eorum literas parvi facere non decet. Quæso igitur vos, ut et propter me et propter illos ea quæ justa sunt decernatis, neque Pasionis mendacem orationem plus quam causæ meæ veritatem valere patiamini.

ISOCRATIS

EXCEPTIO

ADVERSUS CALLIMACHUM.

1. Si qui etiam alii talem exceptionem in forum attulissent, ab ipsa re exorsus essem: nunc de lege primum dicere necesse est qua in judicium venimus, uti controversia quæ inter nos est cognita pronuntietis, nemoque vestrum miretur, me qui reus sim priorem dicere accusatore. Postquam e Piræeo in urbem reversi quosdam cives ad calumniandum vidistis incitatos, qui pacta solvere instituerent, tum ut illos compesceretis, tum ut aliis ostenderetis vos non coactos sed utilitate reipubl. adductos pacificationem admisisse, Archino rogante legem scivistis, si quis actionem contra datum jusjurandum institueret, ut reo statu translationis uti liceret utque prætores ea de re in primis referrent, et is priore loco diceret qui crimen præscriptione summoveret, uter vero succubuisset, is multam solveret, ut qui veteres offensas renovare auderent, non perjurii tantum convincerentur neque divinam duntaxat ultionem expectandam haberent, sed confestim etiam pœnas darent. Iniquum igitur esse duxi, quum hæc legibus constituta essent, calumniatorem tantum triginta drachmarum periculo certare, rem vero meam totam familiarem in discrimen venire.

2. Ostendam autem Callimachum non tantum contra fœdera litem intendere, sed falsa etiam crimina comminisci, et arbitri quoque sententiam intercessisse. Ac rem vobis omnem ut ab initio gesta est exponam: hoc enim ubi cognoveritis, nullam ei a me ortam esse injuriam, vos et fœdera libentius defensuros arbitror et isti fore iratiores.

3. Decemviris qui post triginta tyrannos constituti fuerunt imperantibus, accidit ut ego cum Patrocle, qui tum regem agebat, familiari meo ambularem. Is Callimacho inimico suo, qui me nunc accusat, pecuniam ferenti factus est obviam. * * * quod ex iis esset qui in Piræeum confugissent. Qua de re contentione orta, factisque mutuis convitiis, cum alii multi concurrerunt, tum forte fortuna Rhino etiam unus e Decemviris accessit. Mox igitur Patrocles ad

eum de pecuniis refert: is ad collegas istorum utrumque ducit. Qui quum senatus auctoritati rem permisissent, facto judicio decretum est pecuniam illam esse publicam. Post, quum exsules e Piræeo rediissent, de Patrocle querebatur eumque accusabat ut auctorem illius calamitatis: re vero cum illo transacta, et decem minis extortis, Lysimachum criminabatur: acceptisque ab eo etiam ducentis drachmis, mihi negotium facessebat. Ac primum quidem illud afferebat me adjutorem illis fuisse, tandem autem ita frontem perfricabat, ut omnem culpam in me unum conferret: quæ fortassis etiam nunc afferre audebit. Ego vero testes ad vos producam, eos primum qui ab initio interfuerunt, uti constet me eum nec apprehendisse neque pecuniam attigisse, deinde collegas etiam, qui sciunt Patroclem non me rem ad ipsos retulisse, atque etiam senatores, e quorum testimoniis cognoscetis illum fuisse accusatorem. Age, voca rerum harum testes.

TESTES.

4. Quum igitur tam multi actis illis interfuerint, tamen iste, perinde ac si nemo esset conscius, tum ipse in circulos sese ingerens et in officinis sedens verba faciebat ut qui pessime a me tractatus pecuniisque spoliatus esset, tum ejus familiares quidam me conveniebant suadentes ut cum eo controversiam illam transigeram, nec male audire vellem aut in magnæ pecuniæ periculum venire, etiamsi mihi optimam habere causam viderer; multa enim in judiciis præter opinionem evenire, et apud vos in ferendis suffragiis casum potius quam æquitatem dominari, quare utilius et conducibilius esse mihi parvo sumptu magnis criminibus liberari quam nulla pecunia numerata tantum periculum subire. Quid vobis ea singulatim commemorem, quæ a me pleraque prætermissa de hujusmodi negotiis dici solent? Tandem igitur parui — nam omnem veritatem vobis dicam — ac ducentas isti drachmas dedi. Ne vero de integro calumniari liceret, arbitrum certis conditionibus Nichomachum Batensem sumpsimus.

TESTES.

5. Ac primum pacta iste servabat, deinde consilio inito cum Xenotimo, qui et leges adulterat et judicia corrumpit et magistratus vexat, malorum denique omnium auctor est, die dicta decem millia drachmarum a me postulat. Quum autem ego teste producto actionem dari posse negarem quod arbitrium intercessisset, testem rerum peragere noluit; sciebat enim, nisi quintam suffragiorum partem tulisset, sibi mulctam fore solvendam: sed agendi potestate a magistratu impetrata rursus eandem mihi actionem intendit, ut minore

periculo spertularum duntaxat experiretur. Ego vero animi dubius quo in his malis me verterem, tandem consultissimum esse duxi sequato utrimque discrimine in judicium venire. Ac res ita actæ sunt.

6. Audio autem Callimachum in animo habere non tantum falsa mihi crimina impingere, sed arbitrium etiam negaturum, et hujusmodi orationem esse meditatum, se nunquam Nicomachum sumpturum arbitrum fuisse, quem olim nobis familiarem esse sciret, nec esse consentaneum ducentas pro decies mille drachmis accipere voluisse.

7. Vos autem consideretis velim primum nos ad arbitrum venisse re non controversa sed pactione facta. Quare nihil absurdi fecit si Nicomachum arbitrum dedit, sed id potius esset inconveniens, si re jam transacta de arbitro rixaretur. Deinde, si quidem illi decies mille drachmæ deberentur, non veri esset simile, duabus minis fore contentum: sed, quum injuste criminaretur et per calumniam, nihil miri est tantillum accipere voluisse. Præterea si multa postulavit, panca exegit, non eo argumento probat arbitrium non intercessisse, sed illud potius, se nos initio per injuriam accusasse. Miror autem eum, qui se posse intelligere putet, non esse verisimile se pro decies mille drachmis ducentas accipere voluisse, me excogitare non potuisse credere, si mentiri voluissem, dicendum fuisse me longe plus numerasse. Peto autem, quantum ei argumentum est arbitrii non interpositi, quod in accusatione perscripta non obtinuerit, ut tantum mihi quoque illud signum sit me de arbitrio vera dicere, quod testem reum peragere ne voluisse quidem illum constat.

8. Cæterum, si nec arbitrium factum esset nec ulli de re testimonium dicerent, sed conjecturis duntaxat nitendum esset, ne sic quidem vos non facile quid justum esset cognituros arbitror. Nam si hactenus alios etiam læsissem, non immerito statueretis, me erga istum etiam deliquisse: nunc me neminem civium vel pecuniis multasse vel in periculum capitis adduxisse, vel deletum e societate reipublicæ in Lysandri catalogum inscripsisse, constabit. Atqui triginta tyrannorum improbitas multos impulit ad talia facienda; facinorosos enim non modo non puniebant, sed quibusdam etiam scelera imperabant. Nemo autem me vel sub illorum imperio tale quicquam admisisse inveniet: iste vero sibi factam injuriam conqueritur, ejectis jam triginta tyrannis, et Piræeo occupato, et populo rerum potiente, quum jam de pacificatione ageretur. An vero creditis, eum qui sub triginta tyrannis modeste se gesserit, injurias in id tempus faciendas reservasse, quo cæteros suorum facinorum pœnitebat? Quid vero dici potest a veritate abhorrentius, quam me, qui inimicorum ulciscendi neminem voluerim, istum lædere instituisse, cum quo nihil unquam rei mihi fuerat?

9. Ac me quidem in causa non fuisse ut Callimachi pecunia publicaretur, satis ostensum esse puto: isti autem non licuisse afferre in judicium illorum temporum controversias, ne tum quidem si fecissem omnia quæ ille arguit, e fœderibus cognoscetis. Cape libellum.

FŒDERA.

10. Annon igitur justam præscriptionis meæ causam habui, quum aperte fœdera omni periculo liberent tam delatores quam quadruplatores atque alios qui simile quippiam designarunt, egoque ostendere possim me neque hæc egisse neque aliud quicquam deliquisse? Lege etiam jusjurandum.

JUSJURANDUM.

11. Ferendum igitur, judices, quum talia fœdera sint, et tali jurejurando firmata, ut Callimachus, eloquentia sua fretus, se vobis persuasurum esse putet ut his contraria decernatis? Quod si actorum civitatem pœnitere videret, minus esset mirandum: nunc non ferendis tantum legibus ostendistis vos fœdera magnifacere, sed etiam Philonem Cœlæum delatum falsæ legationis, quum res ipsam tueri nullo modo posset, tamen ob hoc unum quod fœdere nitebatur, et dimisistis et ne judicium quidem de eo facere voluistis. Quum autem civitas illis etiam parcendum esse censeat qui se peccasse fatentur, iste prorsus innocentes calumniari non dubitat. Atqui ne illud quidem eum præterit, Thrasybulum et Anytum, tum in urbe potentissimos tum pecuniis multis spoliatos, quamvis quadruplatores norint, tamen eos in jus vocare non audere neque meminisse injuriarum; etsi enim cæteris in rebus plus aliis possunt, quod ad fœdera tamen attinet, æquo et pari jure cum cæteris virendum sibi censent. Neque hi solum hac æquitate usi sunt, sed nec vestrum quisquam talem actionem instituere ausus fuit. Atqui committendum vobis non est ut jusjurandum, quod in vestris negotiis servatis, propter istius calumniam negligatis, et, quum privatas transactiones auctoritate publica sanciatis, civitatis conventiones privatim a quolibet everti patiamini. Illud autem in primis admiratione dignum fuerit, vos, dum obscurum esset adhuc utrum reconciliatio e republica futura esset necne, ita eam jurejurando firmasse, ut, etiamsi non expediret, stare tamen conventis necesse esset, si nunc demum postquam eventus tam felix fuit, ut etiamsi fides data non esset, hanc reipublicæ formam conservari deceret, a jurejurando recedetis; quum iis qui fœdera delenda esse dixerunt fueritis irati, istum, qui ea jam in literas relata frangere audet, impune dimittetis? Sed neque justa neque vobis digna neque prioribus vestris decretis consentanea faceretis.

12. Cogitate autem vos maximis de rebus judicaturos convo-

sisse. De fœderibus enim suffragia laturi estis, quæ nullo unquam tempore neque vobis erga alios neque aliis erga vos neglexisse profuit: in quibus tanta vis est, ut plerasque res tum Græcorum tum barbarorum ex pactis et conventis transigantur. His enim freti convenimus, et commercia agitamus: per hæc inter nos contrahimus, per hæc tum privatas inimicitias tum communia bella deponimus: hoc uno tanquam communi bono homines omnes uti non desistimus. Quare cum omnium officium est fœdera tueri, tum vestrum in primis.

13. Nec enim diu est, quum nobis bello subactis et in hostium potestatem redactis, quo tempore nostram urbem multi everssam volebant, ad jusjurandum et fœdera confugiendum fuit; quæ si Lacedæmonii violare auderent, quantopere quisque vestrum indignaretur? At quid absurdius quam de his rebus alios accusare, quibus ipse sis obnoxius? Quis vero nobis injuriam fieri crederet, si male tractaremur contra fœdera, quæ nec ipsi magni facere videmur? An vero nobis alii fidem habituri sunt, si eam fidem, quam ipsi nuper dedimus, adeo temere solvemus? Operæ pretium porro est illud etiam meminisse, nostram urbem, quum majores nostri multa præclare bello gesserint, ob hanc reconciliationem vel in primis celebrari. Nam in præliis multæ urbes ostendi queant quæ strenue dimicarint, de seditione vero nemo ullam proferet quæ prudentius nostra deliberarit. Jam earum rerum quæ in acie geruntur, maximam partem suo quasi jure fortuna vendicat: hæc autem erga nos moderatio est nostræ prudentiæ tribuenda. Quare gloria hæc minime projicienda est.

14. Neque vero me quisquam putet excedere modum, aut rem nimis exaggerare, propterea quod in privato periculo hæc verba feci. Nec enim ego tantum de postulatis pecuniis in discrimen venio, sed ut ego de his, sic vos de iis quæ paulo ante dicta sunt, quibus de rebus neque pro dignitate quisquam dicere nec pœnam satis grandem constituere possit. Tantum enim inter hoc judicium et alia interest, ut cætera quidem ad reos duntaxat attineant, in hoc vero periculum commune civitatis agitur. De hoc bis jurati sententiam dicitis, semel de more judiciorum, iterum propter fœdera. Si in hoc judicio ab æquitate aberrabitis, non urbis nostræ tantum sed et communes omnium leges violabitis. Quare maxime vos decet vel gratiæ vel lenitatis vel ullius rei alterius in dicenda sententia nisi jurisjurandi rationem habere.

15. Ac decere quidem et expedire et justum esse ut sic de fœdere sentiatis, nec ipsum Callimachum negaturum arbitror: suam autem inopiam fortasse deplorabit et acceptam calamitatem, et nihil posse iniquius aut crudelius fieri quiritabitur, quam si mulctam etiam in democratia solvere cogatur pro iis pecuniis quas in oligarchia vi

spoliatus amiserit, ac tum propter opes suas exsulare sit coactus; nunc eo tempore, quo ulciscenda sibi esset injuria, ignominia sit notandus. Accusabit eos etiam, qui mutata republ. in urbe manserunt, ut ea re ad maximam vos indignationem concitet: fortassis enim audivit ex aliquo vos, si sontes non deprehenderitis, obvios punire. Ego vero nec eo vos animo esse puto, et ad istiusmodi rationes facile posse responderi censeo.

16. Ac quod ad lamentationes attinet, vobis juvandos esse dico non eos qui se calamitosissimos esse declararint, sed qui causam, de qua litem contestati sunt, æquiorem esse probarint. De mulcta vero, siquidem istarum rerum ego auctor essem, haud injuria si pœna luenda esset illius vicem doleretis; nunc ipse is est qui calumnietur, quare merito nullum ejus dictum probabitis. Deinde illud etiam considerabitis, omnes eos qui e Pirræeo in urbem sunt reversi eadem quæ istum posse dicere, quorum alius nemo ausus est tale subire judicium. Atqui odio persequendi sunt homines istiusmodi et mali cives habendi, qui, in iisdem malis cum cæteris versati, alias quam cæteri pœnas sumere volunt. Præterea, nunc etiam ei est integrum, priusquam vestræ sententiæ periculum faciat, actione omissa toto negotio liberari. Nonne autem absurdum est istum in eo periculo a vobis petere misericordiam, quod penes ipsum est, et in quod se ipse conjecit et quo etiam nunc liberari potest?

17. Si vero earum rerum quæ in oligarchia gestæ sunt oblivisci nequit, ab eodem postulate ne accuset ea de quibus nemo responsurus est, sed ut illud doceat, me pecunias abstulisse, de quo vobis pronuntiandum est, neque ostendat se indignis tractatum esse modis, sed me fecisse probet, a quo ea quæ amisit recuperare studet: nam se quidem calamitosum esse, quemvis civium accusando poterit ostendere. Decet autem apud vos magni esse momenti, non eas accusationes quibus etiam contra insontes uti liceat, sed eas quæ non nisi in auctores injuriarum conveniunt. Ad ista igitur verba refutanda et hæc fortasse sufficiunt et post erit respondendi locus.

18. Cogitate porro, etiamsi me aliquis eadem bis incalcare dicat, multos exspectare hujus judicii eventum, non quod nostra negotia curent, sed quod existimant de fœdere judicium fieri. Quos pronuntiato eo quod justum est vos omni metu liberabitis: sin minus, quibus animis fore censetis eos qui in urbe remanserunt, si pariter omnibus irasci videamini qui illam rempublicam participarunt? Quantopere angentur qui vel parvi delicti sibi conscii fuerint, si hæc modestissimos jus suum viderint posse adipisci? quanti tumultus excitabuntur, quum aliis additus animus fuerit ad calumniandum quasi causa ipsorum jam a vobis comprobata, alii hunc civitatis statum pertimescent nec ullum sibi confugium relictum esse videbunt? Annon metuendum est, ne jurejurando violato denuo in illa

mala incidamus, quæ nos hæc fœdera facere coegerunt? Enimvero vos ab aliis discere nihil necesse est quantum concordia bonum sit aut quid mali seditiones habeant: nam ita evidenter experti estis utrumque, ut his de rebus alios etiam optime doceretis.

19. Ne autem eo videar in fœderibus immorari, quod facile sit multa æqua de iisdem dicere, hoc tantum in pronuntiando vos meminisse velim, antequam ea facta essent bellum nos gessisse, alios mœnibus inclusos, alios Piræeo occupato, infestioribus erga nos invicem animis quam in eos quos majores nostri hæreditarios nobis hostes reliquerunt: postquam autem in unum convenimus fide data et accepta, ita honeste et comiter in urbe vivere, quasi nullæ inter nos dissensiones exstitissent. Ac tum quidem nos ab omnibus stultissimos et infelicissimos habitos, nunc felicissimos et prudentissimos Græcorum omnium judicari. Quare qui fœdera violare audent, non modo magnis sed extremis suppliciis afficiendi sunt, ut qui maxima conflare mala conentur, illi præsertim qui sic vixerunt ut Callimachus.

20. Qui, quum Lacedæmonii decem perpetuos annos bello nos infestarent, nullum unquam diem duellis præsto fuit ut in acie collocaretur, sed eo tempore subinde aufugit opesque suas occultavit; postquam vero triginta tyranni summa rerum potiti sunt, tum demum in urbem reversus est. Et se quidem popularem esse dicit, tanto autem aliis cupidior est societatis illius reipublicæ, ut ab eis ne male quidem tractatus recedere voluerit, sed cum auctoribus injuriarum obsideri maluerit quam vobiscum qui una læsi eratis degere. Et ad eum usque diem particeps reipublicæ apud illos manserit, quo murum oppugnaturi eratis: tum vero demum exiit, non status præsentis odio, sed imminentis periculi metu, ut postea declaravit. Quum enim a Lacedæmoniis populus in Piræeo inclusus esset, rursus inde aufugit ac in Bœotia commoratus est: quare in transfugarum album potius inscribendus est quam inter exsules nominandus. Et, quum ita se gesserit tum in eos qui Piræeum occuparant tum qui in urbe manserant tum erga totam civitatem, non contentus est pari jure cum cæteris, sed meliore conditione esse vult quam vos estis, perinde ac si vel solus læsus vel civium optimus vel maximis cladibus propter vos affectus esset aut plurima in rempubl. beneficia contulisset. Vellem equidem eum ita notum esse vobis ut mihi est, ne ob amissæ vicem ejus doleretis, sed relicta illi invideretis. Nunc quibus aliis insidiatus sit, quas lites tum de publicis tum de privatis criminibus intenderit, quorum factionibus adhæserit, quoties falsa testimonia dixerit, etiamsi datum mihi tempus duplicaretur, non satis esset ad enarrandum: sed, si unum duntaxat facinus audiveritis, facile omnem ejus improbitatem cognoscetis.

21. Cratinus cum istius affine de fundo quodam litigabat. Quum

autem ad manus ventum esset, ancilla occultata criminabantur Cratinum caput illi contrivisse, atque ex eo vulnere mulierem dicentes esse mortuam, diem ei dicunt rei capitalis in Palladio. Cratinus istorum insidiis auditis interea quievit, ne mutato consilio alias fraudes comminiscerentur, utque in re presenti scelera eorum deprehenderentur: proinde, quum istius affinis accusatoris partes obiisset, iste autem pro testimonio affirmasset reapse mulierculam esse mortuam, domum in qua illa occultabatur ingressi, vi abreptam et in judicium adductam viventem omnibus iis qui aderant ostenderunt. Itaque quum septingenti judices sederent, et quatuordecim idem testimonium dixissent ac iste, ne unum quidem suffragium tulit. Voca testes.

TESTES.

22. Quis igitur facinora istius satis acriter insectetur? quod majus exemplum vel injustitiæ vel calumniæ vel improbitatis invenietur? Sunt enim quædam injuriæ quæ non omne ingenium nebulonum aperiant, e talibus autem facinoribus tota vita delinquentium facile perspicitur. Nam qui viventes testatur esse mortuos, quo in facinore abstinebit? qui alienis in rebus ita improbus est, quid in suis non auderet? An vero isti credendum pro se dicenti, quem in aliorum gratiam pejerasse constat? Quis unquam falsi testimonii evidentius est convictus? nam alios e verbis judicatis, istius vero testimonii falsitatem judices viderunt. Iste igitur quum tantis criminibus se obstrinxerit, tamen dicere audebit nos mentiri, in quo perinde faciet ac si cui Phrynondas stellionatum objiceret, aut Philorgus, qui Gorgoniam surripuit, aliis sacrilegium exprobraret. Quis vero minus rerum non factarum subornare testem dubitabit, quam iste, qui ipse aliis falsum dicere testimonium audet?

23. Sed Callimachum sæpe licebit accusare — hanc enim vitæ suæ rationem esse voluit —, quod autem ad me attinet, cætera munera omnia missa facio, ejus vero, de quo mihi non modo jure gratiam habebitis, sed quo etiam testimonii loco de tota re uti quæstis, faciam mentionem. Nam quum nostra urbs classe in Hellesponto amissa imperio privata esset, plurimis trierarchiis ita præstiti, ut meam navim cum paucis conservarim, atque inter illos paucos hoc peculiare habui, quod ego solus nave in Piræeum perducta in trierarchia perseveravi; quum enim alii et publica munera cupide emeatarent et de præsenti statu desperarent, et factorum sumptuum pœniteret, et reliqua dissimularent, putantes actum esse de republica, et privatis rationibus consulerent, ego longe alium animum habui, et, quum fratri meo persuasissem ut mihi trierarchiæ socius esset, nautis de nostro mercedem numerantes, hostes vexavimus. Denique quum Lysander capite sanxisset, ne quis frumentum ad vos adve-

heret, tanto fuimus in rempublicam studio ut, quum alii ne sua quidem importare auderent, nos, quod ad illos vehebatur intercipientes, in Piræeum perduceremus. Pro quibus beneficiis vos publice nobis coronas decrevistis, et, ut ante statuas heroum proclamaremur tanquam optime de republica meriti, censuistis. Sunt autem populares habendi, non qui florente populari statu se cum populo conjungunt, sed qui afflicta et jacente republica pro vobis vitæ discrimen adierunt, neque istis gratia est habenda qui privatim cladem aliquam acceperunt, sed his qui vobis benefecerunt, neque illi pauperes commiseratione digni sunt qui suas opes ipsi perdiderunt, sed qui easdem vestra causa insumpserunt.

24. E quorum numero me fuisse comperietis, qui quidem omnium essem infelicissimus, quum de meo magnos sumptus in rempublicam fecerim, si jam viderer alienis insidiatus esse, et infamiam apud vos subeundam negligerem, quum non rem familiarem tantum sed vitam etiam minoris fecerim quam vestram approbationem. Quem vero vestrum non pœniteret, si non statim, at paulo post, si calumniatorem ditatum videretis, me vero spoliatum iis quæ post obita munera publica reliqua mihi feci? Eum, qui nunquam ullum pro vobis periculum adiit, plus posse et legibus et fœderibus; me vero, cujus tantum studium in rempubl. exstitit, ita contemni ut ne jus quidem meum consequar? Quis vero vos non reprehenderet, si Callimachi verbis adducti tantæ nos improbitatis damnaretis, quos judicio e re ipsa facto propter fortitudinem coronastis, quo tempore non ita facile erat ut nunc istum honorem consequi? Usuvenit autem nobis diversum quiddam ab aliis: ceteri enim suorum beneficiorum memoriam renovare dicendo solent, nos vero postulamus ut vestræ in nos beneficentiæ recordemini, quo ea quasi testimonio sit nostræ orationi totiusque vitæ nostræ rationem ostendat. Neque vero obscurum est, non ideo nos isto honore potiri studuisse, ut in oligarchia opes aliorum diriperemus, sed ut urbe conservata et alii sua tenerent et nobis multitudo civium gratiam deberet; quam nos nunc reposcimus, non id quærentes ut æquo plus habeamus, sed illud declarantes, nos nec injuriam facere cuiquam * * * jusjurandum ac fœdera servantes. Perabsurdum enim esset, ea rata haberi ad absolvendos eos qui contra rempubl. fecerunt, in nobis autem qui benemeriti essemus omnem amittere auctoritatem. Operæ pretium autem est hunc rerum statum tueri, et considerandum aliis urbes fœdera in seditiones jam inde conjecisse, nostræ ad concordiam augendam profuisse. Hæc igitur meminisse debetis, ut simul et quæ justa sunt et reipublicæ conducunt decernatis.

ISOCRATIS

ÆGINETICUS.

1. Putabam, viri Æginetæ, Thrasylochum suis rebus ita recte consuluisse, ut nemo unquam adventurus esset, qui testamentum quod is reliquit oppugnaret: quum autem adversariis hoc omnino deliberatum sit, quantumvis probe confectum tamen evertere, experiri cogor an apud vos meum jus queam adipisci. Longe autem aliter affectus sum quam plerique mortales. Nam alios graviter ferre video, si qua de re per injuriam in periculum vocantur: ego vero parum absum quin istis gratiam habeam quod mihi litem hanc intenderunt. Nisi enim res in judicium adducta esset, haud scivisset is quæ mea in defunctum merita, cujus hæreditas mihi relicta est, exstitissent: re autem cognita omnes intelligetis me majus etiam præmium meruisse. Par autem esset et istam quæ de pecuniis controversiam facit, non facultates a Thrasylocho relictas a vobis experiri adipisci, sed, ubi ostendisset se officio erga illum esse functum, tum demum lege agere in hæreditatem. Nunc tantum abest ut eam pœniteat erga viventem deliquisse, ut eo etiam defuncto tum testamentum ejus irritum facere tum familiam exstinguere et funditus delere conetur. Miror etiam patronos mulieris, si propterea putant honestum esse certamen hoc, quod etiam victi nullam jacturam facturi sint. Ego enim et illam magnam cladem esse puto, si quum actionis per calumniam institutæ convicti fuerint, exinde vobis improbiores habeantur. Sed istorum malitiam res ipsa declarabit, ubi acta omnia ab initio ad extremum audiveritis: inde autem narrandi primordia capiam, unde vos celerrime puto controversiam cognituros.

2. Thrasyllus, pater ejus qui me testamento hæredem instituit, a majoribus nullas opes habuit, sed hospitii necessitudine cum haruspice Polemæneto contracta ita se in ejus amicitiam insinuavit, ut ille moriens ei et libros divinationis reliquerit et facultatum quæ adhuc supersunt partem dederit. Thrasyllus autem his commoditatibus usus artem exercuit: qui, quum multa loca circuiret et in pluribus civitatibus commoraretur, tum cum aliis mulierculis consuevit, quarum nonnullæ liberos etiam pepererunt, quos ille nunquam pro legitimis habuit, tum adversariæ matrem illis temporibus accepit. Quum

autem magnis opibus partis patriæ desiderio moveretur: illa et cæteris dimissis, in Siphnum trajecit uxoremque duxit patris mei sororem, quum ipse quidem civium ditissimus esset, sed nobilitate et aliis dignitatibus nostram familiam inter alias eminere sciret. Tantopere autem patris mei amicitia delectatus est, ut, quum amita mea sine liberis decessisset, rursus patris consobrinam duxerit, quo necessitudo inter nos et affinitas permaneret. Quam quum non diu in matrimonio habuisset, eodem fato hanc, quo etiam prior, illi ereptæ est. Post hanc Seriphiam duxit quandam, ex familia longe præstantiore quam pro existimatione illius urbis, ex qua suscepit Sopolidem et Thrasylochum et filiam uxorem meam. Thrasyllus igitur, his solis legitimis liberis relictis illisque re familiari legata, decessit.

3. Ego vero et Thrasylochus tam arctam amicitiam ut paulo ante exposui a patribus acceptam, arctiorem etiam effecimus. Nam et pueri adhuc, plura uterque alterum facimus quam fratres, neque vel sacrificium vel spectaculum vel alium festum diem seorsim celebravimus: et adulti jam nunquam alter alterum ulla re offendimus, sed et privata communicavimus et de re publica consensimus et amicis iisdem atque hospitibus usi sumus. Sed quid de domestica familiaritate dico? quum nec in exsilio volueremus divelli. Tandem eum tabe correptum et longo tempore decumbentem, quum quidem frater ejus Sopolis jam obiisset, mater vero et soror nondum advenisset, ita destitutum ab omnibus tanta industria et fide curavi, ut ipse mihi pro meritis nullo modo parem posse referri gratiam crederet. Nihil tamen in se desiderari passus est, sed ingravescente morbo, quum jam nullam vitæ spem haberet, testibus advocatis me adoptavit et tum sororem tum facultates suas mihi dedit. Cape testamentum.

TESTAMENTUM.

4. Recita etiam Æginetarum legem: nam ad hujus præscriptum faciendum fuit testamentum, quum hic inquilini essemus.

LEX.

5. Hac lege, Æginetæ, Thrasylochus me adoptavit, civem suum et amicum, et, si genus spectetis, Siphniorum nemine deteriorem, et eodem modo secum institutum et educatum. Quare haud scio quomodo legem magis observare potuisset, quæ jubet ejusdem conditionis homines adoptari. Cape Siphniam etiam legem, cui nobis olim dum ibi viveremus parendum fuit.

LEX.

6. Quod si, Æginetæ, has leges ita oppugnarent, ut patriæ suæ lege niterentur, minus esset mirandum: nunc illa etiam cum iis quæ jam recitatæ sunt convenit. Cape libellum.

LEX.

7. Quid eis igitur est reliquum, quum et ipsi testamentum hoc a Thrasylocho relictum esse fateantur, et leges illis nullæ, mihi omnes patrocinentur? primum vestra lex qui de negotio judicaturi estis, deinde lex Siphniorum, unde auctor testamenti oriundus fuit, postremo ea quæ apud istos valet qui nobis controversiam faciunt. Quid vero non audebunt isti, qui vobis persuadere conantur ut testamentum repudietis, quum et hæc legum sententia sit, et vobis juratis secundum eas sit pronuntiandum?

8. De ipsa igitur re me satis ostendisse existimo: ne quis vero me putet parvas ob causas hæreditatem adeptum aut istam officio erga Thrasylochum functam ea fraudari, his etiam de rebus dicam. Nam defuncti vicem me puderet, nisi vobis omnibus persuaderetur, eum hæc non tantum secundum leges, sed etiam jure egisse: idque me facile probaturum confido. Tantum enim inter nos interfuit, ut ista, quæ se genere proximam esse contendit, perpetuo cum illo et Sopolide et horum matre litigarit et inimicitias exercuerit, ego vero non tantum erga Thrasylochum et fratrem præclare me gessi, sed has ipsas facultates de quibus controversia est amicissime atque optima fide custodivi.

9. Ac de his quidem quæ olim facta sunt dicere operosum fuerit: quum autem Pasinus Parum cepit, maximam partem eorum opum clam exportatam apud hospites meos jacebant; quod hanc insulam omnium esse tutissimam putabamus. Quum vero illi angerentur ac ne omnia periissent timerent, ego noctu conscenso navigio exportavi illi pecunias cum vitæ meæ periculo: in agris enim erant præsidia disposita, et urbem quidam nostrorum exsulum occuparant, qui uno die et patrem meum et patruum et affinem meum et præter hos tres consobrinos per scelus occiderunt. Me tamen nihil horum avertit, quum persuasum haberem mihi non minus pro eis quam pro meipso pericula esse subeunda.

10. Deinde quum urbe pelleremur tanto cum tumultu et trepidatione, ut nonnulli suos etiam negligerent, nec in his malis satis habui domesticos meos conservasse, sed quia tum Sopolidem abesse tum illum ipsum ægrotare sciebam, una cum eo et matrem et sororem et opes universas extuli. Quem igitur eas æquius est habere quam qui et tum conservavit, et nunc ab iis quorum illæ fuerunt accepit?

11. Et hæc de iis temporibus dicta sint, quibus pericula quidem adii, sed nihil mali contraxi: sed et ea proferre possum per quæ, dum illi obsequor, ipse in calamitates maximas incidi.

12. Melum enim quum venissemus, nosque sensisset ibi mansuros, rogavit ut Trœzenem secum navigarem et se nequaquam relinquerem, et corporis infirmitate et multitudine inimicorum commemorata,

et, quod a me destitutus non haberet quid de suis rebus statueret. A qua urbe quamvis mater abhorreret, quod pestilentem esse audierat, et hospites suaderent ut ibi maneremus, tamen visum est nobis morem illi gerendum esse. Post hæc, quum primum Trœzenem venissemus, tales morbi nos invaserunt, qui me quidem pœne confecissent, sororem certe meam puellam annos XIV natam intra dies XXX sepelii, et matrem non quinque diebus post. Quid vero animi fuisse mihi censetis, quum res meæ ita mutatæ essent? qui superiori tempore expers malorum vixeram, ac nuper et exsilii periculum feceram et inquilinum apud alios agere et meis opibus carere didiceram, matrem denique meam et sororem patria privatas videbam et peregre ac apud alienos morientes. Quare nemo mihi jure invidebit, si quid e Thrasylochi rebus commodi capio: nam dum illi obsequens Trœzene vivo, eas accepi clades quarum nunquam potero oblivisci.

13. Jam ne illud quidem dicere poterunt, me rebus secundis Thrasylochi hæc omnia subiisse, atque eundem in calamitatibus deseruisse: nam in illis ipsis, evidentius etiam et certius declaravi quanta eum benevolentia prosequerer. Quum enim Æginam se habitatum contulisset ac in eum morbum incidisset quo periit, sic eum curavi ut haud scio an quisquam alius alium, maximam quidem temporis partem male affectum, ita tamen ut prodire in publicum posset, sex autem menses perpetuos in lectulo decumbentem. Et harum miseriarum quisquam cognatorum ejus particeps esse adeo non voluit, ut nec inviserit quisquam, præter matrem ejus et sororem, quæ auxerunt etiam meas molestias: nam ægrotæ Trœzene advenientes, ipsæ curatione indigebant. Ego tamen, quum alii ita se gererent, eum non deserui nec defatigatus sum, sed cum unico puero ejus curam egi; quem nec famulorum quisquam tolerare poterat, tam natura satis asperum tum ex morbo longe morosiorem factum. Quare non hoc mirum est, illos non mansisse, sed illud potius, me curæ morbi illius sufficere potuisse: qui et longo tempore tabe laborabat et e lectulo se commovere non poterat, sic autem cum eo agebatur ut nullum diem sine lacrymis ageremus, sed subinde commiseraremur et labores nostros et exsilium et solitudinem nostram. Neque hæc ullo tempore intermittebantur: nec enim mihi uspiam discedere licebat aut eum negligere videri, quod mihi multo acerbius erat quam mala cætera.

14. Velim equidem me posse vobis ostendere, qualis in eum fuerim: quo facto vos arbitror neque vocem adversariorum toleraturos. Nunc, quæ in curatione difficillima et molestissima sunt et labores acerbissimos maximamque sollicitudinem postulant, non satis commode narrari possunt. Vos igitur considerate quantis vigiliis et miseriis talis et tam diuturnus morbus sit curandus. Ego qui-

dem sic affectus fui, ut omnes amici qui accedebant, se verori dicerent ne ego una cum illo perirem, mihique suaderent ut essem cautior: multos enim qui in eo morbi genere aliis inservissent, ipsos una periisse. Quibus ego ad hunc modum respondi, me longe malle emori quam committere ut ille ministro careret ante diem moreretur.

15. Quæ quum ego et fecerim et perpessus sim, ista mihi audet litem inferre, quæ in tam diuturno morbo nunquam eum visere dignata est, quum quidem quotidie audiret quo modo cum eo ageretur, et iter tam expeditum haberet. Itane nunc demum fraternum erga eum animum induere et blandum illud fratris nomen usurpare conantur? quasi vero non, quanto familiarius mortuum illum compellarint, tanto major ipsius appareat inhumanitas atque impietas? Quæ quum videret, cum jam morte cadebat, quantum nostrorum civium Trœzene erat, eos Æginam trajicere et funus ejus sua præsentia ornare, ne hoc quidem tempore advenit, sed ita crudelis atque immanis fuit ut justis quidem persolvendis non interesset, de relictis autem bonis, antequam decem dies elapsi essent, adventarit motura controversiam, quasi cognata pecunia non hominis fuisset. Quæ si fatebitur sibi cum eo tantas inimicitias intercessisse ut jure ista fecerit, non male sibi Thrasylochus consuluit, si suas opes amicis potius quam isti relinquere voluit: sin, quem nihil dissidii inter ipsos esset, eum tam inhumaniter neglexit, multo fuerit æquius eam suis bonis privari quam illius hereditatem cernere. Cogitate igitur, quantum in ista fuit, neque in morbo curatum esse neque post obitum justa ei persoluta esse, quæ utraque illi ego præstiti. Æquum autem est vos secundum eos judicare, non qui se genere proximos esse dicunt, reipsa inimicos præbuerunt, sed secundum eos potius, qui quum nomen cognationis non haberent, majore fide in calamitatibus inservierunt quam sanguine conjuncti.

16. Ac testamentum hoc a Thrasylocho esse relictum non negant, sed bene et recte factum esse negant. Atqui fieri potest, Æginetæ, ut quisquam suis rebus melius consulat? quem et familiam suam conservarit, et amicis gratiam retulerit, et matri sororique suæ non suam rem familiarem duntaxat sed etiam meam tradiderit, quarum alteram uxorem mihi dedit, alteri me adoptavit? Rectius ergo ille fecisset, si neque matri curatorem constituisset nec ullam mei mentionem fecisset, et sororem suam fortunis communisset, et nomen gentilitium exstingui pateretur?

17. At fortasse indignus fui ego qui in Thrasylochi familiam transirem et sororem ejus haberem. Enimvero Siphnii omnes testabuntur majores meos et genere et opibus et auctoritate principes esse civitatis. Qui enim vel ampliores magistratus gesserunt, vel plus pecuniæ contribuerunt, vel ædilitatibus luculentius functi sunt, vel magnificentius reliqua munera obierunt? e qua Siphni familia

plures reges exstiterunt? Quare Thrasylochus, etiamsi nunquam cum eo collocutus fuissem, haud injuria propter hæc mihi sororem suam dare voluisset, et ego, tametsi nihil horum esset atque civium vilissimus essem, jure tamen ac merito propter collata in ipsum beneficia maxima quæque ab eo consecutus essem.

18. Arbitror autem eum testamento hunc in modum fasto etiam fratri Sopolidi rem fecisse gratissimam: qui et ipse istam oderat sibique male velle putabat, et me inter amicos omnes maximi faciebat. Quod tum sæpe alias, tum vero in primis declaravit quum exsulibus visum est cum copiis auxiliaribus urbem invadere. Dux enim creatus ac dictator me et scribam delegit et quæstorem constituit, et prælium commissurus juxta se in acie collocavit. Quod ei quantopere profuerit considerate: nam quum urbis oppugnatio nobis non successisset neque ita uti volebamus recederemus, eum tam graviter vulneratum ut ambulare non posset, ac fere moribundum, cum famulo meo humeris impositum ad navem deportari; quare sæpe et ad multos dixit se mihi soli omnium salutem suam acceptam referre. Quo beneficio quid majus esse potest? Deinde quum navigatione in Lyciam suscepta mortuus esset, ista paucis diebus post acceptam de obitu ejus nuntium sanificabat et festum diem celebrabat, nec eam vel fratris adhuc vivantis pudebat, quod mortem defuncti tam leviter ferret; ego vero sic eum lugebam, ut lugere cognatos moris est. Et hæc faciebam omnia ex ingenio meo et propter illorum amicitiam, non hujus judicii causa: nec enim putabam ita male cum eis actum iri, ut cine liberis uterque mortui conspiciendum relicturi essent, quo animo unusquisque nostrum in ipsos fuisset.

19. Ac quemadmodum erga Thrasylochum et Sopolidem illa et ego affecti fuerimus, fere audivistis: fortasse autem nunc ad eam orationem se convertent, quæ eis reliqua est, Thrasyllum istius mulieris patrem, si quis sensus sit defunctis rerum quæ hic gerantur, existimaturum iniquissime secum agi, si videret filiam hæreditate fraudatam, et opes suo labore partas ad me rediisse.

20. Ego vero censeo non de jam olim defunctis, sed de iis qui hæreditatem proxime reliquerunt, verba nobis faciendo esse. Thrasyllus enim ille, quos ipse voluit, hæredes instituit: æquum autem est idem jus a vobis huic Thrasylocho relinqui, et in hæreditate illi succedere non istam, sed quos ille testamento successores designavit. Neque tamen ego vel Thrasylli stare judicio recusarem. Quem judicem contra istam omnium acerrimum fore arbitror, si intelligeret quomodo liberos ipsius tractasset: atque adeo non indignaturum, si vos secundum leges sententiam tulisse videret, ut id longe iniquiore animo ferret, si testamentum a filio suo factum fieret irritum. Nam siquidem Thrasylochus facultates suas meæ familiæ

tradidisset, in eo fortassis ipsum possent reprehendere: nunc per adoptionem in suos omnia contulit, ut non pauciora acceperint quam dederint. Jam his omissis, neminem Thrasyllo verisimile est benevolentiorem esse iis qui de donatione in judicio contendunt. Nam et ipse artem didicit a Polemæneto haruspice et pecunias accepit non jure cognationis sed merito virtutis. Quare nemini invidebit, qui de liberis ipsius bene meritus eodem beneficio quo ipse afficiatur.

21. Sed et ea sunt in memoriam revocanda quæ primo loco dixi. Eum enim necessitudinem nostram tanti fecisse ostendi, ut patris mei et sororem et consobrinam duxerit. Quibus igitur filiam suam libentius despondisset quam iis a quibus ipse potissimum uxorem accipere voluit? E qua porro familia filium in suam familiam adoptatum maluisset, quam ex qua quidem germanos liberos suscipere expetivit?

22. Itaque, si hæreditatem mihi adjudicaveritis, et illi et cæteris omnibus, ad quos hæc negotia aliqua ex parte attinent, rem gratam facietis: si vero istius oratione decepti fueritis, non mihi tantum injuriam facietis, sed Thrasylocho etiam testamenti auctori, et Sopolidi, et sorori eorum quæ nunc mea uxor est, et eorum matri, quæ omnium mulierum infelicissima erit, si præter orbitatem in id quoque malum inciderit, ut et illorum voluntatem frangi et familiam exstingui videat, et quum ista malis ipsius insultans pecuniam sibi vendicet, me, qui filiis suis tam magna fecerim, nihil æqui posse impetrare; quare si quis hac lite omissa eos spectet qui unquam ex donatione hæreditatem petierunt, me tantam fidem amicis præstitisse quantam quisquam alius comperiet. Honorandi autem sunt et multi faciendi tales multo magis quam aliorum donationes eis eripiendæ. Atque etiam legem defendere debetis, per quam nobis et liberos adoptare licet et de re familiari nostro arbitratu statuere, quum legem hanc orbis loco liberum esse intelligatis: quæ quidem eam vim habet atque efficit, ut et cognati et nulla necessitudine conjuncti inter se magis curent.

23. Ut autem dicendi finem faciam neque diutius his rebus immorer, quanta sit æquitas causæ meæ considerate: primum enim, qui hæreditatem reliquerunt, vetere et a patribus accepta et ad finem usque perducta amicitia ii mihi conjuncti fuerunt, deinde multa et magna in eos beneficia rebus ipsorum adversis contuli, præterea testamentum in promptu est quod ne adversarii quidem negare audent, denique lex Græcis omnibus probata huic testamento suffragatur. Cujus rei maximum illud argumentum est, quod, quum aliis multis de rebus dissentiant, de hac statuunt idem. Rogo igitur vos ut, et hæc et cætera quæ dicta sunt recordati, ea quæ justa sunt decernatis, et tales in me judices sitis quales vobis alios esse cuperetis.

ISOCRATIS

CONTRA LOCHITEM.

1. Me igitur a Lochite vapulasse nulla injuria lacessito, omnes qui affuerunt pro testimonio dixerunt.

2. Est autem facinus hoc aliorum delictorum dissimile judicandum, nec idem sumendum supplicium de læsione corporis quod de fraudatione pecuniarum; scitis enim hoc omnibus hominibus conjunctissimum esse, nosque ob hujus incolumitatem et leges sanxisse et pro libertate pugnare et popularem statum expetere, omnes denique vitæ actiones huc referri. Æquum igitur est eos qui id violant, quod maximi facitis, gravissimo supplicio coerceri a vobis.

3. Nam eos etiam, qui leges nobis tulerunt, corporum in primis rationem habuisse reperietis. Primum enim de sola hac injuria tum privatas tum publicas actiones sine sponsione dederunt ut unicuique nostrum, ut et vellet et posset, sic ulcisci liceret eos a quibus esset læsus. Deinde in aliis criminibus ei qui offensus est solum actio in adversarium datur: de contumelia vero, tanquam crimine publico, unicuique civium re apud sexviros proposita venire in judicium licet.

4. Ac mutuis grassari verberibus usque adeo non ferendum esse putarunt, ut de maledicto legem tulerint, quæ jubet eos, qui aliquid interdictum legibus proferunt, quingentis drachmis mulctari. Quanta igitur severitate vindicandæ sunt injuriæ reipsa factæ, quum petulantiæ verborum ita succenseatis?

5. Mirandum est, si facinora paucorum dominatu commissa morte mulctanda censeatis, eos vero qui libera civitate simili studio sunt impune dimittatis. Atqui decebat tanto acrius in eos animadverti, quanto suam improbitatem evidentius ostendunt. Nam qui nunc, quum non licet, leges perrumpere non dubitat, quid is fecisset, quum magistratus vel gratiam haberent istiusmodi grassatoribus?

6. Fortassis autem Lochites rem extenuare conabitur, et accusationem cavillando, verbera nihil mihi nocuisse, ac me supra quam deceat verbis amplificare dicet omnia.

7. Ego vero, siquidem id factum esset sine contumelia, nunquam apud vos queri voluissem: nunc non reliqui damni per verbera dati,

sed ipsius pulsationis et ignominiæ pœnas eum mihi persolvere volo, quæ res homines ingenuos maximo dolore afficere debent acerrimeque vindicari.

8. Equidem vos, si quem sacrilegii furtive damnatis, in irroganda pœna non id spectare video quantum abstulerint, sed sine discrimine omnes capitis damnare, et æquum putare ut, qui eadem facinora sunt aggressi, pœnas easdem luant. Idem igitur de contumeliosis istis sentire debetis, neque id considerare, an parum verberarint, sed an leges violarint; neque enim tam id factum quod contigit vindicandum est, quam universa petulantia morum coercenda; scitis enim sæpe jam parvas causas ingentia mala peperisse, ac ab iis qui verberare ausi fuerant jam quosdam ad tantam iracundiam concitatos, ut ad vulnera, ad mortes, ad cædes, ad atrocissimas clades progrederentur: quorum nihil, quantum in reo fuit, infectum est, sed, si illius factum spectetis, omnia perpetrata sunt, fortuna autem et moderatio mea in causa fuerunt ne quid acerbius sequeretur.

9. Arbitror autem vos ita demum ut res meretur indignaturos, si vobiscum ipsi reputaveritis, quanto major hæc sit aliis peccatis. Nam alia quidem scelera partem aliquam rei familiaris ledere, verberum autem injuriam summæ rerum nocere, invenietis, et multas familias ob hanc exstinctas esse, multasque urbes eversas.

10. Et quorsum attinet aliorum cladibus commemorandis immorari? Nos ipsi bis jam statum popularem sublatum esse bisque nos libertatem amisisse vidimus, non per eos qui aliis sceleribus obstricti fuerunt, sed per contemporeos illos qui et hostibus servire et civibus insultare voluerunt. Quorum iste unus est. Nam etsi per ætatem illis turbis interesse non potuit, at indolem habet illi statui convenientem. Ista enim ingenia sunt quæ hostibus nostros exercitus tradiderunt, quæ patriæ mœnia subruerunt, quæ cives mille quingentos indicta causa trucidarunt.

11. Vos igitur harum rerum memores punire decet non eos modo qui tum vobis nocuerunt, sed istos etiam qui nunc eodem sunt animo in rempublicam, ac tanto magis hos quos verisimile est fore improbos quam illos qui olim peccarunt, quanto præstabilius est ingruentia mala prohibere quam præterita ulcisci; neque enim vobis exspectandum est, donec congregati ac nacti occasionem toti civitati perniciem comparent, sed quocunque in facinore vestræ potestati tradentur, in eo sunt puniendi, atque in lucro deputandum si quem deprehenderitis qui parvis in rebus omnem suam improbitatem ostentarit. Nam optimum certe quidem esset, si quod aliud signum in hominibus improbis emineret, eos, etiam priusquam civis ullus ab eis lederetur, mulctari: quia vero id sentiri non potest nisi post factas ab eis alicui injurias, tum certe, ubi cogniti fuerint,

omnium officium est eos odio prosequi et pro communibus hostibus habere.

12. Illud etiam cogitate, pauperibus nihil esse metuendum ne fraude circumventi opes amittant, corporum autem injurias omnibus esse communes: itaque quum fraudatores punitis, divitibus duntaxat consulitis, quum vero protervos istos coercetis, vobismetipsis opem fertis. Quare vos hæc judicia maximi facere decet, ac in aliis contractibus tanti litem æstimare quantum accusatorem consequi æquum est, sed de injuria verberum ea mulcta irroganda est, qua soluta reum petulantiæ suæ perpetuo pœniteat. Quod si facultates proscribetis eorum qui vires suas civibus verberandis ostentant, et nullum aliud satis grave supplicium esse putabitis iis, qui corpora violantes pecuniis mulctati fuerint, bonorum judicum officio functi eritis: nam et de hoc ipso negotio recte statuetis, et cives alios modestiores efficietis, et vestram ipsi quoque vitam in tuto collocabitis. Decet autem prudentes judices, in alienis causis disceptandis æquitate observanda, suis interim quoque rebus prospicere.

13. Ac nemo vestrum, eo quod pauper sum et homo plebeius, propterea quicquam de litis æstimatione detrahendum censeat. Nec enim æquum est minora supplicia constitui de injuriis hominum obscurorum quam nominatorum, neque deteriores judicandi sunt pauperes quam opibus affluentes. Nam vos ipsos ignominia notabitis, si de civibus ita statuetis. Omnium præterea iniquissimum fuerit, in populari republica non omnes eadem consequi, et ad magistratus quidem patere nobis aditum velle, jure autem legumque præsidiis nos ultro ipsos spoliare, atque in præliis æque omnes ad tuendum civitatis statum velle oppetere, in ferenda autem sententia ditioribus plus tribuere. Neque vero, si quidem sapitis, sic erga vos ipsos affecti eritis, neque docebitis adolescentes contemnere multitudinem civium, neque tales causas a vobis alienas esse judicabitis, sed sic unusquisque pronuntiabit, quasi sua res ageretur. Nam æque omnes lædunt qui legem pro corporis nostri defensione latam conculcare audent.

14. Quare, si sapitis, alii alios cohortati Lochitæ vestram iracundiam ostendite, quum intelligatis omnes istiusmodi legum quidem esse contemptores, quos vero hic decernuntur, ea habere pro legibus.

15. Ac ego quidem de re dixi ut potui: quod si advocatorum aliquis habet in quo mihi patrocinetur, progressus ad vos dicat.

ISOCRATIS

ADVERSUS EUTHYNUM

AMARTYROS.

1. Justæ mihi sunt causæ Niciæ defendendi: nam et amicus meus est et me rogavit et affectus injuria est et dicendi imperitus, quare propter hæc omnia causam ejus agere cogor.

2. Quam brevissime igitur potero, vobis exponam quomodo negotium hoc ei cum Euthyno intercesserit.

3. Nicias hic, triginta tyrannis rerum potientibus, quum eum inimici e civium numero deletum in Lysandri catalogum inscripsissent, rebus suis diffisus facultates oppignorat, famulos peregre ablegat, supellectilem ad me transfert, et argenti tria talenta Euthyno custodienda tradit; ipse vero in agro se continet. Non multo post alio navigaturus argentum repetit: Euthynus autem duo quidem talenta reddit, sed tertium inficiatur. Nicias igitur eo tempore nihil habebat aliud quod ageret, nisi quod apud familiares illum incusabat et querebatur et quid sibi accidisset narrabat. Atqui tanti faciebat istum et conditionem temporum ita metuebat, ut multo citius parvam jacturam silentio præterisset quam re nulla fraudatus accusasset. Et hæc quidem rei summa est.

4. Conflictamur autem magnis difficultatibus. Nam Niciæ neque deponenti pecunias neque recipienti quisquam affuit vel ingenuus vel servus: itaque nec quæstionibus neque testibus res probari potest, sed necesse est et nos argumentis docere et vos eadem hac ratione judicare utri vera dicant.

5. Arbitror autem vos omnes scire calumniari solere potissimum homines eloquentes, sed pauperes, eos qui dicendi imperiti sunt, et pecuniam dare possunt. Nicias vero Euthyno ut locupletior, sic etiam infantior est: quare nihil fuit quo fretus Euthynum injuste invaderet.

6. Quin ex ipsa etiam re intelligitur, longe verisimilius esse Euthynum id negare quod acceperit quam Niciam postulare quod non dederit. Notum enim est, lucri causa omnes injuriam facere. Qui igitur depositum negant, habent id propter quod jus violant, qui vero accusant, id quoque nesciunt an accepturi sint.

7. Præterea, reipubl. statu incerto sublatisque judiciis, hic accusando nihil profecisset, isti vero etiamsi fraudaret nihil periculi metuendum erat. Quare mirandum non fuit, eo tempore, quum ii etiam qui testibus adhibitis mutuati erant negarent, istum quod solus a solo acceperat reddere noluisse: hunc vero non consentaneum est, quum nec ii quibus jure debebatur æs alienum exigere possent, putasse injuste accusando se quicquam accepturum esse.

8. Ad hæc, si nihil ei obstitisset, sed calumniari et licuisset et libuisset, eum non contra Euthynum venturum fuisse, facile perspicitur. Nam qui tale aliquid in animo habent, tirocinium non ab amicis auspicantur: sed horum præsidiis freti alios invadunt, et eos accusant quos nec verentur nec metuunt, quosque tum divites esse vident tum copiis amicorum destitutos et rebus gerendis ineptos.

9. At in Euthyno contraria horum reperiuntur: est enim Niciæ consobrinus, et tum dicendi tum agendi facultate instructior, præterea parvas quidem facultates sed multos amicos habet. Quare nemo est quem non potius quam istum aggrederetur: nam, ut ego quidem conscius necessitudinis istorum sentio, nec Euthynus Niciam lesisset, si alium quempiam tanta fraudare pecunia licuisset. Nunc hujus causa negotii altius repetenda est et inquirenda subtilius: accusare enim licet aliquem delectum ex omnibus, fraudare vero non alium licet nisi qui depositum crediderit. Quare Nicias, si calumniari vellet, istum non invasisset; Euthynus vero, quum fraudare decrevisset, alium invenire non potuit.

10. Jam illud maximum signum est et unum omnium instar, quod eo tempore quo crimen conflatum est, oligarchia constituta erat, in qua cum utroque sic agebatur, ut Nicias, si superiori tempore calumniis victum quæritasset, tunc utique destitisset, Euthynus autem, si nunquam quicquam injusti cogitasset, tunc incitari potuisset. Nam is quidem propter delicta honorabatur, huic autem ob pecunias insidiæ comparabantur. Omnes enim scitis eo tempore majus fuisse crimen esse divitem quam scelerosum: quod hi aliena rapiebant, illi suas opes amittebant. Qui enim ad reipublicæ gubernacula sedebant, non delinquentes puniebant, sed divites spoliabant, et injustos sibi fidos, divites autem inimicos, esse putabant. Quare non eo in loco res Niciæ fuerunt, ut per calumniam alienis potiretur, sed ut, etiamsi lesisset neminem, malo afficeretur. Nam, qui ita potens erat ut Euthynus, ei potestas dabatur et ea quæ accepisset fraudandi et de his quæ non dedisset accusandi: quorum vero eadem erat quæ Niciæ conditio, hi et debitoribus æs alienum remittere et suas opes calumniatoribus dare cogebantur. Et hæc a me vere dici ipsius Euthyni testimonio cognoscetis: Timodemum enim ab hoc XXX minas extorsisse scit, non æs alienum postulantem, sed carcerem minitantem. Credi igitur qui potest eam fuisse

Niciæ amentiam, ut ipse in capitis periculo constitutus alios calumniaretur, et qui sua tueri non poterat, alienis insidiaretur, et præter eos inimicos quos jam habebat, aliorum etiam odia in se concitaret, atque illos per injuriam accusaret, a quibus, etiamsi fraudationem fatentur, jus suum consequi non potuisset? ac tum superior aliis esse studeret, quum nec æquo jure viveret? et quum ea quæ non acceperat luere cogeretur, tunc ea quæ non dedisset se impetraturum speraret? Ac de his quidem hæc dixisse sufficiat.

11. Fortassis autem Euthynus id quod jam ante quoque dixit repetet, se, si injuriam facere constituisset, nunquam duas depositi partes fuisse redditurum, et tertiam duntaxat retenturum, sed seu juste seu injuste agere voluisset, eodem animo de tota summa futurum fuisse.

12. Ego vero vos omnes scire puto, omnes homines, si quid injusti moliantur, etiam defensionem simul meditari: quare non mirandum est, Euthynum, ut ista dicere posset, hoc modo justitiam violasse. Ad hæc alios etiam ostendere possem, qui pecuniis acceptis maximam partem reddiderunt, pauca retinuerunt, et in parvis negotiis fraude sunt usi, in magnis justitiam secuti: quare istud neque solius, Euthyni nec primi artificium est. Cogitate porro, si vobis fucum fieri patiemini ab istis qui dicunt talia, vos legem jaturos esse quomodo fraudare oporteat: in posterum igitur partem reddent, partem retinebunt. Nam ea res eorum futurum est, si, argumento pecuniæ redditæ usi, possas non dabunt interceptæ.

13. Considerate præterea, quam facile pro Niciæ defensione dici possint eadem quæ pro se affert Euthynus. Quum enim duo talenta recepit, nemo illi præsto fuit. Quapropter, si ei calumniari libitum fuisset, satis apparet, eum hæc etiam se recepisse negaturum fuisse, deque universis eadem verba facturum; sic et de majore pecunia Euthynus in discrimen veniret, et his argumentis uti non posset.

14. Præterea nemo queat ostendere, cur Niciæ Euthynum accusaret: sed intellectu facile est, nur Euthynus hoc modo injurius fuerit. Quum enim Nicias in malis esset, omnes cognati et familiares ejus audierant eum quicquid argenti habuerat deposuisse apud istum. Intelligebat igitur Euthynus, scire multos pecuniam apud se esse, quantum vero, id neminem audivisse: quare putabat, si quid de numero subtraxisset, clam fore; sin totam retineret, deprehensum iri. Maluit igitur tantum sumere quantum satis esset, defensionemque sibi relinqui, quam ne inficiari quidem posse si nihil omnino reddidisset.

ISOCRATIS

EPISTOLÆ.

I.

ISOCRATES DIONYSIO S. D.

1. Si essem junior, non per literas tecum agerem, sed istuc profectus coram disseruissem: sed quum ætatis meæ tempus et rei gerendæ occasio non inter sese congruant — nam et ego senectute retardor, et illa nunc rectissime administrari potest —, ita eam tibi explicare conabor ut tali statu rerum fieri potest.

2. Equidem haud ignoro quantum ad persuadendum intersit, utrum viva voce an per literas consilium detur, non eo tantum quod iisdem de rebus præsenti cum præsentibus agere quam scriptis facilius est, aut quod omnes dictis quam scriptis plus credunt, et illa tanquam decreta, hæc ut figmenta, audiunt: sed propterea in primis quod in congressibus si quid forte vel non recte intelligitur vel non creditur, is qui coram adest utrique incommodo levi opera medetur; in epistolis vero et scriptis si talis scrupulus inciderit, nemo est qui tollat, ipso auctore et defensore non præsente. Sed, quum totius rei penes te judicium sit futurum, bona mihi spes est orationem nostram ponderis aliquid apud te habituram: quem rejectis omnibus id genus impedimentis res ipsas spectaturum arbitror.

3. Quidam autem, qui in congressum et colloquium tuum venerunt, me ab hoc instituto deterrere sunt conati, quum dicerent apud te assentatores in pretio esse, contemni monitores. Quorum verbis si crederem, omnino quievissem: sed nemo mihi persuadebit posse fieri ut quisquam tanta et laude sapientiæ et rerum gestarum gloria cæteris antecellat, nisi ex aliis discat, alios audiat, alia inveniat, et undecunque accersat et colligat ea quibus ingenium excolatur. Et hæ me causæ ut ad te scriberem moverunt.

4. Dicturus autem sum magnis de rebus deque iis quas audire nemini mortalium quam tibi magis convenit. Nequaquam vero putaveris te alacriter adeo esse me hortatum, ut scriptam orationem audire dignareris. Neque enim aut ego ornamenta oratoria certatim aucupor aut te ejusmodi orationes vel ad satietatem jam inde audivisse ignoramus. Adhæc illud etiam omnibus est perspicuum, si qui ostentare ingenia cupiant, celebres eis conventus esse petendos — ibi enim loci plurimos invenient eloquentiæ suæ admiratores —, si qui autem perficere aliquid studeant, iis cum eo disserendum esse,

qui rebus ipsis, quæ oratione fuerint expositæ, summum fastigium quamprimum imponat. Quod si urbi alicui consilium darem, cum magistratibus et principibus civitatis sermonem haberem: quum vero de salute Græcorum tuenda suadere instituerim, quisnam mihi æquius appellandus erit quam is qui et nobilitate et potentia Græcis omnibus antecellit?

5. Neque vero nos harum rerum intempestive mentionem facere censendum est. Nam, dum Lacedæmonii rerum potirentur, neque facile tibi fuisset gentis nostræ suscipere curam, neque illis adversari et simul cum Carthaginiensibus bellum gerere. Cum vero in eo loco res Carthaginiensium sunt, ut bene secum agi putent si suam ditionem tueri queant, nostra vero civitas promptissime tecum suas opes conjunget, si de Græcia bene mereri studueris, quæ hac melior occasio tibi dari queat?

6. Mirari autem non debes me, qui neque orator sim neque imperator nec alioqui vir potens, negotium tam arduum suscepisse, duasque res maximas conari, ut et de statu Graciæ orationem habeam et tibi dem consilium. Nam ego ut nunquam gessi rempublicam — qua quibus de causis abstinuerim, dictu operosum fuerit —, sic nemo negabit, opinor, me ea doctrina, quæ res minutas despicit et consequi arduas conatur, non esse destitutum. Quare absurdi nihil fuerit, me, quid publice prosit, aliquanto acutius perspicere quam qui isthic reipublicæ præsunt, magnamque auctoritatem habent. Statim autem declarabimus an alicujus pretii simus, cujus rei testis aptissimus ipsa erit oratio.

II.

PHILIPPO.

1. EQUIDEM scio solere gratiores esse omnibus laudatores quam monitores, præsertim si quis præcipiendi munus non rogatus ipse ultro suscipiat. Ego vero, nisi prius optimo studio te monuissem iis de rebus, quæ officii tui esse maxime videbantur, fortasse nunc de iis quæ tibi acciderunt pronuntiare non instituerem. Sed quia mihi propositum est rerum tuarum gerere curam tum patriæ meæ tum cæterorum Græcorum causa, turpe mihi ducerem, quum de rebus non perinde necessariis consilium tibi dedissem, nunc longe graviorum nullam facere mentionem idque cum scirem illa tantum ad gloriam, hæc vero ad salutem tuam pertinere, quam neglexisse visus es iis omnibus qui convitia in te dicta audiverunt.

2. Nemo enim est quin statuat te in adeundis periculis magis esse temerarium quam regia dignitas patiatur, et de laude fortitudinis, quam de summa rerum, plus sollicitum esse. Atqui æque turpe est et hostibus circumdatum strenue pugnando alios non superiorem esse, et, quum nulla talis urget necessitas, in ea te discrimini conjicere quibus superatis nihil memorabile gesseris, interfectus omnes fortunas una evertas. Neque vero semper præclarum habendum est in bellis occumbere, sed quando id fit pro defensione patriæ et parentum liberumque laudabile est; quum vero talis obitus et his omnibus nocet et superiorum temporum successibus labem adspergit, turpis habendus, et fugiendus est ut insignis ignominiæ conciliator.

3. Eam potius in gerendis bellis rationem tibi sequendam censeo, qua urbes utuntur. Nam hæ omnes, quum aliquo mittunt exercitus, rempublicam et senatum de rebus deliberantem in tuto collocare solent. Unde id etiam evenit, ut, si qua plaga fuerit accepta, non tamen una vires omnes amittant, sed et multas clades perferre et opes suas recuperare possint. Quod et tibi propositum esse debet, neque ullum salute majus esse bonum existimandum, ut etiam victoriis quæ contigerint recte uti queas et clades quæ inciderint reparare possis. Non vides quanta sit Lacedæmoniorum de regum incolumitate sollicitudo? adeo ut clarissimi quique cives eos

tueri soleant? quibus turpius est a capite regis pericula non depulisse quam clypeum abjecisse. Neque illa etiam ignoras, quæ Xerxi Græcos opprimere servitute conato et Cypro Persicum regnum sibi vendicare aggresso acciderunt: alter enim tantis prœliis victus, tot cladibus affectus, ut nullum simile exemplum quisquam norit, tamen quia vitam conservarat, non ipse modo regnum recuperavit, sed idem filiis suis reliquit, et Asiam ita firmavit ut nihilo minus sit quam prius formidanda; Cyrus autem, victis omnibus regis exercitibus, quum summa rerum potitus esset, temeritate sua non seipsum duntaxat tanto imperio privavit, sed et milites suos in extremum discrimen adduxit. Innumeros commemorare possem, qui cum maximorum exercituum duces essent, quia ipsi immature perierunt, una secum innumeros in exitium traxerunt.

4. Hæc exempla tibi considerandæ sunt, ut eam fortitudinis laudem, quæ cum immani vecordia et intempestiva ambitione conjuncta est, non appetendam judices, neque ipse tibi in tot regnorum propriis periculis alia ignobilia et militaria accersas, neque cum iis certes qui aut vitam calamitosam perdere volunt aut stipendii majoris impetrandi causa temere in pericula se conjiciant; neque gloriam desideres tibi cum aliis multis et barbaris et Græcis communem, sed eam cujus tanta sit amplitudo ut tibi soli nostro sæculo contingere queat; neque tales virtutes minis adames, quæ contemptis etiam hominibus haud negatæ sunt, sed illas quarum nemo malus particeps esse possit; neque bella geras obscura et molesta, quum honoratæ et leviora suscipere liceat, neque ea, per quæ et tibi conjunctissimos molestiis ac sollicitudinibus afficias, et hostibus tuis magnam spem subministres, id quod nunc quoque abs te factum est: sed barbaros istos, cum quibus nunc dimicas, tantisper vicisse sufficerit, dum regnum tuum in tuto collocaris; late vero qui nunc Magnus Rex appellatur regno evertendus est, ut et gloriam tuam amplifices et Græcis ostendas quocum bella gerenda sint.

5. Vehementer autem optarim me hunc ad te scripsisse ante susceptam expeditionem, ut vel, si paruisses, in tantum periculum non venisses, vel, si mea monita neglexisses, ego non viderer ea suadere quæ nunc eventu magistro edocti omnes probant, sed ut exitus testaretur vera et recta fuisse mea his de rebus consilia.

6. Quum vero hujus disputationis ea natura sit ut largum dicendi materiam præbeat, ego pluribus verbis non utar; quod existimo et teipsum et ex amicis tuis viros honestissimos facile, quam multa volueritis, ad hæc adjecturos. Præterea vereor ne fuerim in hoc loco tractando intempestivus: nam, dum paulatim progredior, non animadverti me neglecta epistolæ brevitate in justæ orationis prolixitatem incidisse.

7. Quæ quanquam ita sunt, non tamen præterire debeo quæ de

nostra urbe dicenda sunt, sed danda est opera ut te adhorter ad contrahendam cum ea familiaritatem et amicitiæ usum. Arbitror enim esse multos qui nuntient atque dictitent non odiosissima tantum quæ apud nos de te dicta sunt, sed quædam etiam de suo affingant: quibus te auscultare non decet. Absurdum enim fuerit te, qui nostrum populum eo reprehendas quod calumnioteribus facile aures præbeat, illos magnificere qui artem calumniandi exercent, neque intelligere istos, quo facilius civitatem nostram a quibuslibet in quamvis posse traduci partem asserunt, eo tibi magis opportunam eam esse ostendere. Nam, si hi qui nulla in rempubl. beneficia conferunt, solis verbis quicquid volunt impetrant, qui consentaneum est te, qui ipsis factis nos plurimum juvare potes quicquam a nobis non consecuturum?

8. Acerbis autem nostræ urbis accusatoribus illos esse opponendos video, qui Atheniensium omnia esse dicunt, neque minus eos qui Athenienses nulla vel magna vel parva in re deliquisse asserunt. Absit autem ut ego tale aliquid dicam. Nam, quum alii nec deos omni crimine vacare putent, me gloriari puderet nostram urbem nihil unquam peccavisse. Illud tamen habeo dicere, te nullam aliam urbem inventurum quæ vel Græcis vel tuis rebus magis sit opportuna: quod tibi est diligentissime considerandum. Nec enim tantum, si tecum societatem inierit, sed si vel amica tibi esse visa fuerit, maximas tibi allatura est utilitates: nam et hos qui tibi nunc parent, si non habebunt ad quos confugiant, in officio continebis, et quosvis barbarorum celerius subiges. An vero talis benevolentia non alacriter expetenda est, qua non modo partum imperium secure teneas, sed amplam etiam ditionem sine periculo acquiras? Miror equidem eorum principum rationes, qui peregrinos milites conducunt et magnis impensis alunt, a quibus et ipsi norunt plures eorum qui illis crediderunt esse proditos quam servatos, tam potentis vero urbis adjungere sibi studia non conantur, quæ tum singulas urbes tum universam Græciam sæpe jam conservavit. Illud cogita, multos laudare tuam prudentiam, quod ita cum Thessalis egeris ut et æquum erat et illis expediebat, qui quidem viri sunt non facillimis ingeniis, sed animosi et seditiosissimi. Isthæc eadem ratio de nobis etiam erit ineunda, quum scias, ut regionem Thessalorum, sic Atheniensium potentiam tibi esse finitimam; quam tibi omni studio conciliare debes, quum sit multo præclarius benevolentiam civitatum capere quam mœnia. Talia enim facta non modo invidiosa sunt, sed et quicquid fit hujus generis exercitibus plerumque adscribitur: si autem familiaritates contrahere potueris et hominum benevolentiam colligere, sapientiam tuam mirabuntur omnes.

9. Hæc quæ de urbe nostra disserui, affirmanti mihi jure credes: satis enim constat me et meis civibus adeo assentari non solere, ut

nemo sit omnium qui sæpius eos reprehenderit, neque in magno esse pretio apud vulgus et temerarios rerum æstimatores, sed illorum aliis ignotum esse, aliis æque invisum ac te. Hoc tamen inter nos interest, quod tibi potentiam et opes invident, mihi quod me illis sapientiorem esse profiteor, pluresque sunt qui mea consuetudine quam illorum delectentur. Utinam vero tam facile mihi esset, quam tibi, conceptam de nobis vulgi opinionem abolere. Nunc id quidem in tua manu est, modo velis, mihi vero tum propter senium tum pluribus aliis de causis boni fortuna mea est consulenda.

10. Non video plura dicere quorsum attineat, hoc tamen addam, licere vobis regnum vestrum ac felicitatem Græcorum benevolentiæ tanquam depositum commendare.

III.

PHILIPPO.

1. Etsi cum Antipatro etiam et de nostræ urbis et tuis comme-
diis satis, ut mihi persuadeo, copiose disserui; tamen ad te quoque
scribere volui, quid pace jam facta mihi agendum esse videatur,
non multum absimilia his quæ in oratione perscripta sunt, sed
multo breviora.

2. Tum enim suadebam ut, compositis nostræ urbis et Lacedæ-
moniorum et Thebanorum Argivorumque controversiis, Græcos in
concordiam reduceres; existimabam enim, si id a principibus civi-
tatibus impetrasses, quamprimum reliquas quoque secuturas. Ac
illo quidem tempore alius erat rerum status: nunc vero in eo loco
res sunt ut suadere nihil sit necesse. Nam propter commissum
prælium omnes coacti sunt ad sanam mentem redire et ea desidе-
rare quæ te velle facere suspicantur, et dicere omissa insania et
avaritia, qua alios alii exagitarent, in Asiam bellum esse trans-
ferendum.

3. Complures etiam ex me quærunt utrum ego tibi suaserim ut
expeditionem contra barbaros susciperes, an vero, quum tu jam id
decrevisses, ego sententiæ tuæ approbator accesserim: ego vero,
qui nunquam hactenus te convenerim, nihil me de eo comperti ha-
bere dico, sed putare tamen, quum tibi id jam antea deliberatum
esset, me tuis consiliis suffragatum esse. Quæ illi quum audirent,
me omnes rogabant ut te hortarer ne mutares consilium; nunquam
enim edi posse illustriora facinora vel Græcis utiliora, neque un-
quam posse dari meliorem rei gerendæ occasionem.

4. Si igitur ea quæ olim fuit ingenii facultas mihi suppeteret,
neque senectus omnes vires ademisset, non per literas tecum age-
rem, sed coram te incitarem et cohortarer ad hoc negotium strenue
suscipiendum. Nunc, ut possum, te hortor ne hæc negligas aut
desistas priusquam rem omnem confeceris. Alterius porro defi-
cientium cupiditate insatiabili æstuare non est honestum — nam
plerisque probatur mediocritas —, sed magnam illustremque glo-
riam desiderare nec ejus unquam satietate affici debent qui aliis
multum antecellunt: id quod tibi contigit. Tum autem ad famæ
tuæ splendorem nihil posse accedere putato eamque rebus tuis

gestis parem fore, quum barbaros, iis exceptis qui se ad ductum tuum applicaverint, Græcis servire coegeris, illumque regem, qui nunc Magnus appellatur, eo redegeris ut ea agat quæ tu imperaris. Hoc autem rerum statu nunc hæc tibi perficere multo facilius est, quam eam consequi potentiam et gloriam, quam tibi vetusti regni subsidio comparasti; neque enim quicquam tibi est reliquum nisi ut deus fias. Ego vero senectuti ob hoc unum habeo gratiam, quod eo usque produxi vitæ meæ tempus, ut ea quæ adolescens animo agitavi et tum in Panegyrica tum ad te missa oratione scribenda suscepi, partim jam per te geri et administrari videam, partim deinceps perficienda esse sperem.

IV.

ANTIPATRO.

1. Quanquam apud nos periculosum est literas mittere in Macedoniam, non modo nunc quum bellum vobiscum gerimus, sed pacis etiam tempore, ego tamen ad te scribere de Diodoto instituì; sequum enim esse existimo ut magnifaciam tum omnes familiares meos qui se nobis dignos præbuerunt, tum vero hunc propter et benevolentiam erga nos et morum integritatem. Maxime autem vellem eum per nos fuisse commendatum: postquam vero aliorum opera ei aditus ad te patefactus est, hoc mihi relinquitur, ut testimonium de eo dicam eamque notitiam quæ inter te et illum est confirmem. Nam cum multi et varii viri, atque ex illis plerique gloria celebres, mea consuetudine sint usi, reliquorum alii eloquentia alii prudentia et rebus gerendis claruerunt, ac alii quidem vitæ modestia et suavitate morum commendati sunt, quum ad alios usus et actiones prorsus inepti essent: huic autem ea contigit ingenii dexteritas, ut in his quæ diximus omnibus sit absolutissimus. Quæ ego dicere non auderem, nisi et ipse ab omni parte perspectum eum haberem et omnino putarem te idem cogniturum, partim ex familiaribus cum eo congressibus, partim ex eorum quibus notus est sermonibus. Quorum nemo erit, nisi supra modum sit invidus, quin fateatur eum et eloquentia et consiliis nullo esse inferiorem, virumque justissimum et modestissimum et ab avaritia alienissimum, atque in consuetudine quotidiana et convictu suavissimum hominem et urbanissimum, ad hæc magnam in eo esse dicendi libertatem, non illam indecoram, sed hanc quæ jure maximum signum habetur benevolentiæ erga amicos: quam ex principibus hi qui tantos animos habent, quantos imperii majestas requirit, tanquam utilem venerantur; qui autem imbecilliioribus sunt ingeniis quam potentiæ amplitudo postulat ut molestam aversantur, quasi vero per eam cogantur aliquid contra sui animi voluntatem facere, qui non intelligunt, quum de utilitate deliberatur, eos qui adversari audent, maximam eis dare potestatem ea quæ velint faciendi. Consentaneum enim est eos, qui ad gratiam loqui omnia student,

non modo regum imperia, quæ multa eaque necessaria pericula secum trahunt, firmare non posse, sed ne rerumpubl. quidem, quæ aliquanto tutiores sunt, libertatem; eos autem, qui propter audientium utilitatem libere quæ sentiunt dicunt, multa conservare quæ alioqui peritura videbantur. Quibus de causis æquum est apud omnes principes majorem esse eorum qui vera dicere non dubitant auctoritatem, quam horum qui ad gratiam omnia, nihil autem gratia dignum loquuntur: fieri tamen solet ut illi apud nonnullos minore in pretio sint quam assentatores. Id quod etiam Diodotum apud quosdam Asiæ proceres afflixit; quorum commodis quum multis in rebus consuluisset, non dandis modo consiliis, sed rebus etiam gerendis adeundisque periculis, quia tamen liberius eos officii sui monebat, tum honores quos in patria tenuit amisit, tum amplissimorum spe præmiorum decidit, atque ita plus valuerunt levissimorum hominum adulationes meritis et beneficiis tanti viri. His de causis, tametsi ad vos se conferre semper in animo habebat, tamen nescio quo timore est retardatus, non quod omnes in altiori dignitatis gradu collocatos similes esse inter se putaret, sed quia difficiles aliorum mores expertus minus avide spem quæ a vobis ostendebatur amplecti audebat, similia, ut puto, passus ac navigantium plerique, qui ubi semel in tempestates inciderunt, nunquam securis animis mare ingrediuntur, etsi sciunt sæpe prosperam etiam navigationem solere contingere. Sed quoniam tibi commendatus est; id bene esse factum, eique profuturum puto. Quod ut existimem, tua in primis facit humanitas, quæ ab exteris hominibus prædicatur; deinde vos præterire non arbitror nihil esse vel suavius vel utilius quam fideles simul et utiles amicos parare beneficiis, et de talibus viris bene mereri, propter quos multi etiam alii gratiam vobis habituri sunt. Omnes enim boni et docti eos, qui præstantibus doctrina et virtute viris honorem habent, non minus laudant et venerantur, quam si in ipsos collata fuissent omnia.

2. Sed ipsum Diodotum suapte potissimum industria effecturum esse arbitror ut sui curam geras. Auctor autem etiam ejus filio fui, ut se ad vos conferret seque vobis in disciplinam quasi tradito proficere atque operæ pretium facere conaretur. Quod quum ex me audisset, se quidem vestræ amicitiæ percupidum esse dixit, sed eodem esse erga illam animo quo erga certamina coronaria. Cupere enim in illis victoriam consequi, sed ad ea propterea descendere non audere, quod sibi vires coronis dignas deesse animadvertat; eodemque modo se optare quidem honores a vobis consequi, sed eam sibi facultatem negatam esse arbitrari: nam et imperitia sua et splendore vestro se deterreri, huc accedere corpusculum quoque minus elegans, et nævis quibusdam inspersum, quod existimet in multis sibi rebus impedimento fore.

3. Et hic quidem quod e re sua esse putabit, id faciet: sive autem ad vos se contulerit, sive quieti ac otio deditus in hisce locis versabitur, curæ tibi esse velim, tum cætera quibus indigebit omnia ut subministres, tum vero et hujus et parentis ejus vita in tuto ut collocetur; existimare enim debes te hunc tanquam depositum habere a senectute nostra, quæ minime certe negligenda est, et ab ea auctoritate, si quo forte nomine digna videbitur, quam habemus, et ab ea benevolentia qua vos per omnem ætatem sum prosecutus. Neque mireris, si vel prolixiorem scripsi epistolam, vel aliquid in ea curiosius et senilius diximus: ego enim neglectis cæteris rebus omnibus in hoc unum toto animo intentus fui, ut appareret mihi maximæ curæ esse amicorum commoda, quos summa caritate complector.

V.

ALEXANDRO.

1. Quum ad patrem tuum literas darem, absurde me facturum putabam, si te, qui in eodem loco cum illo versareris, neque compellarem neque salutarem, neque tale aliquid ad te scriberem, quod efficeret ne ii qui legerint putarent me jam senio desipere aut prorsus delirare, sed ingenium, quod adhuc mihi reliquum est nec una cum vigore corporis interiit, non indignum esse ea facultate qua junior florebam.

2. Prædicari autem te ab omnibus audio, ut et humanum et Atheniensibus amicum et sapientiæ studiosum, non insipienter, sed prudentissime. Illo quoque laudem mereris, quod ex nostris civibus amare et magnifacere diceris non eos qui nullum virtutis et doctrinæ studium habuerunt malarumque rerum cupiditate constricti tenentur, sed hos quorum disputationibus audiendis nullas molestias capias, quorumque commerciis et consiliis utendo neque damnis neque injuriis afficiaris; talium enim consuetudo prudentibus expetenda est: inter doctrinarum porro genera ne dialecticas quidem disputationes improbare diceris, sed sic de illis sentire, ut eas existimes in privatis congressibus permultum valere, non tamen vel populi gubernatoribus vel principibus esse opportunas; nec enim expedire nec decere ut, qui dignitate cæteris præstant, vel ipsi cum civibus rixentur vel cæteris dent contradicendi licentiam. Hoc igitur studium te non amare ferunt, sed eloquentiæ disciplinam permagni facere, qua utimur et in quotidianæ vitæ negotiis, et quum de republ. deliberamus. Per quam et de futuris rebus prudenter autumabis et iis qui tibi parent non insipienter, quid singulos facere deceat, præcipere poteris, et de rebus honestis et justis harumque contrariis recte judicare, præterea sic vel pœnis vel præmiis afficere utrosque ut mereantur. Magna igitur laude digna est tua sapientia, qui talibus studiis nunc occuperis: spes enim et patri et reliquis amicis affers, ubi ætate processeris et in his actionibus perseveraris, fore ut reliquos tantum sapientia anteeas, quantum pater tuus omnibus antecellit.

VI.

IASONIS LIBERIS.

1. Renuntiavit mihi nostratium legatorum quidam se a vobis sevocatum ad seorsim a ceteris interrogatum esse, an persuaderi mihi possit ut peregre profectus vestra familiaritate utar. Ego vero propter Iasonis et Polyaleis hospitium libenter ad vos venirem; cum enim congressum posse nobis omnibus prodesse opinor: sed multa me impediunt, atque illud in primis quod et itineris labores ferre nequeo et tam grandi ætate peregre vivere indecorum est, deinde quod omnes audita ea peregrinatione jure me contemnerent, qui, reliquo vitæ meæ tempore otium amplexus, in senectute demum peregrinari instituerem, quum deceret, etiamsi prius alibi vixissem, nunc domum festinare, postquam ab obitu tam prope absum. Ad hæc, vera enim dicenda sunt, etiam civitatem meam formido: qui initas cum ea societates celeriter solere dirimi videam. Quod si et vestris in rebus tale aliquid accidisset, quomodo et crimina et pericula effugere possem, id quod difficile admodum est, et dedecus non admitterem, sive aliqui putarent vos a me propter meam civitatem negligi, sive propter vos patriæ rationem non haberi? Quum autem non communis sit utilitas, quomodo utrisque gratificari queam non perspicio. Causæ igitur, propter quas ea quæ vellem mihi facere non licet, tam multæ inciderunt.

2. Neque tamen decere existimo ut de meis duntaxat rebus scribens res vestras negligam; sed quæ isthic coram disseruissem, hæc eadem nunc ita ut potero explicare conabor. Neque vero putetis hanc epistolam ostentationis a me causa potius scriptam esse, quam hospitii vestri. Non enim ita insanio ut ignorem, me hac affecta ætate meliora his quæ prius edita sunt scribere nequaquam posse; sin deteriora protulero, fore ut gloria mea non parum minuatur. Deinde, si ostentationi ingenii servire magis quam serio vobiscum agere studerem, non hoc argumentum ex omnibus delegissem, de quo haud difficile est apte disserere: sed alia longe pulcriora et uberiora reperissem. Sed neque hactenus unquam de his mihi placui, sed ob alia potius quæ plerique ignorant, neque nunc eo animo laborem hunc cepi: quum autem vos multis arduis negotiis implicatos esse videam, quæ mea sit de illis sententia declarabo;

ac dandi quidem consilii facultatem ætati meæ adesse censeo — nam experientia et rerum multarum usus senes erudit, atque efficit ut quid expediat acutius quam alii perspicere posse videantur —, de propositis autem rebus suaviter et concinne atque elaborate dicere non jam nostræ ætatis est, proinde hoc mihi sufficerit, si meam sententiam non dissolute prorsus exposuero.

3. Neque vero miremini, si quid dicere videbor quod prius audivistis: nam eorum quoddam fortassis etiam invito in mentem veniet, quoddam, si instituto meo sit idoneum, assumam. Ineptus enim essem, quum alios videam dicta mea mutuari, si ego solus his quæ prius ipse dixi abstinerem. Hæc propterea præfatus sum, quod id quod primum occurrit, unum ex pervulgatis est. Soleo enim ad nostræ disciplinæ sectatores dicere, ante omnia esse considerandum quidnam oratione et partibus orationis efficiendum sit: quod ubi invenerimus et accurate confecerimus, rationes et ornamenta quærenda esse dico, quibus argumentum expoliatur et finem eum qui nobis propositus fuerat consequatur. Et hæc quidem de orationibus dico: est autem idem et aliarum rerum omnium et vestræ deliberationis fundamentum. Non enim fieri potest ut quicquam prudenter agatur, nisi hoc primum singulari sapientia cogitaveritis et constitueritis, quales vos in posterum præbere velitis et quomodo vitam vestram instituere qualemque auctoritatem expetere et utrum honorem adamare, eumne quem cives ipsi ultro deferunt, an qui ab iisdem invitis extorquetur: his definitis et decretis, jam inde actiones quæ in dies incidunt considerandæ sunt, et efficiendum ut ad eum finem qui initio propositus fuit referantur. Quod si hoc modo quæretis [sapienterque cogitabitis], vestra consilia ad rationem utilitatis tanquam meta proposita accommodabitis eamque magis assequemini: sin nullum tale fundamentum jacietis, sed id quod fortuito incidet agetis, necesse est ut animis vestris erretis et multis rebus frustremini.

4. Fortassis autem eorum aliquis, qui temere vitam instituerant, has rationes perstringere conabitur, et, ut certi aliquid de proposita quæstione dicam, postulabit. Non igitur quid tota de re sentiam, dissimulandum est. Mihi optabilior esse videtur et melior privatorum hominum quum tyrannorum vita, et jucundiores eos honores esse puto qui in rebuspub. quam qui in monarchiis geruntur. Quanquam autem scio fore multos qui mihi adversentur et familiares vestros in primis, hac de re tamen disserendum est. Hos enim vos magnopere ad retinendam stabiliendamque tyrannidem incitare opinor. Non enim rei naturam universæ nec ab omni parte intuentur, sed hallucinantur et in errores ipsi se conjiciunt. Auctoritatem illi quidem et emolumenta et voluptates vident, iisque se frui posse sperant, sed turbas et clades principibus objici solitas illo-

rumque amicis non perspiciunt, idemque illis evenit quod his qui turpissima et maxime nefaria facinora moliuntur. Illi enim, etsi rerum pravitatem non ignorant, tamen id commodi quod illis inest excerpturos se sperant, periculis et malis omnibus quæ cum iis rebus conjungi solent evitatis, eamque de se ipsis rationem inituros ut et a discrimine omni sint remotissimi et utilitatibus proximi. Si qui igitur ita sentiunt, illos ego sua socordia beatos esse facile patior; me vero puderet aliis suadentem, illis neglectis, meum compendium spectare, nec repudiatis et commodis et ceteris rebus omnibus ut a me alienis utilissima præcipere. Mihi igitur sic ausculteris velim, ut me hoc esse animo non dubitetis.

VII.

TIMOTHEO.

1. Qua necessitudine inter nos conjuncti simus, ex multis te audivisse arbitror; gratulor autem tibi primum quod ista potestate rectius uteris quam pater ac prudentius, deinde quod honestam famam parandi quam magnas divitias coacervandi es studiosior. Non enim parvum signum virtutis ostendis, sed quam fieri potest maximum, qui tali animo sis præditus; quare si, ut cœpisti passimque de te nunc prædicatur, perrexeris, non defuturi sunt qui et sapientiam tuam et institutum istud laudibus illustrent. Arbitror autem etiam ea quæ de patre tuo dicuntur momenti plurimum ad hoc esse allatura, ut sapere aliisque præstare videaris. Solent enim plerique non ita commendare et venerari laudatis patribus natos, ut eos qui patrum sævitiam et immanitatem nulla ex parte imitantur. Quicquid enim boni mortalibus præter exspectationem offertur, id omnibus in rebus longe gratius est quam ea quæ usitata et legitima ratione contingunt.

2. His igitur consideratis quærendum tibi et sollicite cogitandum est, quibus modis et quorum opera quorumque consiliis tum urbis calamitates emendes, tum cives ad beneficentiam et modestiam cohorteris, atque efficias ut et suavius et securius ævum exigant quam superiori tempore. Nam hæc officia sunt bonorum et cordatorum principum. Quibus nonnulli contemptis in id unum intenti sunt, ut cum summa licentia atque libidine vitam degant, vexatis aut spoliatis optimis et ditissimis et prudentissimis civibus; ignorant illi nimirum decere viros prudentes in hoc honorum et dignitatis fastigio collocatos non ex aliorum miseriis suas parare voluptates, sed sua sollicitudine et laboribus civium felicitatem augere, neque acerbitatem et sævitiam in omnes exercere suamque salutem negligere, sed imperium ea clementia et æquitate administrare ut nemo eis audeat insidiari, et non minore vitam suam diligentia munire, quam si omnes in eorum exitium conspirassent. Hac enim ratione fiet ut et ipsi extra periculum sint et apud Græcos gloria floreant: quibus majora bona invenire difficile est. Inter scribendum autem in mentem mihi venit secundissima tibi omnia accidisse. Opum enim abundantiam, quas tyrannice per multam violentiam et magna odia parari necesse erat, pater tibi reliquit, his vero bene et humaniter uti in tua manu est, et in eo te summo studio elaborare decet.

3. Quæ igitur mihi consulta videantur, hæc sunt. Sic autem se res habet. Si pecunias majoremque potentiam et pericula, sine quibus hæ parari nequeunt, adamas, alii tibi in consilium adhibendi erunt: sin tibi harum rerum abunde est, virtutis vero et honestæ famæ ac popularis benevolentiæ desiderio teneris, et orationi meæ obtemperandum erit, et cum illis certandum qui præclare suas urbes administrant, non modo ut par illis evadas, sed etiam ut eos superes. Nam Cleommin audio, qui Methymnæ dominatur, tum in aliis actionibus viri boni et prudentis fungi officio, tum tantum abesse, ut quenquam civem occidat aut in exsilium agat aut proscribat aut simili clade afficiat, ut cives ejus in summa securitate degant, ut patria pulsos ab exsilio revocet, ut restitutis possessiones unde exciderunt reddat, his vero qui eas tenuarant tantum pro eis numeret quanti emerunt, neque his contentus cives omnes armis instruat et exornet, nihil metuens ne qui novarum rerum studiosi insidias ipsi struant; quod si qui audeant, mortem oppetere satius esse ducit in tanta humanitate et benignitate erga cives, quam crudeliter in eosdem grassando vitam ultra usitatum mortalium terminum producere.

4. Plura de his, et fortasse accuratius, tecum disseruissem, nisi mihi hæ literæ cum magna festinatione scribendæ fuissent. Sed alias iterum tibi, nisi me senium prohibuerit, consilium dabimus, in præsentia vero de privatis rebus agemus.

5. Autocrator, qui literas has tibi reddit, est mihi familiaris. Nam et in iisdem studiis versari sumus et eadem arte sæpe usus sum, denique illi auctor fui ad te proficiscendi. His omnibus de causis eum honorifice itaque tractes velim ut nostrum utrique expedit, ac præ te feras, quicquid officiorum in eum conferas, aliqua ex parte mea quoque gratia fieri.

6. Neque mireris, me tam expedite ad te scribere, quia Clearcho nihil unquam petierim. Nam fere omnes, qui isthinc ad nos navigant, te similem esse dicunt præstantissimis eorum qui nobiscum una versati sunt, Clearchum vero, quo tempore apud nos fuit, fatebantur omnes, qui eum unquam convenerant, liberalissimum esse et mansuetissimum et humanissimum inter omnes discipulos nostros: posteaquam autem principatum est adeptus, ita mutasse animum visus est, ut omnes qui eum prius noverunt demirentur. Ob has igitur causas factus ab eo sum alienior; te vero amo et probo, ac vehementer velim te nos complecti familiariter. Sed et tu quamprimum ostendes, an idem tuus sit erga nos animus: nam et Autocratorem commendatum habebis, et epistolam ad nos mittes, qua vetus amicitia nostra et hospitium renovetur. Vale, et si quid de nostris opus fuerit, scribito.

VIII.

AD MYTILENÆORUM MAGISTRATUS.

1. Apharei liberi, mei nepotes, ab Agenore in musicis eruditi, me orarunt ut vos per literas rogarem, ut, quando etiam alios nonnullos ab exsilio revocastis, et hunc cum patre et fratribus restituatis. Quibus ego quum dicerem vereri me ne nimis absurde et impudenter facere viderer, qui rem tantam a viris, cum quibus nunquam prius vel collocutus vel familiaritate conjunctus essem, impetrare studerem, hac excusatione audita rogando multo magis instare coeperunt. Ubi vero spe sua prorsus frustrabantur, omnibus apparebat eos affici molestia et repulsam graviter ferre. Quum autem eos vehementius dolere viderem quam decebat, tandem pollicitus sum me hanc epistolam scripturum et ad vos missurum esse. Atque haec habeo quae dicam ad deprecandum stultitiae et importunitatis crimen.

2. Arbitror autem vos prudenter fecisse, qui et cum civibus vestris in gratiam redieritis, et operam dederitis ut exsulum numerus minuatur, sociorum in republica major fiat, et in ista seditione urbis nostrae exemplum imitemini. Illud autem in primis laude dignum est, quod exsulibus ereptas opes una cum patria restituitis: ostenditis enim et omnibus declaratis, vos non alienarum opum cupiditate impulsos, sed reipubl. metuentes, urbe eos ejecisse.

3. Verum, etiamsi nihil horum decrevissetis nec ullum exsulem reciperetis, e re vestra tamen esse putarem ut his de quibus ego scribo patriam redderetis. Quum enim inter omnes constet vestram urbem peritia musicae omnibus antecellere, et viros in ea arte celeberrimos apud vos esse natos, turpe fuerit eum, qui cognitione hujus disciplinae nostrae aetatis artifices superat, tali civitate exsulare; et quum ceteri Graeci eos qui aliquo honesto studio excellunt, tametsi prorsus alienos, civitate donare soleant, vos, quorum apud alios hac de causa celebre nomen est, committere ut civis vester apud exteros inquilinum agat. Demiror equidem eas civitates, quae majora praemia victoribus in ludis gymnicis decernunt quam his qui ingenii solertia et industria sua vitae aliquid utile repererunt, neque considerant pedum celeritatem et robur morte una cum corpore interire, artium autem eam esse naturam ut perpetuo durent suique studiosos semper juvent. Haec prudentibus consideranda sunt, ut maximi

faciant bonos et justos rerumpublicarum gubernatores, proximumque honoris gradum iis tribuant qui civitati ornamento et gloriæ esse possunt: plerique enim, in hæc ceu specimen quoddam intuentes, reliquos cives universos talibus viris similes esse judicant.

4. Fortassis autem dixerit aliquis, si qui beneficium petant, non rem ipsam tantum esse laudandam, sed ostendendum etiam ipsos non esse indignos ea re de qua verba faciant.

5. Sic autem hæc se res habet. Ego reipubl. administratione et concionibus habendis abstinui, propterea quod et vox et audacia me deficiebat: non tamen omnino nullus mei usus aut nulla fuit auctoritas, sed me his, qui vestræ cæterorumque sociorum dignitati ac commodis patrocinati sunt, et consiliarium et adjutorem fuisse comperietis; præterea plura verba feci de libertate et jure suo Græcis restituendo quam omnes isti qui suggestum crebris concionibus contriverunt. Pro quibus vos mihi rebus, merito maximam gratiam habebetis; nam semper hunc reipubl. statum maxime desideravistis. Arbitror autem Cononem et Timotheum si viverent, ac Diophantum si ex Asia rediisset, mea causa strenue fuisse laboraturos, qui vellent ea mihi a vobis tribui quæ rogo. De quibus nescio quorsum attineat plura verba facere: nemo enim vestrum ita vel adolescens vel obliviosus est, quin collata in vos ab illis beneficia noverit.

6. Sic autem de hoc negotio rectissime deliberaturi videmini, si consideretis et quis sit is qui orat et pro qualibus hominibus intercedat. Reperietis igitur me conjunctissimum et amicissimum fuisse his qui vos et alios summis beneficiis affecerunt, eos vero pro quibus intercedo ejus generis esse homines, qui nec senioribus et magistratu præditis molesti sint, et adolescentes in studiis jucundis et utilibus et huic ætati convenientibus exerceant.

7. Ne vero miremini me præceptius et cæteris copiosius literas ad vos scripsisse. Nam et filiis nostris obsequi, et illis simul ostendere cupio, etiamsi reipubl. non attigerint neque imperatores fuerint, sed mores duntaxat et institutum meum imitentur, fore tamen ut apud Græcos in pretio sint et magni fiant. Unum adhuc est reliquum: si precibus nostris locum dare vobis visum fuerit, ut Agenori et fratribus ejus significetis, sic mea quoque causa ex quadam parte ea tribui quæ optabant.

IX.

ARCHIDAMO.

1. Quum sciam, Archidame, quam multi te parentemque tuum et vestrum universum genus laudibus ornare aggrediantur, eam ipsis dicendi materiam, quum facilis admodum esset et obvia, relinquendam putavi; mihi autem in animo est hortari te ad expeditiones iis prorsus dissimiles quæ hoc tempore suscipiuntur, ad eas inquam expeditiones ex quibus civitati non minus tuæ quam cunctæ Græciæ maximorum bonorum auctor futurus sis. Atque hoc scribendi argumentum delegi, non ignarus quidnam esset ad pertractandum facilius, sed certo sciens fore ut, sicuti arduum simul et egregium esset, tibi proponere quas geras res præclaras et magnas et utiles, ita tuas tuæque familiæ virtutes laudare haud difficulter possem. Neque enim opus fuisset de meo depromere quæ de his dicerentur, quando ex ipsis per vos gestis rebus talis mihi ac tanta dabatur dicendi seges, ut quæ de aliis prædicantur laudes ne vel tantillum cum iis conferri possint quibus vos soletis celebrari.

2. Quisnam enim superet vel nobilitatem eorum qui ab Hercule et ipso Jove genus ducunt, quam omnes uno ore confitentur in vobis solis reperiri, vel virtutem eorum qui Doricas in Peloponneso urbes condiderunt et illam regionem occupaverunt, vel præliorum trophæorumque multitudinem quæ vestro ductu atque auspiciis facta sunt et statuta? Quis autem dicendis egeret, qui velit tum fortitudinem ac temperantiam vestræ civitatis tum a vestris majoribus institutum reipublicæ statum percensere? Quantis porro verbis non liceret explicari parentis tui prudentia, ejusdemque in adversis rei gerendæ ratio, et illud quod intra ipsam urbem commissum est prælium? In quo tu prælio constitutus imperator, pugnando cum paucis adversus multos, omnibus antecelluisti, et urbem tuam ab exitio servasti; quo nihil præclarius ab ullo proferri possit. Neque enim vel urbes expugnare vel hostium magnas copias interimere magnum adeo est et honorificum, ut fuit e tantis periculis patriam liberare,

non illam vulgarem aliquam, sed quæ tantopere virtutis causa emineret. De quibus nemo scilicet non cum ostentatione sed simpliciter narrando, neque cum verborum ornatu sed enumerando duntaxat et temere quidvis effundendo, disseruerit, qui non ex eo magnam sibi laudem comparaverit.

3. Ego porro qui etiam de his poteram idoneo modo præfari, illud quoque sentio, primum facilius esse de præteritis copiose eloqui quam de futuris cordate dicere, deinde omnes homines majorem habere gratiam laudantibus quam consiliantibus—illos enim libenter excipiunt ut sui studiosos, hos vero, nisi jussi admoneant, auribus obtundere arbitrantur—, quæ etsi omnia præviderim, nihilo tamen secius ab his abstinui quæ ad gratiam ineundam dicenda essent, de his tantummodo dicturus de quibus nemo alius ausit, ratus nimirum decere eos, qui de æquitate et prudentia cum aliis contendunt, nequaquam ea sibi eligere argumenta quæ tractatu facillima sunt sed quæ difficillima, neque rursus ea quæ auditu sint jucundissima, sed ex quibus emolumenti plurimum afferant tum civitatibus suis tum Græcis omnibus, in quorum utilitatem totus nunc intendor.

4. Demiror autem alios quibus vel agendi est vel dicendi aliqua facultas, quod nulla unquam de communibus rebus illorum animos cogitatio subeat, neque moveantur Græciæ calamitatibus, cujus status adeo fœdus est et miserabilis, ut nullus in ea locus reperiatur, qui non bellorum, seditionum, cædium, et infinitorum malorum plenus sit. Quorum quidem partem longe maximam sustinent ii qui Asiæ maritima incolunt, et a nobis universis in fœderibus sunt dediti non barbaris tantummodo, sed iis item Græcis qui, etsi nobiscum eadem lingua utantur, a moribus barbarorum nihil discrepant: quos certe, si in nobis quidquam esset sanæ mentis, non sineremus coire et a quibuslibet in expeditionem educi, majoresque et validiores conflari copias e vagantibus viris quam e civibus in urbe degentibus. Qui quum exiguam admodum ditionis regiæ partem devastent, Græcas urbes ad quascunque accesserint evertunt, in quibus alios trucidant, alios exterminant, alios bonis exspoliant, prætereaque pueros et fœminas contumeliis afficiunt, et in his forma præstantissimas contemerant, cæteras iis exuunt vestimentis quibus teguntur ipsarum corpora, ut quas antea in peregrina veste nunquam ne ornatus quidem gratia vidisses, nudæ jam a multis conspiciantur, et earum nonnullæ in vilibus pannis ob necessariorum inopiam pereant.

5. Quæ quum tanto jam tempore mala perdurent, nulla tamen civitas ex iis quæ Græcorum imperium affectant, neque vir aliquis ex Græciæ principibus molestius tulit, præterquam tuus parens. Solus enim Agesilaus eorum quos novimus in magno semper vixit

desiderio tum Græcos in libertatem vindicandi tum belli barbaris inferendi. Qui tamen et ipse in re una aberrare visus est. Neque miraris velim, si tecum ego disserens eorum mentionem faciam quæ minus ille recte sensit: nam et libere loqui semper soleo, et malim ob justam reprehensionem odium incurrere quam per immeritam laudem gratificari. Hæc igitur est mea ratio; cæterum ille qui in reliquis omnibus superabat alios, idemque erat maxime justus et temperans ac rerum gerendarum peritus, habuit duas cupiditates, præclaram utramque, sed non inter se consentientes nec ejus generis quæ simul confieri possint: volebat enim et regi Persarum bellum inferre, et amicos ab exsilio in patriam quemque suam restituere ac summæ rerum præficere. Fiebat itaque, dum amicis studeret impensius, ut et Græci in malis ac bellis versarentur, et [ipse] propter tumultum hic excitatum pugnandi contra barbaros otium et facultatem non haberet. Quare ex his quæ illo tempore errata sunt facile intelligitur eos, qui recte rebus consultum velint, non prius regi Persico bellum inferre debere, quam Græcos quivis reconciliarit nostrumque furorem et contentionem compescuerit. Qua de re ut alias verba feci, ita neque nunc silebo.

6. At enim quidam ex iis qui alios docere se posse pollicentur, quum sint ipsi doctrinæ omnis expertes, quique mea scripta carpere audent, quæ tamen imitari gestiunt, hoc amentiæ forsan adscribant, quod Græciæ calamitates ego curare profitear, quasi per meam orationem melius cum illa agi deinceps possit aut deterius.

7. Quorum merito sane pusillum nimis ac parum virilem animum omnes reprehendant, quod se philosophos jactantes et ipsi ob parva glorientur, et aliis, qui de majoribus consilia suggerere possint, non desinant invidere. Atque illi quidem ignaviam et imbecillitatem suam obtegere cupientes talia fortasse sint dicturi: ego vero, quanquam octogesimum jam annum natus, ita magnifice tamen de me adhuc sentio, ut putem mei præsertim fuisse muneris de his dicere, neque tecum agendo præclara suggessisse consilia, ac per hæc forsan aliqua rectius gerenda esse. Quin et Græcos existimo, si inter omnes ipsis deligendi essent, tum qui Græcos optime posset oratione sua incitare ad invadendos bello barbaros, tum qui celerrime posset conficere quæ utiliter gerenda viderentur, nullos omnino alios nobis præposituros. Ateuim quomodo non ageremus turpiter, si tam honorificum omnium de nobis judicium negligeremus? Ac meum quidem munus minoris momenti est: quum non ita soleat esse arduum suam de re qualibet sententiam proferre. Te vero decet meis verbis attendentem perpendere, utrum Græciæ res tibi negligendæ sint, iis commendato natalibus quæ modo dicebam, duci Lacedæmoniorum exsistenti, ipsorumque

regi appellato, et maximum inter Græcos nomen sustinenti, an potius præsentia omittenda sint negotia, ut his majora suscipias.

8. Equidem censeo in hæc duo maxime cæteris omnibus prætermissis tibi esse incumbendum, ut Græcos bellis ac miseriis quibus hodie conflictantur liberes, utque barbarorum coerceas insolentiam et nimia ipsorum bona imminuas. Hæc autem confici posse, eademque et tibi et tuæ civitati et aliis omnibus expedire, jam monere te meas esse partes arbitror.

X.

DIONYSIO.

Satellites, lictores, caduceatores, et altissimi solii adeptio, sapientiæ studio tenebras obducunt, nec ulla res est qua virtus facilius et celerius exterminetur. Non una cum fortuna mutasti etiam naturam. Adhuc pelliceo sacco amictus es: nam nativitatis tuæ primordium mortale fuit. Cur igitur inanis ista gloriola fictilem utrem inflavit? Ingenti amentia repletus es, o infelix, et naturæ fragilis agnitione spoliatus: ita te sublimes isti fortunæ motus a vetere contemplatione desciscere coegerunt, eoque redegerunt ut sobrium illum furorem deseres. Fuit olim illustris tua moderatio, nunc vero humi depressa est: fortuna tua pervenit ad summum. A falsa igitur felicitatis umbra recede, et fugitivam fortunam effuge: cujus levitatem et perfidiam si anteverteris, mutatione subito ingruente minus percelleris.

ISÆI

INTERPRETATIO LATINA.

ISÆI

DE CLEONYMI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Mortuo Cleonymo nepotes ex fratre jure cognationis succedunt in hereditatem, et secundum testamentum, quod adducunt in sui favorem Pherenicus et Simon et Posidippus, scripsisse, ut verum erat, et deposuisse apud magistratus, affirmantes Cleonymum, odio quo prosequebatur Diniam eorum tutorem, postremo aggressum esse dissolvere et ædili accersito derepente interiisse; et Polyarchum eorum avum, Cleonymique patrem, mandasse, si quid humanitus accideret Cleonymo, dari illis quæ superessent. Quæstio duplicibus terminis constat propter ambiguitatem: hi namque nituntur primo testamento, adversarii vero dicunt vocari jussisse magistratum, ut rescinderet illud: et tandem Cleonymi factis nituntur.

1. A Cleonymi e rebus humanis excessu magnam passæ sunt, o viri, meæ res commutationem. Facultates enim ille quidem suas adhuc superstes nobis verbotenus condicebat, mortuus autem pro bonis periculum litis reliquit. Olim quidem ab illo tam pudice educabamur, ut nunquam in forum veniremus ne alios quidem audiendi gratia litigantes, nunc autem huc descendendum nobis fuit quo ipsi de tota substantia contenderemus: non enim de Cleonymi solummodo hereditate nobiscum contendunt adversarii, sed etiam de patrimonio nostro, aientes nos illi certas quasdam nummorum summas super eodem nostro patrimonio debere. Et familiares quidem atque propinqui horum adversariorum nostrorum æquum censuerunt ut nos æquam portionem ferremus eorum adeo bonorum, quæ a Cleonymo ipsis relicta esse in confesso est: hi autem eo procedunt impudentiæ, ut ipso patrimonio nostro nos evertere conentur, non quo æquum et verum ignorent, o viri, sed quo nos adeo ab amicis desertos existiment ut facile sibi factu futurum sperent ut nos prorsus despolient. Spectate modo atque expendite quibus causæ momentis freti nostrum quique ad litis contestationem descenderimus. Fidunt nempe hi quidem tabulis testamenti iis quas Cleonymus scripsit utique, neque enim factum infitiamur, verum neque odio nostri neque nobis offensus quippe qui nunquam de nobis questus sit, sed iratus alicui nostrorum necessariorum; verumtamen ille idem Cleonymus hoc testamentum rursus ante excessum per Posidippum hujus ipsius

rei causa ad magistratum allegatum rescidit, quoad per ipsum stetit: nos autem quibus fidamus ex altera parte audite; et sanguinis necessitudine proxima Cleonymum attingimus, et usi eo sumus hominum omnium amicissimo atque familiarissimo, præterea jus civile nobis solis hereditatem ejus addicit ex titulo propinquitatis, ipse quoque Cleonymus pro illa sua nostri caritate atque pietate heredes nos sibi esse voluit edixitque, denique pater Cleonymi, Polyarchus, idemque avus noster, præceperat, ut Cleonymo improle exstincto, nos in bona sua immitteremur. Tot et tam firmis septi cum essemus munitique juris æquissimi titulis, hos nihilominus tamen, qui et cognati essent et ab omni vel speciosa modo prætensione denudati, nil puduit nos in certamen conjicere super iis bonis, super quibus nobiscum contendere vel alienissimi quique turpe sibi duxissent.

2. Videtur nempe, judices, animus erga nos mutuus non idem nobis esse. Nam ego equidem non hoc fero ægerrime neque malorum circumstantium hoc existimo deterrimum atque acerbissimum, quod in hoc certamen periniquum per nefas conjectus sum, sed istoc imprimis crucior quod commissus sum cum necessariis, quorum ne repellere quidem insultus satis decorum sit; non enim minorem accepturus mihi videor injuriam si necessaria mei defensio me coegerit his, qui necessarii mei sunt, noxiam quampiam dare, quam ex hoc quod ipsemet ego prior ab his molestia affectus et ultro impetitus sum: hi contra prorsus alio erga me animo sunt, in arenam prodeuntes cum agmine amicorum convocato et manu oratorum conscripta; brevis ut sim, copiarum suarum partem omnino nullam sibi reliquam fecerunt, quasi inimicos capitales ultum irent, non necessarios et cognatos homines lassum. Verumenimvero melius adhuc, judices, eorum impudentiam diramque et fœdam cupiditatem intelligetis, ubi totam rei gestæ rationem ex me statim enarraturo acceperitis: unde autem citissime atque expeditissime rem mihi videmini percepturi de qua inter nos contenditur, inde exponendi faciam exordium.

3. Dinias patris nostri frater orbos nos factos in tutela habuit. Sed Cleonymus, o viri, cum eo dissidebat. Dissidii princeps uter eorum fuerit nescio an me minus deceat quærere; hactenus tamen eos mihi videor jure merito posse reprehendere, quod cognati cum essent nullaque eos idonea causa simultatis intercessisset, e sermonibus quibusdam tam inconsulto simultates susceperint. Ipse quidem Cleonymus nobis postmodum ut e morbo convaluit affirmavit, illo suo cum Dinia jurgio se motum illud nobis fatale testamentum scripsisse per valetudinem, non quo nobis succenseret, sed metuens ne moriendum sibi esset nobis adhuc pupillis et in Dinias tutela atque potestate constrictis; quodsi jam fieret ut heredes ipsius essemus, necessario Diniam bonorum suorum (Cleonymi puta) arbitrum

esse futurum: grave autem et acerbum sibi ducebat si, quem superstes hominum omnium habuisset inimicissimum, eum moriens et necessariorum relinqueret tutorem et bonorum suorum arbitrum, eum denique qui, donec nos amici ei et ab ipso rursus caritate paterna foti adolevissemus, necesse haberet non justa modo exsequiarum sibi facere, sed etiam manibus suis annuas inferias inferre; quod si fiat, fieri non posse quominus manes sui ut ab hominis infestissimi et penitus exosi adspectu officioque perturbarentur atque exagitarentur. Hac mente quicquid est Cleonymus, sive jure sive injuria, quid enim refert quærere? testamentum illud scripsit. Quo facto cum Dinias eum protinus in continente interrogaret in foro num ideo fecisset, quod aut de nobis aut de patre nostro haberet quod quereretur, respondit Cleonymus in publico coram civibus omnibus in foro tum agentibus se nil de nobis queri nullaque nostra culpa aut fraude mala offensum esse, sed ex sola sua cum Dinia simultate, quod ei succenseret, testamentum hoc a se scriptum esse testatus est quo fidunt hi adversarii nostri, in eoque scribendo consilia pravæ mentis et ab iracundia occecatæ se secutum esse. Et profecto qui tandem potuisset, recte si sapuisset, malum nobis dare voluisse qui nihil eum offenderamus? neque substitit in hac sui erga nos animi testificatione Cleonymus, sed alia velut in cumulum addidit evidentissima documenta, unde constet, quicquid hoc in testamentario negotio egit Cleonymus, id omne eum non eo egisse animo ut nos læderet aut rem nostram minueret: Dinia enim vita defuncto, cum res nostræ pessime se haberent, non passus est Cleonymus ullius rei nos egere, sed ipsosque nos in domum suam translatos educavit, patrimoniumque nobis conservavit cui creditores insidiabantur, et negotia nostra perinde atque sua propria curavit. Atqui animum ejus erga nos qui fuerit magis ex his ejus moribus quam e tabulis testamenti spectare oportet, et argumentari non ex iis quæ percitus iracundia egit — ecquis enim unus est nostrum omnium, qui non ira occecatus et stimulatus ruat? —, sed illis per quæ postmodum sui rursus compos factus veram animi sui sententiam patefecit. Verum adhuc magis hunc animum suum, vita ad finem vergente, in articulo mortis constitutus declaravit. Jam enim ex illa decumbens valetudine quæ eum sustulit, volens illud de quo toties dico testamentum tollere, Posidippo mandabat ut magistratum ad se arcesseret. Ille vero magistratum in domum Cleonymi non modo non induxit, sed ultro quoque venientem exclusit. Quam ob fraudem Cleonymus Posidippo iratus injunxit Diocli ut proximo die post archontas advocaret: verum intercessit subitus casus nobis adversus; ista enim cum præcepisset Cleonymus, non ut conclamate cubans, sed ut in nonnulla spe rursus adhuc convalescendi, subito proxima nocte exstinctus est.

4. Primum itaque testes coram vobis producam, confirmaturos Cleonymum illud testamentum non ex offensione a nobis accepta, sed quod cum Dinia simultatem bellumque gereret, scripsisse; deinde Dinia mortuo Cleonymum res nostras omnes procurasse, ipsosque nos suam in domum e domo Diniæ translatos educasse; postremo quod, cum Cleonymus Posidippum ad astynomum [seu ædilem] allegasset ejus arcessendi causa, Posidippus ædilem non modo nil curaverit arcessere, sed ultro quoque ad ostium venientem Archonidem rejecerit. Testes cita.

TESTES.

Præterea quoque ut horum [Posidippi et Dioclis] amici et Cephisander æquum censuerunt hereditatem dividi et nos [me fratresque meos] tertiam universæ substantiæ partem a Cleonymo relictæ adipisci, etiam hujus rei cita testes.

TESTES.

5. Jam existimo equidem, judices, quicunque super hereditatibus contendant, ubi planum id testatumque fecerint sese defunctos proxima sanguinis necessitudine contingere arctissimaque familiaritate cum iis adhuc superstitibus fuisse conjunctos, reliquis omnibus argumentationibus ut supervacaneis supersedere posse; quandoquidem hi adversarii nostri, tametsi neutrum horum pro se ferre atque docere possint, nihilominus tamen aliena bona quorum ipsis jus nullum est ad se adhamare conantur armisque calumniarum et cavillationum rem gerunt, etiam hæc arma ipsis eripere verbisque brevissimis retundere juvat. Fatentes igitur ædilem a Cleonymo arcessitum esse, causantur id eo fecisse Cleonymum ut testamentum illud quo scripti heredes ipsi essent non rescinderet, sed corrigeret donationemque sibi decretam confirmaret. Ego vero vos reputare, judices, vobiscum ipsis velim atque arbitrari, utrum credibilius sit Cleonymum, quo tempore nos caritate summa prosequeretur, eo voluisse testamentum per iracundiam in fraudem nostram scriptum rescindere, an id egisse quo nos bonis suis hoc certius atque irrefragabilius privaret. Reliqui quidem homines, si qua in re necessarios per iracundiam læserint, pœnitentia postmodum ducti errorem emendant atque acta ipsi sua antiquant: hi vero Cleonymum aiunt, quo tempore studio nos prosequebatur calidissimo, eo ipso testamentum isse confirmatum per iracundiam in damnum nostrum scriptum. Quod ipsum etiamsi nos largiremur verum esse et vos quoque crederetis his aientibus, vos tamen una id quoque reputare oporteret, hos id jactantes Cleonymum summi qui cogitari potest furoris insimulare. Ecquis enim major et atrocior esse possit furor quam, si tum quidem, quo tempore simultates

eum Dinia exercebat, nostrum in damnum testamentum scripsisset, quo non iniquius ullus esset, sed nos lassisset; postmodum autem, tametsi nos in sinu atque in oculis propemodum gestasset, tamen hereditatis suæ exsortes, id quod hi aiunt, nos declarare voluisset qui ejus e fratre nepotes essemus? Ecquis, o judices, homo recte sapiens de propinquissimis tam iniqua decernat modisque erga eos utatur tam repugnantibus? Verumenimvero per has ipsas causationum frigidarum et inanium præstigias facilem vobis, o judices, hujus litis disceptationem reddiderunt. Sive enim Cleonymus eo jussit magistratum arcessi quo testamentum rescinderet, prætensio illis omnis est erepta, præclusum et interceptum omne effugium: sin autem revera tam furiosus fuit Cleonymus, ut minimi semper nos faceret necessarios suos qui tum sanguine proxime ipsum attingeremus tum eo semper usi fuissemus familiarissime, jure summo vos, o judices, ejusmodi testamentum, ut ab homine furioso scriptum rescinderetis ipsi.

6. Præterea hoc quoque meminisse vos et ad animum vobis revocare velim. Cleonymum hi aiunt eo arcessi jussisse ædilem idque sibi negotium demandasse, quo decretam et scriptam ipsis donationem confirmaret, et nihilominus tamen huic mandato adversari magistratumque a collegio deputatum non solummodo non arcessere, sed etiam ultro venientem excludere foribus ausi sunt: et cum possent alterutro certe potiri de duobus commodis, ut aut hereditatem hoc certius atque indubitabilius haberent atque tenerent, aut Cleonymi si minus mandata facerent in offensionem incurrerent, illum lædere quam donum ab eodem percipere maluerunt. Atqui nihil his incredibilius esse potest: eos videlicet qui arcessito magistratu tantum lucrum essent acquisituri, quasi damni metuerent, a mandati exsecutione abstinuisse; Cleonymum autem horum utilitatis tantam curam gessisse ut et Posidippo, qui mandatum neglexisset, irasceretur, et Dioclem ut in crastinum vocaret magistratum rogaret. Quodsi, o viri, testamento illis legaverat Cleonymus facultates, ut ipsi aiunt, mirum mihi videtur, quod emendando firmius illud se effecturum existimaverit: reliqui enim homines, cum testamentum scripserunt, finem donandi fecisse putant. Quodsi addere aliquid jam scriptis voluit, cur codicillos non condidit, quoniam ipsum testamenti exemplum a magistratibus auferre non potuerat? Et abolere quidem nonnisi eam scripturam poterat, quam apud magistratus deposuerat: licebat tamen eidem aliam condere, si collibuisset, omnemque nobis in posterum controversiam de medio tollere. Nunc si forte concedamus, voluisse Cleonymum tabulas emendare, jam certe omnibus patet se eas recte fecisse non esse arbitratum. Atque ex hoc etiam adversariorum impudentiam discite, qui illud testamentum ratum esse con-

firment, quod ipsum testatorem fatentur non bene a se conditum judicasse, vobisque suadent ut contra leges et æquitatem et ipsius defuncti voluntatem sententiam feratis. Ille vero est omnium impudentissimus sermo, cum dicere audent Cleonymum nihil suarum facultatum a nobis percipi voluisse. Atqui, o viri, quosnam alios eas habere maluisset quam nos, quos et præ omnibus necessariis re familiari sua vivens juvabat? Multo autem mirabilissimum esset, si quum Cephisander adversariorum nostrorum cognatus æquum censeat nos quoque in partem hereditatis vocari, Cleonymus contra nobis affinitate longe conjunctior quique nos in familiaritatem suam receptos educavit resque nostras non secus ac suas cordi habuit, is (inquam) unus nos ab hereditate depellere voluisset. Jam quis vestrum sibi persuadeat adversarios benevolentiores esse et moderationes erga nos quam hominem conjunctissimum? At eum quidem, cui plane necessarium erat nobis benefacere et turpe negligere, nihil suarum facultatum nobis dedisse: hos vero, quibus nulla necessitas benefaciendi est neque ulla ex neglectu ignominia immineat, nobiscum ea bona communicare, quæ, ut aiunt, ad nos prorsus non attinent? Hæc, inquam, o viri, a fide vehementer abhorrent.

7. Præterea si, cum Cleonymus obiit, eo adhuc animo erga nos et adversarios nostros fuisset, quem gessit quum testamentum scribebat, æquum foret vos sermonibus adversariorum fidem adjungere: nunc autem plane contrarium deprehendetis. Olim quippe nobis tutor erat Dinias, invisus Cleonymo qui necdum consuetudine nostra utebatur et his omnibus adversariis nostris erat familiaris: postea vero et horum nonnullis factus est inimicus Cleonymus, et nobis familiarissimus esse cœpit. Et qua quidem de causa Cleonymi animus ab adversariis nostris aversus sit, otiosum est dicere: rei tamen ipsius magna indicia exhibebo, quæ quidem per testes confirmabo. Nam primum quum Baccho sacrum faceret Cleonymus, omnesque necessarios multosque e civibus advocasset, Pherenicum prorsus non invitavit. Rursus paulo ante obitum quum Panormum iret Simone comite, occurrissetque forte eidem Pherenico, non tulit eum salutare. Præterea quum de ea simultate sciscitaretur Cleonymum Simon, ille et odium aperte fassus est, et minatus etiam se quo animo in Pherenicum esset ostensurum. Ut autem constet me vera dicere, testes voca.

TESTES.

8. Postquam igitur cognovistis, o viri, quomodo erga nos adversariosque nostros affectus fuerit Cleonymus, putabitis (inquam) eum adversus nos, quibuscum amicissime versabatur, ita se gessisse ut ne appellaret quidem in tabulis; his autem, quorum non-

nullis erat infensus, magnopere curasse ut universam hereditatem assereret? eosdemque hac simultate intercedente plurimi fecisse; nos vero, quibuscum erat ei tanta necessitudo et benevolentia, maluisse pro viribus damno afficere? Sane, si isti vellent aut tabulas aut mortuum vituperare, haud scio quidnam aliud apud vos essent dicturi, quum videlicet et tabulas haud recte confectas significent et ipsi testatori non probatas, eundem vero tam furiosum declarent, ut ab eo inimicos pluris factos affirment quam familiares, et iis quo vivens non alloquebatur facultates ab eodem esse legatas, consuetudine autem devinctis ne partem quidem aliquantam fuisse donatam. Quare quis vestrum eas tabulas esse ratas decernat, quas testator ipse ut inique factas improbavit, adversarii autem reapse abrogant, quum a nobis quoque aequam portionem hereditatis percipiendam censent: ad haec vobis etiam demonstrare nos possumus hasce tabulas et legibus et aequitati et ipsius testantis menti adversari.

9. Existimo autem jus nostrum vos ab ipsis adversariis evidentissime posse cognoscere. Nam si quis eos roget cur sibi Cleonymi hereditatem vindicent, utique respondeant, quod et genere illum aliquantum attingant, et idem eos ad tempus aliquod benevolentia complexus sit. Jamvero utrum pro se an potius pro nobis haec dixerint? Nam sive propter generis affinitatem oportet fieri heredem, nos sanguine propinquiores sumus; sive propter affectum, omnibus prorsus exploratum est Cleonymum nemini vehementius quam nobis studuisse. Quare non ex nobis sed ex adversariis jus hujus hereditatis adeundae discendum est. Iniquissimum autem esset si, quum ceteroqui pro iis suffragia ferre soleatis qui alterutrum ostenderint, se nimirum aut genere aut benevolentia priores fuisse apud mortuum, nos, quibus utrumque manifesto adest, solos indignos hereditate Cleonymi judicaretis.

10. Quod si forte Polyarchus pater Cleonymi, avus noster, adhuc viveret et necessariis ad victum careret, aut si Cleonymus obiisset relictis filiabus pauperibus, nobis profecto propter propinquitatem tum avi senectam alere necesse foret tum Cleonymi filias aut in matrimonium recipere aut dotatas aliis collocare; atque ita nos agere tum propinquitas et leges tum etiam natura insitus pudor cogeret, secus enim et grandi mulcte et summo dedecori fieremus obnoxii: nunc contra si hereditas relicta sit, aequum judicabitis hanc ad alios potius devenire? Nec vos sive recta sive vobis ipsis convenientia sive legibus consentanea non decerneretis, si nimirum proximos genere participes incommodorum esse cogeretis, bonorum autem relictorum quosvis potius quam hos dominos faceretis.

11. Ac sane oportet, o viri, et propter generis praerogativam et propter rei ipsius veritatem, ut reapse soletis, consanguineis potius

quam in tabularum jure nitentibus vos suffragia tribuere. Nam generis quidem necessitudo omnibus explorata est, neque eadem apud vos confingi potest: tabulas contra multi falsas protulerunt, et quidem interdum omnino nullas, interdum vero quorundam qui non bene sua consilia agitaverunt. Atqui affinitatem quidem et nostram necessitudinem, pro qua nos judicio certamus, vos omnes scitis: tabulas autem, quibus isti confisi negotium nobis facessunt, nemo vestrum ratas esse novit. Insuper nostram quidem affinitatem etiam apud adversarios in confesso esse deprehendetis, testamentum autem plane a nobis in controversiam vocari: quoniam isti Cleonymum abolere illud volentem impediverunt. Ut plane vobis, o viri, multo honestius sit suffragium ferre pro genere de quo neutra pars ambigit quam pro testamento non juste confecto. Denique cogitate Cleonymum quum placidus esset illud abrogasse, confecisse quam ira perturbaretur nec sapienter consilio uteretur: ut plane nefarium futurum sit, si magis ratam Cleonymi iram quam sanam ejusdem mentem habeatis.

12. Puto insuper videri vobis æquum accipere, item vos ægre ferre si non accipiatis, ab iis, quibus quidem invicem contingere posset ut aliquid a vobis consequerentur. Si igitur accidisset ut Cleonymus viveret, nostra autem aut adversariorum domus dominis orbaretur, considerate utrorum Cleonymus heres fieret: æquum enim est bona illius ad eos devenire, a quibus item bona ille esset consecuturus. Itaque si Pherenicus aut aliquis ejus fratrum extinctus esset, filii utique eorum, non Cleonymus, relicta rei dominium invasissent: contra si nos ea fata obivissemus, Cleonymus ex asse heres fuisset. Neque enim nobis aut liberi sunt aut alii propinqui, ille autem genere proximus et usu præ omnibus familiaris: quare et leges hereditatem eidem adjudicassent, immo nos ipsi neminem alium ejusmodi largitate donandum censuissemus. Neque enim viventes quidem ita Cleonymo rei nostræ rationes tradidissemus, ut in negotiis agundis firmior ejus esset sententia quam nostra, morientes autem alios heredes scribere maluissemus quam omnium maxime necessarium. Quare nos, o Athenienses, et in dando et in accipiendo propinquitatis rationem sequi deprehendetis: adversarios autem nunc impudenter jactare necessitudinem et affinitatem, quia aliquid accipere exspectant; quum, si dandum foret, multos omnino et affines et amicos Cleonymo præponerent uti propinquiores.

13. Omnium quæ diximus caput est, cui et vos omnes mentem advertere necesse est: scilicet quanto magis adversarii asseverant vobisque suadere conantur Cleonymum et has reapse tabulas condidisse, neque deinceps pœnitentia ulla fuisse captum, nullamque partem bonorum suorum nunc voluisse nos assequi, sed donationem

ipsis confirmare studuisse, hæc inquam omnia cum dicunt et argumentis comprobant, et nihilo tamen magis ostendunt se Cleonymo vel genere propriores quàm nos vel benevolentia familiariores, vos reputate Cleonymum ab ipsis accusari, non rei æquitatem vos edoceri. Ut si eorum orationi crederetis, non eis Cleonymi hereditatem decerni, sed Cleonymi vesaniam damnari a vobis oporteret: secus si nostræ orationi fidem adjungatis, sequitur ut illum existimetis recte deliberasse cum antiquare tabulas voluit, nos autem non calumniosam causam agere, sed jure hæc bona judicio persequi. Ad extremum memineritis, o viri, fieri non posse ut suffragia pro adversariis nostris feratis, si vel ipsorum orationi mentem advertatis. Multo enim iniquissimum esset, si quum adversarii non detrectent hereditatem nobiscum communicare, vos illis universam adjudicaretis: et iisdem plura tribueretis quam ipsi sibi vindicant, nos autem ne ea quidem parte dignos censeretis quam ultro adversarii concedunt.

DE MENECLIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Cum Menecles filium adoptasset et triginta annis adoptationi supervixisset, hereditate ad forum a fratribus delata, Philonides quidam testatus est hereditatem controversiæ non esse obnoxiam, eo quod Menecles filium reliquerat. Eum falsi dicti testimonii insimularunt fratres, et adversus eos pro se puer defensionem instituit. Hæc vero ac quæ de Cleonymi hereditate dicta est, orationes adversariæ sunt: ibi enim de consanguinitate dixit, hic vero de testamento. Status antilepsis secundum conjecturam est: dicit enim illi jure licitum esse adoptare sibi filium. Deinde conjecturale, quod non me mulieri morem gerens adoptavit.

1. AUTUMABAM, viri, si quis prorsus alius cuivis fuisset legibus adoptatus, me quoque adoptatum esse, ac neminem aliquando fore qui dicere auderet, me Meneclem delirantem aut mulieri parentem adoptasse: quoniam vero patruus sinistris usus consiliis, uti sentio, fratrem suum, qui fato functus est, omnimodo conatur improlem facere, reverentia tum deorum patriorum tum vestrum omnium exuta, necessitas mihi obvenit magna patremque qui me adoptavit et memet ipsum vindicandi. Vos igitur moneo principio adoptationem rite atque secundum leges factam esse, nec Meneclis hereditatem, cum ego filius ejus sim, controversiæ obnoxiam esse, testemque vere protestatum esse. Ita vos omnes obtestorque et supplico, orationem meam benigne admittatis.

2. Etenim Eponymus Acharnensis, pater noster, viri, amicus Meneclis et familiaris fuit, eoque necessario usus est: nos autem liberi ejus quatuor numero fuimus, filii duo, duæ filiæ. Patre autem vita defuncto, sororem nos nostram natu majorem, viro tempestivam, Leucolopho in matrimonium collocamus, viginti minis in dotem additis. Et quarto anno post, tum soror nostra natu minima conjugio ferme erat par, tum uxor, quam prius duxerat Menecles, mortua est. Postquam vero illi justa fecerat Menecles, sororem nostram a nobis expetebat, amicitiam suam in memoriam suggerens cum patre olim initam, et quo animo in nosmet ipsos esset: et nos certo scientes, vel patrem nemini eum generum posthabiturum fuisse, ei sororem in matrimonium damus, non indotatam, ut iste identidem dicit, sed numerata quæ doti æquivalebat quam et sorori natu majori addideramus; qua ratione qui prius amici ejus fuimus, evasimus necessarii. Utque Menecles triginta minas una cum sorore recepit, hoc testimonium imprimis proferre volo.

3. Sororibus igitur sic in matrimonium collocatis, nos ætate florentes militiam capessivimus, inque Thraciam duce Iphicrate peregre profecti sumus; atque quum ibi bene meruissemus, ditati Athenas appulimus, et sororem quidem natu majorem binos liberos habentem invenimus, minimam vero, quam duxerat Menecles, improlem. Atque ille ex reditu mense secundo vel tertio, bonis omnibus de sorore prædicatis, nobiscum verba conserebat, dixitque ætatem suam provectam et liberorum orbitatem se deplorare: nequaquam dixit eam oportere talem suæ virtutis mercedem capere, nempe ut simul cum ipso senescens evaderet improlis; satis enim esse ipsum fortuna maloque expertum esse. Tali sermone usus, plane indicat amiciter sorori nostræ nuncium remisisse: nemo enim quem odit supplex orat. Hoc igitur a nobis beneficii loco petebat, ut sororem scilicet, assensu ipsius impetrato, in matrimonium alteri collocaremus. Et nos eum hortabamur uxorem hisce de rebus persuadere; quæ si assenserit, ei decisioni nos satisfacturos promisimus. Ac primum quidem sermonis ejus minime patiens, vix ægreque tamen tandem assensa est. Atque ita eam in matrimonium Eleo Sphettio collocamus; dotemque ei addit Menecles, quippe qui domus mercedis liberorum Niciæ particeps esset, et mundum muliebrem quem secum attulit, tricasque aureas, quas habuit, reddit.

4. Posthæc evoluto tempore prospiciebat Menecles quomodo orbitatem devitaret, atque haberet qui se, dum viveret, jam senem curaret, et mortuo exsequias redderet, inque posterum justa persolveret. Hunc igitur [adversarium] videbat filium unicum habentem, quem si postulasset sibi in adoptationem dari, eo quod prole masculina hunc orbasset, sibi fore dedecori putabat. Idcirco, rebus ita se habentibus, nobis sibi magis familiarem neminem invenit.

Proinde nos allocutus est, et æquum dixit sibi videri, quum forte fortuna nullos ex sorore nostra liberos procreasset, ex hac familia filium adsciscere, unde prolem naturaliter habuisse voluisset: cuicunque ergo, inquit, vestrum duum conditio placet, mihimet ipsum adoptare volo. His auditis, quia omnibus nos prætulerat, frater meus sermonem ejus collaudavit, et fassus est ætati ejus et præsenti orbitati opus esse ut comitem habeat, qui ei ministraret inque urbe versaretur: mihi itaque, inquit, necesse est ut domo absim, id quod notum tibi; hic vero frater meus (me dicens) res tuasque measque curabit, si eum adoptatum iveris. Atque Menecles verba ejus approbavit, meque hac ratione sibi filium adscivit.

5. Quod igitur secundum leges inita est adoptatio, de hoc vos certos factos cupio. Proinde legem recita, quæ jubet cuivis licere de fortunis suis disponere, ea conditione ut nullam prolem masculinam legitime quæsitam habeat. Etenim legislator, viri, sic lege sanxit, quippe qui compertum haberet, hunc solum esse orbitatis receptum, hanc eorum qui liberis carerent vitæ consolationem, licere scilicet quos vellent adoptare. Idcirco, quum ei orbitate laboranti facultatem filium adsciscendi leges impertissent, me adoptavit, non in testamento, viri, legans, moribundus, sicut nescio qui civium, neque plane ægrotans, sed corpore sano, sana mente, animo sano, me ceu filium adoptatum hisce præsentibus apud phratoras introduxit, meque in album demotarumque et orgeonum inscribi curavit. Atque hi quidem tunc temporis ei quasi deliro nihil oblocuti sunt: quanquam multo fuisset honestius eum vivum precibus permovisse, si quid voluissent, quam mortuum dehonestare ejusque familiam desolatum ire. Supervixit enim non unum alterumve, sed tres et viginti annos; perque tempus tam productum facti eum non pœnituit, propterea quod res omnibus in confessum venit, eum nempe rectum consilium iniisse. Vera autem vobis ut constet hæc esse quæ dico, testes sistam phratores et demotas [et orgeones, qui adoptationi intererant; utque filium adsciscere appareat licuisse, scriba vobis ipsam recitabit legem, secundum quam adoptatio facta est. Proinde mihi recites testimonia hæcce et legem.

TESTIMONIA. LEX.

6. Ipsamet lex adeo declarat, quod, quem vellet, Menecli licebat adoptare; quodque filium adscivit, phratoresque demotæque et orgeones testificati sunt: quapropter testem vera protestatum esse, luculenter, O viri, a nobis demonstratum est, hique ne verbum quidem habent quod adoptationi obloquantur. Quo facto conjugem mihi prospiciebat Menecles, meque connubio jungi hortabatur; atque ego filiam Philonidæ uxorem duxi. Is nimirum de me eam

habuit curam, quam patrem decet de filio, et ego pari ratione ceu filius natura genitus patrem meum ita colui et veneratus sum, egoque et uxor mea, ut fortunas ejus tribules omnes laudarent.

7. Porro quod neque delirans neque mulieri morem gerens filium Menecles adscivit, sed bene sanus, exinde vobis facile est intellectu. Primum enim soror, quam iste [adversarius] in oratione sua perplurimum exagitavit, quasi si illi morem gerens me adoptasset, longe ante in matrimonium collocata est, quam inita adoptatio, quare saltem si illi paruisset filiumque adscivisset, unum ex illius liberis adoptasset: duos enim habebat. Atqui, viri, nequaquam illi morem gerens me adoptavit, eum vero præcipue liberorum orbitas persuasit, deinde quas supra dixi causas veraque erga patrem meum affectio, denique quod nullum alium cognatum habebat, unde filium adsciscerat. Hæc demum me adoptare eum induxerunt: quare neque delirasse eum neque mulieri morem gessisse evicit adversarius, nisi profecto solitudinem ejus et orbitatem isthoc nomine appellet. Lubens ergo ab hoc homine postularim, sanitate Meneclis pro concesso sumpta, ecquemnam cognatorum adoptare debebat? Num istius filium? Atqui ei [filium suum] non concessisset, improlis ipse factus: nec iste pecuniarum non ita amans homo est. At sororis filium, consobrinæve vel consobrini? Atqui omnino id genus consanguineos nunquam habuerat. Idcirco ei necesse erat alium quendam adoptare, ut ne improlis senium ageret, sicut iste nunc ab eo requirit. Atque omnes, puto, confitebuntur, quod, si quenquam prorsus adoptasset, neminem magis me familiarem adoptare potuisset. Ostendat vobis. At nunquam potuerit: nullum enim alium cognatum præter hos habuit.

8. Iste vero non nunc, ut videtur, Meneclem incusat, quod filium suum non adoptavit, sed quod ullam unquam adoptationem iniit orbusque fato non functus est. Hoc est, quod incusat, invidiose et inique agens: sibi enim cum liberi sint, huic orbitatis infortunio laboranti conviciatur. Ac apud cæteros quidem homines tum Græcos tum barbaros hæc de adoptatione sancita lex in pretio habetur, eaque propter omnes ea utuntur; iste vero patruus nunc fratrem suum inverecunde hac facultate privatum it, filium scilicet adsciscendi, quam vel iis, quibuscum nullæ necessitudines intercedebant, nemo unquam invidit. Verum enimvero huncce, opinor, cuilibet eum interroganti, ecquid eadem usus sorte fecisset, nec aliud responsurum, quam quod adoptasset, qui eum esset dum viveret loco parentis culturus exsequiasque soluturus defuncto: et planum id quidem est, eadem hac lege, qua mea, sibi initum iri adoptationem. Tum iste, si liberis caruisset, filium adscitum isset: at vero Meneclem, eo quod eandem viam instiit, dementem esse ait mulierique morem gerentem filium adoptasse. Nonne hercle meras nugas dicit?

Mea enim opinione istic multo magis homo dictisque factisque delirat. Legibus enim et institutis, et quæ ipse fecisset, prorsus aliena blaterat, neque eum pudet, quam, quod ad fratrem attinet, de adoptatione abrogatum it legem, eam bonam ratam sibi servare.

9. Cur insuper obloquens cupit iste fratrem suum improlem facere, operæ pretium est, viri, ut audiatis. Etenim, si propter nomen quidem animo mihi inimico est atque ne filius Meneclis sim habendus recusat, nonne plane invidiosus est? si vero de bonis verba facit, planum vobis faciat ecquo prædio aut insula domove decessit Menecles, quæ ego nunc possideo. Sin nullum horum dereliquerit, sed quæ ei reliqua erant, quando pupillo pecuniam præstitit, iste eo adhuc vivo acceperit, nonne istic improbus et trifurcifer videtur? Quemadmodum autem res se habet, ego explicabo. Postquam enim pupillo oportuit pecuniam præstare, eique unde præstaret deficiebat, et fenora porro post longum tempus confluebant, venum prædium dedit. Ac iste arrepta occasione vexandi eum, propter meam adoptationem, quo minus prædium venum iret intercessit, ut obligatum esset atque eo pupillo cedere cogeretur. Cum eo igitur super quadam parte prædii contendit, etsi nullam unquam litem olim movisset, emptoribusque interdixit ne emerint. Atque is quidem querebatur, puto, et parte, super qua iste contendit, cedere cogebatur, et reliquum septuaginta minis Philippo Pitthensi assignare. Et sic, septem et septuaginta minis de pretio prædii depensis, pupillo satisfecit: actionem autem interdictionis cum isto instituit.

10. At vero multis utrinque jactis clamoribus ac conviciis, nobis visum est oportere, ut ne quis me avaritiæ incuset et qui fratres fuerint inimicos faciat, necessario istius atque amicis arbitrium deferre. Illi e vestigio nobis declarabant, ni causæ merita perscrutari illis permiserimus, se haudquaquam arbitrium suscepturos; neque enim necesse esse ut ab alterutro nostrum in odio haberentur: sin vero eos sinamus quæ omnibus conducibilia sint decidere, se rem disceptaturos. Ac nos, quo molestias diluamus, *** ea lege permittimus. Quumque illi ad aram Veneris, quæ †† in pago Cephala est, semet ipsos jurejurando obstrinxissent se controversiam nostram æque decisuros, sententia sua decreverunt ut nos parte super qua iste contendit cederemus donoque daremus: nullam enim reconciliationem fore dixerunt, ni isti bonorum participes fuerint. Inque posterum jusserunt nobis nos invicem dictisque et factis benefacturos, et istæc bona fide facturos ad aram jurejurando nos invicem obstrinxerunt: et nos jusjurandum dedimus, in posterum, quoad potis essemus, nos invicem dictis factisque amicitiam culturos. Et jam, accepto jurejurando, quodque compromissionarii isti hujus familiares adjudicarant asserto, mox hisce beneficiis nos afficiunt, fratrem scilicet suum defunctum facere improlem volentes, meque

contumeliose tractatum e domo ejicere. Qui norunt testes eos sistam, suggestum adscendere si velint — istorum enim familiares sunt —, sin minus, qui affuerant. Et mihi recita testimonia hæcce: tuque aquam inhibe.

TESTIMONIA.

11. Cape jam illa testimonia, quæ, quod septuaginta minis prædium veniit, quodque pupillus de pretio divendito prædii septem et sexaginta minas accepit, testantur.

TESTIMONIA.

Iste igitur patruus, viri, quum hereditatem ejus esset reapse consecutus et non sicut ego verbotenus, atque me multo plura possideat — ego enim trecentas quæ prædii de pretio restabant drachmas, ac domunculam, ne tribus quidem minis valentem, adeptus sum: iste vero, qui prædium pluris quam decem minis valens tenet, nunc demum insuper domum ejus orbatum it. Atque ego quidem in locum filii adoptatus, dum vixit Menecles colui, ipsemetque et uxor mea, hujusce Philonidæ filia, et puerulum meum e nomine ejus nuncupavi, ne nomen in domo in totum exolesceret, et exsequias ei fato functo pro dignitate ejus meaque duxi, et cippum instruxi decorum, et novendialia cæteraque officia inferialia quam honorificentissime exegi, ita ut omnes municipales me collaudarent: iste vero consanguineus, qui eum adoptationis incusat, prædio quod restabat ipsum vivum denudavit, atque defunctum improlem facere atque anonymum studet. Tam perditus iste homo est. Verumtamen, quod exsequias ei reddidi, atque tridialia novendialiaque exegi, eorum qui norunt testimonia recitabit scriba.

TESTIMONIA.

12. Quod igitur Menecles, viri, neque delirans neque mulieri parens me adoptavit, et hos ipsos testes præstare volo, et re quidem atque non verbo actis suis testantes, me vera dicere. Isti enim ambo mecum, nequaquam vero cum Menecle, pacificationem perpetrasse ostenduntur, juribusjurandis inter nos invicem datis et acceptis. Sin adoptatio minus secundum leges facta fuisset, neque ego heres Meneclis fuissem istorum consensu approbatus, quorsum tandem isti mihi jurarent aut a me jusjurandum exigerent? Nemo causulam dixerit. Quando igitur hæc fecerunt, e me plane testatos esse isti ipsi deprehenduntur, quod adoptatio secundum leges inita est, bonorumque Meneclis jure ego heres sum. Proinde hoc opinor vobis omnibus manifestum esse, ab istis scilicet concessum quod non delirabat Menecles, sed iste multo magis dementem nunc agit, qui, quum lites diluisset nobisque jurasset, nunc adest pactionibus rursus

ac juramentis violatis, meque cæteris, tantilla quamvis sint, spoliare studet.

13. Ego, ni patrem, cujus esse nuncupatus sum quique me adoptavit, deserere turpe prorsus ac flagitiosum esse existimarem, bonis ejus cito illi cessissem: nihil enim reliquum est, uti etiam vos percipere autumo. Nunc vero dedecorum inhonestumque hac lege esse puto, si, quo tempore Menecles pecuniosus fuit, eo meipsum ei in locum filii adoptari concesserim, deque bonis ejus, ante prædii venditionem, in domo gymnasiarchatu functus sim et munificentia utpote filius ejus inclaruerim, militias porro, quæ tunc temporis ordinatæ sunt, omnes in tribu ejus ac demo sustinuerim: eo autem mortuo, si deseruerim domoque ejus liberis orbata abierim, nonne facinus monstrosum deridiculumque perpetrarim magnamque calumniatoribus meis copiam dederim? Neque hæc sola me acuunt ad agendum istac actione, sed quod homo tam perditus et vilis esse videor, quem nemo quidem sanus amicorum adoptasse voluerit, sed quidam plane delirans, hoc illud est quod me angit.

14. Quare vos omnes oro, viri, et obtestor et supplico, ut me adjuvetis et huncce testem condemnetis. Planum vero vobis feci imprimis me Menecli fuisse adoptatum modo quo possit adoptari aliquis justissimo, neque verbo neque testamento adoptationem initam esse, sed reapse; phratores porro et demotas et orgeones hæc testantes præstiti; eum præterea tres et viginti annos supervixisse demonstravi. Deinde leges citavi, quæ copiam filios adsciscendi omnibus dant. Adhæc eum vivum coluisse eique fato functo exsequias reddidisse videor. Iste vero me nunc paterna hereditate, qualis ea cunque sit, majorve minorve, denudatum it, atque defunctum improlem simul et anonymum facere studet, ut nemo super eo sacra patria celebret, neque singulis annis ei parentet, sed honoribus suis eum privet: quæ quum ante prospexisset Menecles, donec suis potiebatur, sibi filium adscivit, quo hæc omnia obtineret. Nequaquam igitur, viri, istis morem gerentes me nomine hereditario privetis, id quod adhuc solum reliquum est, ejusque adoptationem antiquatum eatis: sed postquam negotium ante vos venit et vos arbitri ejus facti estis, ferte opem nobis et illi qui fato functus est, et ne despiciatis, per deos et genios vos oro, affectum ab his contumelia, sed memores legis et jurisjurandi quod præstitistis et eorum quæ dicta sunt, pro lite justa et jurijurando respondentia secundum leges decernite.

ISÆI

DE PYRRHI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Pyrrhus alterum sororis filium Endium adoptavit, qui ultra viginti annos fruitus hereditate obiit: Xenocles potitus pecuniam testatus est Philen, uxorem suam, esse Pyrrhi filiam legitimam, contendente Endii matre de hereditate; et deprehensus pejerare, ipso Nicodemo testante in uxorem junxisse sororem Pyrrho secundum leges, et ex ea natam esse Philen. Endii vero frater dicit esse spuriam, et ex concubinis Pyrrho ortam, et ut talem ab Endio locatam esse Xenocli. Quæstio conjecturalis: accusatio testatur de perjurio contra Nicodemum.

1. Pyrrhus matris meæ frater, o judices, prole carens legitima, fratrem meum Endium pro filio atque herede adoptaverat; qui Endius ab excessu Pyrrhi plus viginti annis ei supervixit, et bona Pyrrhi possedit atque usurpavit totoque illo tempore nemo unquam ulla prodidit significatione et ne simulavit quidem se existimare illam hereditatem ad se pertinere neque super ea cum Endio contendit. Verum Endio fratre meo anno superiori vita defuncto mulier quædam, quasi simulans se ignorare jam ante se alium quendam fuisse bonorum Pyrrhi heredem qui illa tamdiu usurpasset, quem tamen ipsa tacita pertulisset, et quasi nunc primum Pyrrhus morte sua hereditatem illam vacuam fecisset, illa (inquam) mulier, avunculi nostri filiam se ferens legitimam et Philæ nomen sibi arrogans, et vir, cujus in potestate illa mulier est, Xenocles Cyprius, tutorio uxoris suæ nomine, litem exordiebantur super Pyrrhi hereditate jam plusquam viginti annis ante vita defuncti, petebantque illam hereditatem a se in libello petitorio tribus talentis æstimatam. Ibi mater nostra, Pyrrhi soror, eadem de hereditate contendere eamque sibi arrogare; sed vir, in cujus potestate illa mulier est, intercedebat obnuntiatione quam ausus est interponere, qua testem agens negat matri nostræ jus ullum esse fratris hereditatem petendi, quoniam Pyrrho, primo bonorum domino, filia legitime nata supersit adhuc in vivis. Opposuimus vero nos actionem de falso dicto testimonio, vestrumque ad forum pertraximus eum qui interponenda obnuntiatione sua ausus fuerat hoc ex titulo hereditatis aditu nos excludere, atque non illum modo [Xenoclem] dicti falsi testimonii

luculentissime coarguimus et actionem de falso testimonio in hoc eodem vestro foro vicimus, sed etiam hunc Nicodemum tum quoque in continenti coarguimus, qui coram iisdem judicibus falsum illud Xenoclis testimonium suo perinde falso fultum et constabilitum erat, aiens a se sororem suam, hujus mulieris matrem, avunculo nostro [Pyrrho] rite desponsam et in manus traditam fuisse, quo uxor ejus jure quam potest optimo esset. Testimonium hoc [Nicodemi] jam in priore actione judicibus qui tum sedebant falsum fuisse visum, docet testis tum condemnatus [Xenocles]. Nam si hic [Nicodemus] tum visus non fuisset falsa testatus esse, constat hoc eventurum fuisse ut et ille [Xenocles] in causa obtestationis absolutus abiret, et mulier, quam Xenoclis obtestatio filiam Pyrrhi legitimam perhibet esse, avunculi nostri bonorum heres declararetur, non mater nostra. Sed victus et condemnatus discessit testis [Xenocles], et mulier illa quæ Pyrrhi se fert filiam ab hereditate quam poscebat destitit; unde perspicua et invicta exsistit necessitas hujus [Nicodemi] quoque testimonium jam tum temporis reprobatum, condemnatum, et pro nullo declaratum fuisse. Nam, qui obtestationem nobis objecerat [Xenocles], hoc de ipso actionem falsi testimonii certabat, utrum mulier hereditatem petens Pyrrho e meretrice an ex uxore legitima nata esset. Statum causæ cognoscetis ipsi vos perspicue, ubi audiveritis et jusjurandum a nobis dictum jurijurando ab illis dicto oppositum et hujus [Nicodemi] testimonium et denique interpositam [a Xenocle] obtestationem, illam dico in illo priore judicio falsitatis convictam atque repudiatam. Recita tu hisce [judicibus] hasce tres schedas, quas tibi in manus trado.

CONTRAJURAMENTUM. TESTIMONIUM. OBTESTATIO.

2. Nicodemum ergo jam tum statim in continenti visum fuisse falsum testem, id liquido tum demonstratum fuit omnibus: verum etiam coram vobis, judices, convenit testimonium ejus mendacii coargui, quippe qui hoc de ipso sedeatis judicaturi, sitne verum illud an falsum testimonium. Ante omnia itaque eum ipsum percontari volo, quamnam dotem a se sorori aiat additam fuisse is [Nicodemus], qui testimonio in publico dicto asseveravit, sororem a se Pyrrho rite desponsam et elocatam fuisse, substantiam possidenti tribus talentis æquiparabilem; deinde percontari volo, utrum illa prætensa Pyrrhi uxor virum adhuc superstitem an eo exstincto domum ejus deseruerit, et, posterius hoc si evenit, a quonam dotem sorori contributam recuperarit post ejus excessum cui se illam despondisse ait, aut si dotem minus recuperarit, quamnam actionem sive titulo alimentorum mulieri præbendorum sive dotis ipsius reddendæ intra viginti annorum decursum in eum intentarit qui nuper

hereditatem Pyrrhi in potestate habuit, aut quonam cum comite atque teste congressus cum herede, de dote sorori reddenda cum illo herede intra tam longinquum tempus expostulaverit. Horum itaque omnium cur nihil factum sit, libenter ex eo percenter, ea super muliere quæ legitime dicatur elocata fuisse — nam sic a se sororem Pyrrho elocatam fuisse Nicodemus hic testatus est —, et præterea, num quis adhuc alius sororem ejus in matrimonio habuerit uxorem sibi rite desponsam, sive ille unus est ex eorum numero qui muliere illa familiariter usi sunt, antequam avunculus noster notitiam cum ea contraheret, sive ex eorum qui avunculo cum ea consuescente mulierem frequentarunt, sive denique eorum qui avunculo e vivis sublato usu crebro cognitam atque amicam eam habuerunt: constat enim, si horum cuiquam rite desponsa fuit, eam eorum unicuique conditione eadem elocatam fuisse a fratre qua avunculo nostro fuit, si fuit unquam. Non modicum mihi datum foret negotium, si de horum omnium qui mulieris amici unquam fuerunt unoquoque sigillatim exponere necesse fuerit. Quodsi ergo vos jubeatis, de quibusdam eorum a me mentionem fieri, faciam: sin autem vestrum quibusdam perinde insuave sit audire istiusmodi narratiunculas, atque mihi est in iis oratione versari, sola vobis exhibebo recitanda testimonia super hac muliere in priore actione dicta, quorum testimoniorum omnium in nullum hi ausi sunt [Nicodemus puta cum factione sua] falsitatis actionem instruere. Atqui fieri qui possit, ut rite desponsa cuiquam atque elocata videatur ea mulier, quam hi ipsi confitentur volenti cuique patuisse? Quod enim testimonia hac ipsa de re dicta falsitatis actione persecuti non sunt, eo ipso confessi sunt mulierem corpus vulgasse ideoque rite desponsam nunquam fuisse. Quæ testimonia ubi vos quoque audieritis, cognoscetis et Nicodemum testimonium dixisse aperte et manifeste falsum, et superioris actionis judices æquam jurique consentaneam pronunciasse sententiam in hanc formulam, hereditatem mulieri haud legitime natæ non competere. Recita tu, tu autem inhibe clepsydram.

TESTIMONIA.

Quod ergo meretrix volenti cuique obnoxia, non autem uxor legitima nostri avunculi, fuerit ea mulier, quam hic [Nicodemus] testatus est a se illi legitime desponsam atque elocatam fuisse, de eo jam constat vobis cum e testimoniis reliquorum propinquorum tum e vicinorum qui olim Pyrrho fuerunt; nunc autem testati sunt rixas pugnasque crebras a se visas auditasque esse et comissationes et petulantiam incredibilem, toties quoties hæc mulier hujus [Nicodemi] soror penes eum [Pyrrhum] esset. Atqui nemo facile ausit ad matronas rite maritatas comissabundus accedere; neque uxores maritos ad convivia comitantur, neque compotantibus assident inter

ignotos et alienos, eosque fortuito oblatos et de trivio correptos. Atqui mulierem hanc ista factitasse testati sunt hi quos audivistis, et hi [Nicodemus, Xenocles, et tota eorum factio] ausi non sunt contra testium illorum quenquam actionem falsitatis instituere, nedum ut eos coarguerent. Vera me haec affirmare quo constet, recita tu illis hoc testimonium iterum.

TESTIMONIUM.

Sed et illa recita testimonia de frequentibus marium omnis generis cum illa congressibus, quo constet et meretricem illam fuisse volenti cuique obnoxiam, et neminem illorum omnium alium ex ea liberos legitimo modo suscepisse. Recita ipsis.

TESTIMONIA.

Meminisse jam vos oportet quot numero homines coram vobis, judices, contestati sint, quam mulierem hic [Nicodemus] avunculo nostro a se desponsam et elocatam ait fuisse, eam prostibulum vulgare et in potestate cujusque mercedem dantis fuisse; meminisse item hoc, constare jam omnium aliorum nemini eam desponsam fuisse et cum alio nullo cum conditione matris familias honestæ et legitimæ sub eodem tecto cohabitasse.

3. Verum age alias quoque causas excutiamus, unde suspicio nascatur fieri tamen potuisse ut ejusmodi mulier, quamvis ita probrosa et contaminata, rite tamen nihilominus desponderetur, si nostro quoque avunculo contigisset hac in re humanum quid pati. Usu enim nonnunquam venit ut adolescentes, cum talium mulierum amore tam insano exarsissent ut ab earum amplexibus avelli et incontinentiæ suæ modum imperare nequirent, sui haud compotes a stultitia et furore suo impellerentur ad peccandum in sua propria commoda et ad conciscendum famæque suæ ignominiam et rei familiari labem haud reparabilem. Unde igitur hujusmodi de re quid statuendum sit certius intelligatur atque decernatur exploratius, quam partim e testimoniis in actione superiori horum in causa dictis [Nicodemi puta, et sororis ejus, item Philæ et Xenoclis atque consortium] partim ex indiciis probabilibus atque consentaneis ex ipsa rei natura efflorescentibus? Hic nempe [Nicodemus] in illa priore actione nequam artibus et imposturis rem gerens comminiscebatur unum solummodo testem, Pyretidem aliquem, sibi præsto fuisse sororem desponsuro, si dis placet (ait enim despondisse), viro clarissimo substantiam trium talentorum tenenti. Et hujus rei testimonium exhibuere tum non a teste præsente coram judicibus ore editum, sed scriptum absentis nomine ab ipsis; quod testimonium ipse Pyretides a se aut verbis proditum aut literis consignatum fuisse infitiatur, sarcinamque hanc quam hi humeris ejus impositum issent susci-

pere recusat, sed rotundis et disertis verbis negat sibi constare horum quicquam verum esse. Luculentum ego edam documentum, unde constet testimonium hoc ab his tum exhibitum manifesto falsum et ementitum esse: nostis enim vos omnes, cum res suscipiamus agendas in publico, quas res oporteat ad plurium notitiam pervenire et quæ sine conscientia et auctoritate testium peragi atque ratæ esse nequeant et quarum loca et tempora cæterasque rationes præsciamus, tum solere nos ad eas res agendas advocare delectos e propinquissimis eosque quibus alias utamur quam familiarissime, subitarum autem et quarum eventum præscire atque prævidere nemo possit testes producere eos qui fortuito rei cuiquæ ut contigit interfuerunt. In ipsis ejusmodi rerum actionibus forensibus cum testes in judicum conspectum producendi sunt, facere non possumus quin illos testes, quicunque tandem cæteroquin sunt, a forte nobis objectos producamus, qui rebus ex improviso et insperato gestis interfuerunt: sed aut ipsos producimus, aut si quis ipse in foro adesse sive per valetudinem sive per instantis itineris necessitatem minus possit, tum testimonium ab absente ipso ejusve nomine scriptum exhibemus; hujusmodi autem testimonium, absentis locum expleturum, eum operam damus ut nobis scribatur, cavemus ut civium probatissimos quosque vobisque notissimos advocemus ut intersint actui testationis, neque uno teste duobusve defungimur, sed quot possumus quam plurimos corrogamus, testimonium ejusmodi pro absente testaturum poscentes a scribente, quo et auctori testimonii postmodum negatum sit a se scripta rursus infitiari, et quos vos fidem scriptis hoc promptius atque fidentius habeatis quo testes et numero plures et fama atque dignitate meliores eadem confirment. Xenocles quidem hic ipse alia quapiam in re, multo illa leviore atque hæc nostra causa est, hac usus cautione cernitur; Besam enim proficiscens ad officinam metallicam, quæ ibi nobis est a Pyrrho relicta, cum proposito nostras operas illinc vi et manu deducendi, non existimabat oportère se testibus uti quos illuc venienti fors esset objectura, sed in viam se dabat habens secum Diophantum Sphettium, eundem qui pro hoc [Nicodemo] causam dixit [in superiori actione], et Dorotheum Eleusinium fratremque suum Philocharem multosque alios nominatim ad testandum convocatos, quos hinc illuc perduxit Xenocles tota tercentum stadia: super desponsione autem atque elocatione in matrimonium mulieris ejus quæ liberis suis avia sit futura, cum in urbe sibi dari curaret extestimonium [h. e. non adduceret in forum ipsum testem suum, sed solummodo testimonium literis consignatum ab eo peteret, tametsi, id quod ipse ait, ille testis non peregre sed ipsa in urbe ageret, nihilque eum ab ingressu in forum impediret], tamen ad eam rem necessariorum suorum neminem advocasse deprehenditur, sed solummodo

Dionysium Erchiensem et Aristolochum Æthalidem. Cum his duobus aiunt hi [Nicodemus cum factione] Xenoclem in urbe extestimonium sibi dari curasse. Hujusmodi sunt eorum mores et instituta; quibus nemo facile ulla alia in re quacunque tandem fidem adhibeat. At medius fidius leve quid erat atque frivolum id, cujus causa Xenocles (ut hi aiunt) extestimonium a Pyretide poscebat, ut mirandum nil sit ab eo rem istam tanta cum socordia atque supinitate actam esse? Atqui levis et frivola hæc res qui, quæso, erit ei, cui in hoc ipso verteretur cardo certaminis ejus, quod Xenocli de falso dicto testimonio certandum fuit, utrum uxor sua spuria e scorto nata an filia legitima Pyrrhi e matre familias honesto modo suscepta esset? Itane vero ad testimonium hac de re, si verum fuisset neque commentitium, paucos quosdam et alienos homines et non potius amicos atque familiares advocasset? Utique, ita me deus amet, vere factum id si fuisset, quod ii factum aiunt [h. e. ad testimonium ex ore testantis excipiendum de re tanti momenti, quotquot potuisset, omnes notos et familiares advocasset]. Atqui constat utrumque horum, tam Xenoclem quam Nicodemum, res gravissimi ponderis studuisse clam, pene nullo cum teste aut cum levissimo quoque, peragere; nam Xenocles quidem extestimonium sibi dari curavit coram duobus solummodo testibus fortuito oblatis, Nicodemus autem, id agens ut sororem viro desponderet substantiam habenti tribus talentis parem, cui illam a se desponsam ait, non habuit secum nisi unum solummodo testem advocatum. Et Nicodemus quidem se solum Pyretidem secum habuisse commentus est (Pyretides enim ipse factum infitiatur); ab eo autem viro, qui ejusmodi mulierem sibi deponderi curaret, advocatos se sponsalibus interfuisse aiunt Lysimenes et fratres ejus, Chæron et Pylades. Hoc aiunt hi, qui despondendi avunculi essent. Proh rem portentosam! Jam vestrum est, judices, dispicere commentum hoc utrum sit credibile. Nam ego equidem autumo, ex eo colligens quod consentaneum est fieri, si Pyrrhus sibi proposuisset aliquid aut spondere aut agere quod genere ipsius esset indignum, multo eum magis operam fuisse daturum ut id inscils necessariis omnibus faceret, quam voluisse avunculos ad errorem tam fœdum oculis suis contestandum advocare.

4. Præterea, hoc quoque miror, si vera fuerunt illa sponsalia, cur de dote nullum pactum intercesserit neque a parte dantis neque a parte accipientis. Sive enim Nicodemus dotem Pyrrho dedit, consentaneum erat ut, qui testes se sponsalibus aiunt interfuisse, hi iidem quoque testarentur illam dotem Pyrrho in manus a Nicodemo datam atque numeratam fuisse: sin autem cupiditate mulieris accensus avunculus noster passus esset indotatam sibi desponderi mulierem et eam quidem sic moratam, paret Nicodemum multo etiam tum magis operam daturum fuisse ut Pyrrhus coram testibus

affirmaret se dotem pro muliere accepisse illaque de dote reddenda caveret, quo facile rursus ei ne esset mulierem, si quando luberet, a se ablegare; multo etiam plures tum profecto testes (id quod consentaneum est) despondens advocatos adhibuisset quam is qui sibi talem mulierem desponderi curaret. Nemo enim vestrum ignorat, ejusmodi mulierum caritatem penes amantes levem esse et evanidam, et illusam illorum opinionem paulo post resipiscere, errorem noscitare, et, quo loco habendæ sint meretrices et quanti faciendæ, tandem aliquando cernere. Et nihilominus tamen Nicodemus, aiens sororem a se desponsam, his moribus, indotatam, viro substantiam habenti tribus talentis æquiparabilem, ait eam despondisse uno tantum cum teste et sine pactione dotis; et avunculi Pyrrhi aiunt se interfuisse sponsalibus iis quibus suus ex sorore nepos mulierem talem sibi curasset indotatam desponderi. Proh impudentiam! proh effrenem mentiendi licentiam!

5. Verum non insistit hic eorum audacia. Testati præterea quoque sunt hi iidem Pyrrhi avunculi se advocatos a nepote interfuisse, cum ille diem a nata filia decimum festum ageret eique nomen imponeret. Hic loci continere me non possum, judices, quominus prodam me gravissime indignari, quod maritus quidem hujus prætensæ Pyrrhi filiæ [Xenocles], uxoris loco atque nomine litem hanc instituens de hereditate Pyrrhi veluti de patrimonio uxoris (Pyrrhi enim filiam illa se, quod toties dico, jactat), in libello, quem exhibuit petitorium eundem atque accusatorium, uxoris suæ Philæ nomen ediderit Philamque curarit in tabulas publicas inseri; avunculi autem Pyrrhi, qui decimo ab illius mulieris nativitate die sacris ideo factis nominisque imponendi ritui se aiunt interfuisse, testati sint eam a patre ex aviæ nomine Clitaretam appellatam fuisse. Clitaréta enim mater Pyrrhi appellabatur. Miror itaque qui factum sit ut maritus, octavum jam in annum uxorem domi habens, verum ejus nomen ignorarit; et neque a testibus suis id ante hunc diem didicerit, neque socrus ei filiæ suæ nomen intra tam longinquum tempus prodiderit, neque socrus frater, hic ipse Nicodemus, sed pro aviæ nomine — si revera nomen aviæ mulieri fuit unquam impositum — maritus uxori suæ nomen Philæ curarit in tabulis publicis scribi, idque in sortitione litis super hereditate bonorum eorum quæ uxor ejus prætendit a patre suo sibi relicta esse. Quid ita? Ipsone adeo aviæ nomine [quod nomen nepti, si fuisset, titulus juris et documentum ingenuitatis esse potuisset] a patre imposito uxorem privatum ibat ipse maritus? Non jam liquet, judices, quæ hi dudum ante evenisse aiunt, ea hos nuper demum, dudum post causam hanc in forum delatam, ex se commentos esse et inter sese comparasse atque condixisse? Neque enim fieri potest neque credibile est, ut testes quidem ad sacra natalitia concelebrandum atque congratu-

landum vocati, quæ sacra peracta aiunt decimo die a nata Pyrrho filia, quæ eadem hujus [Nicodemi] ex sorore neptis est, nomen mulieri tum a patre inditum, ab illo inde die, quicunque ille dies fuit, tam longo tempore post tam probe commeminissent ejusque memores in judicium convenirent coramque judicibus e certa conscientia confirmarent nomen a patre filiæ fuisse idem impositum, quod ipsius Pyrrhi mater gessisset, Clitaretæ puta; qui autem hominum omnium eidem sunt propinquissimi, pater et avunculus et mater ipsa, nomen ignoraverint filiæ quam pro Pyrrhi filia venditant. Imo vero si qui alii, hi certe omnium uni optime atque certissime nomen mulieris tenebant. Verum hoc quidem de loco pluribus disserere fortasse postmodum licebit.

6. De hujus autem Nicodemi testimonio difficile non est ex ipsis adeo legibus colligere, in eo dicendo Nicodemum ita se gessisse ut inter omnes constet illud testimonium perspicue manifestoque falsum esse dictum. Ubi enim, quicquid tu alteri nuptiarum aut matrimonii ergo dederis ita ut expressis verbis haud sis stipulatus te velle ut id aut loco dotis sit aut in parte dotis habeatur et paratæ pecuniæ æquiparetur, id tibi postmodum repetere non licet, si forte fiat ut aut uxor sponte sua maritum deserat aut maritus eam domo expellat, quanto ille magis arguitur esse hominum omnium impudentissimus qui aiat, cum alicui sororem in manum daret, tum se nil curasse de dote sibi caveri. Ecquid enim tibi profuisset sororem despondisse, si commisisses ut, cui tu eam despondisses, in ejus fuisset arbitrio illam rursus pro lubitu quandocunque repudiare? Fuisset autem in ejus [Pyrrhi] arbitrio futurum, uxorem rursus ubi libuisset repudiare, si ei cum Nicodemo de præstanda dote nil convenisset. In hanccine legem existimandus est Nicodemus sororem avunculo nostro despondisse? præsertim qui sciret eam ex eorum quibuscum consuevisset nullo peperisse, legesque nosset ipsi [Nicodemo] dotem adjudicare cum marito compromissam, si contingeret ut ea sine prole decederet? Estne quisquam, cui Nicodemus tam supinus tam secors tam lucri contemptor esse videatur, ut hujusmodi clausularum atque pactionum ullam obliviosus prætereat? Mihi quidem hæc non videtur Nicodemo indoles esse. Itane vero porro quoque noster avunculus ab eo dignatus fuisset sororem sibi uxorem petere, qui actione peregrinitatis ab uno quodam eorum phratorum, quibus ipse sese arrogat, exagitatus, et in tam anceps amittendæ civitatis discrimen adductus fuisset ut, quod civis nunc sit Nicodemus, id quatuor solummodo suffragiis debeat? hoc enim numero excedebant suffragia absolventium numerum condemnantium. Quod ut constet vere a me dici, recita tu hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Sed ut de hoc quoque constet quod modo commemorabam, e jure nostro reversuram ad Nicodemum fuisse dotem, si evenisset ut soror ejus sine prole decederet; unde colligebam, cupiditatem Nicodemi passuram non fuisse ut de dote præstanda nil curaret a Pyrrho sibi caveri, cui sororem a se desponsam fuisse indotatam pro testimonio asseveravit. Recita tu hanc quoque nostri juris e codice legum particulam.

LEGES.

Videturne vobis Nicodemus ad emolumenta tam segnis tam torpidus et hebes fuisse, ut non multo magis hoc in negotio unde spes lucri certa ipsi affulgeret, si vere actum unquam fuisset, summa qua fieri potest cum diligentia atque circumspectione versaturus fuisset suisque commodis prospecturus? Ego quidem medius fidius arbitror eum ad diligentiam rei faciundæ nihil sibi reliquum facturum fuisse: alii quidem, qui mulierem aliquam sub conditione pellicatus elocantes pecuniam ei addunt, caveri sibi curant de emolumentis quorum fructum sperare debeat ejusmodi pellex; Nicodemus autem in sorore — ut ait — despondenda, hoc unum scilicet spectaverit ut legitime eam desponderet? dotis et commodorum inde ad semet redeuntium nullam prorsus habuerit rationem? illene, qui minuti æris causa, cujus cupiditate forenses causas in tribunalibus vestris actitat, nequam esse haud veretur?

7. Verum etsi nequitia hujus hominis, me vel tacente, plerisque vestrum cognita ita et perspecta est, ut mihi quidem, de eo quippiam eloquenti, testes non sunt defuturi; juvat tamen ante omnia summam ejus in dicendo falso testimonio impudentiam hisce propemodum argumentis denudare. Dic, sodes, Nicodeme, sororem si tu Pyrrho legitime despondisti ex eaque nosti filiam illi rite natam, cur passus es fratrem nostrum hereditatem Pyrrhi a judicibus petere ab iisque eam illi adjudicari, præterita filia quam tu ais ab avunculo nostro relictam legitime susceptam? An te fugiebat per hanc ipsam hereditatis petitionem atque adjudicationem filiam e sorore tua natam declarari spuriam? Nam profecto frater noster illa petenda et impetranda nil aliud fecit, quam ut filiam, quæ se fert ejus a quo hereditas relicta fuit, spuriam declararet. Verum non modo frater id fecit, sed dudum ante idem fecerat ipse quoque Pyrrhus eo quod fratrem nostrum pro filio adoptavit: quibus enim filiæ sint legitime quæsitæ, eorum nulli per leges licet testamentum scribere aut præteritis filiabus et in fraudem earum alii cuicunque bonorum suorum partem donare legare. Id quod vos ipsi e legibus intelligetis, cum recitatas audieritis. Recita tu illis hasce.

LEGES.

Videturne jam vobis Nicodemus, ille qui testatus sit a se sororem Pyrrho legitime desponsam esse, fratri nostro unquam permissurus fuisse ut eorum quæ frater hac in causa egit quicquam ageret? annon potius Endio hereditatem petenti, quæ etiam illi adjudicata fuit, sese opposuisset, atque intercessisset pro sua ex sorore nepte obnuntiando jus Endio nullum esse hereditatem petendi superstite filia legitima cui soli bona paterna debeantur? Quo autem certi sitis, Endium, fratrem nostrum, hereditatem Pyrrhi via juris ambisse sibique legitime adjudicari curasse, nemine ipsi ea de re controversiam obmovente, recita tu hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

Nicodemus itaque, id quod ex hoc testimonio constat, Endio hereditatem ex formula juris postulante, non ausus est intercedere neque controversiam hereditatis commovere, neque testimonium interponere suum de jure nullo postulanti competente, quoniam filia legitime suscepta supersit a Pyrrho patre sola bonorum heres relicta.

8. Et de adjudicatione quidem hereditatis possit aliquis vos, judices, commentitiis excusationibus ludificari: Nicodemus enim vel causatus fuerit hereditatem hanc sibi a nobis tum surreptam esse inscio et rerum quæ tum agerentur ignaro, vel nos mendacii incusarit. Verum transmittamus hunc locum tacitum, quoniam satis jam hac de re disputatum videtur. Xenocli autem cum Endius filiam tuæ sororis in manus daret, fuissesne tu unquam, Nicodeme, permissurus, ut ea pro spuria e meretrice suscepta marito in manus daretur, quæ fuisset ex uxore nata Pyrrho legitime abs te desponsa? Annon potius actione intronuntiationis fuisses usus, ad Archontem denuncians, mulierem, cujus in jure atque potestate sit hereditas ei a patre relicta, a filio adoptato contumeliose haberi, qui eam hereditate paterna plane denudatum eat? præsertim cum actionum omnium forensium hoc unum genus solum sit id in quo actores discrimen damni accipiendi nullum adeant, et volenti cuique liceat filiabus succurrere, si quæ sine fratribus cum patrimonio relictæ fuerint? Nam neque mulctæ luendæ locus est in hujusmodi ad archontem denuntiationibus, nè si quidem prorsus nullum suffragium denuntiatores abstulerint, neque sportulæ solvuntur neque sacramentum deponitur; sed actori quidem, quicunque esse vult, sine ullo periculo denuntiandi potestas est, reos autem condemnatos extremæ manent pœnæ in hujusmodi causis præscriptæ. *** Vera si fuissent ista, quæ tu nunc ausus es pro testimonio affirmare, utrum tu tunc statim, recente adhuc injuria, aucto-

rem ejus ultum isses, an etiam ista Endium aies clam et inscio te patrasse? Annon ex ipsa dote, quam Endius spuriæ suæ sorori addebat, odorabaris nepti tuæ injuriam fieri? Debuisses propter hoc ipsum concepta indignatione Endium apud archontem denuntiare, si ipse quidem substantiam tribus talentis æquiparabilem possidere postularet (quam Endius quoque jure merito postulabat), filiam vero patris sui adoptivi, quamvis legitime natam, alii cuipiam cum addita dote mille drachmarum solummodo [h. e. sextæ partis talenti] elocandam censeret. Et Nicodemus hoc æquo tulisset animo? non ideo succensuisset? non Endium detulisset? Fecisset profecto, ita me deus amet, si, quod ait, verum id et certum fuisset. Quid? quod ne videtur quidem mihi unquam, neque ille [Endius] neque ullus alius filius adoptatus tam aut tardus aut audax legumque contemptor fuisse in rep. obtinentium, ut, si pater adoptivus una cum hereditate filiam reliquisset legitime natam, non ipse eam domum suam duceret, sed alii cuipiam nuptui elocaret. Probe enim norat Endius liberorum ab ejusmodi filia legitima procreatorum universam aliquando futuram esse avitam hereditatem. Itane vero quisquam hujus rei gnarus, alii cuiquam bona sua sciens traderet? præsertim tam ampla et spissa atque hæc sunt bona super quibus hi nobiscum contendunt? Videturne vobis ullus alius filius adoptatus tam fore impudens atque tam audax, ut filiam sui patris legitime natam alii elocaret cum dote ne decimam quidem partem paternæ hereditatis exæquante? Aut, si factum tamen id fuisset, videturne vobis illius mulieris avunculus id fieri passurus fuisse, is qui ipse matrem puellæ patri ejusdem despondisse asseveravit in testimonio coram judicibus solenniter dicto? Mihi quidem Nicodemus non videtur æquo id animo laturus fuisse, sed potius contentionem super hereditate exorsurus et obtestationem interpositurus et indicaturus archonti filiæ paternorum bonorum heredi relictæ injuriam fieri, et, aliud si quod superfuisset telum juris illis adhuc acrius, eo usurus nihilque sibi ad obtinendam causam reliquum facturus. Jam Endius quidem mulierem hanc, quam hic Nicodemus e sorore sua natam ait, ut spuriam e meretrice susceptam elocavit; hic Nicodemus autem neque cum Endio de Pyrrhi hereditate contendere ausus est, neque Endium apud archontem deferendum censuit, quanquam is Nicodemi neptem e sorore pro spuria e scorto nata elocasset, neque dotis ab Endio mulieri additæ mediocritatem ægre se ferre significavit, sed illa omnia fieri æquo animo passus est. Atqui leges de his omnibus diligenter definiunt. De quo ut vobis constet, recitabit scriba vobis primo quidem loco iterum testimonium de hereditate Pyrrhi ab Endio in jure petita eique a judicibus adjudicata, deinde vero de mulieris [filiæ spuriæ, Philæ] elocatione [ab Endio facta]. Recita tu ipsis.

TESTIMONIUM.

Recita leges quoque.

LEGES.

Cape jam hoc hujus quoque [Nicodemi] testimonium [quo ille confirmavit, a se sororem suam, hujus mulieris matrem, Pyrrho pro legitima uxore fuisse elocatam].

TESTIMONIUM.

Quomodo jam quis, actione de falso dicto testimonio aliquem persequens, dilucidius et evidentius reum arguat, quam si illum et ex ipsis rebus gestis et ex universo vestro jure civili mendacii convincat, ut ego nunc Nicodemum convici?

9. Exsecutus itaque dicendo cum jam sim eorum pleraque quæ de Nicodemo et adversus eum habebam, Xenoclem quoque spectate, quæso, judices, illum penes quem ea mulier est, quæ e sorore Nicodemi nata Pyrrhi se filiam fert, num ex illo quoque Xenocle indiciorum nonnihil eluceat, unde constet dictum a Nicodemo testimonium falsum atque mentitum fuisse. Xenoclem itaque hunc sivisse hanc, quam nunc uxorem domi habet, pro spuria sibi desponderi eamque pro tali manucepisse, planum id vobis factum est et per argumenta et per testimonium id, cujus de veritate Xenocles ipse per tempus haud modicum rebus ipsis testatus est. Paret enim, nisi Xenocles uxorem sibi ut spuriam ab Endio desponderi et in manus tradi sivisset, operam eum fuisse daturum, superstite adhuc Endio, cum liberi ei jam essent ex illa uxore suscepti tam jam adulti, ut controversiam Endio adhuc superstiti moveret de filia legitima ut sola herede bonorum patris, præsertim qui paratus esset Endii adoptationem a Pyrrho unquam factam infitiari: utique, quo eam infitiaretur, exceptionem falsitatis opposuit testibus his, qui testati fuerant se interfuisse cum Pyrrhus testamentum conderet. Quæ ut vobis constet a me vera dici, recitabit scriba vobis testimonium ab iis quos dico testibus perhibitum. Recita ipsis.

TESTIMONIUM.

Atqui etiam ex hoc quod nunc dicam paret hos [Xenoclem, ejus uxorem, Nicodemum, cum sorore et consortibus] fateri, factam utique fuisse Endii a Pyrrho adoptationem. Nam alias non transissent [h. e. quietum frui possessione patrimonii sivissent] eum qui postremus heres patrimonii fuit, neque nunc demum copissent in animum inducere pro muliere, prætensa Pyrrhi filia, hereditatem Pyrrhi in jure petendam sibi esse. Plus enim quam viginti anni ab excessu Pyrrhi exierunt, Endius autem anno superiori demum

mense Metagitnione exspiravit; quo facto, protinus ab ejus excessu tertio die post cœperunt veniam in jure petere hereditatem Pyrrhi adeundi. Atqui lex præcipit, ut petens hereditatem alicujus intra quinquennium ab ejus excessu eam petat. Conveniebat itaque mulieri alterutrum facere, aut cum superstite adhuc Endio de patrimonio contendere ut sibi soli competente, aut Endio exstincto hereditatem ejus petere, ut soli sorori Endii relictæ, præter quam ei nulli alii fratres nullæque sorores essent; præsertim si verum fuit, quod hi præ se ferunt, eam ab Endio pro genuina et legitima sorore Xenocli desponsam et in manus traditam fuisse. Novimus enim probe nos omnes, nobis quotquot sumus omnibus per jus civile licere, fratrum hereditates in jure petere; quibus autem natu liberi sint, hos solos gaudere privilegio hoc, ut eorum bona in jure petere nemini prorsus liceat. Horum de bonis controversiæ locus omnino nullus est: vos enim omnes patrum vestrorum patrimonia habetis et tenetis incontestabilia, et sic reliquorum quoque civium omnium unusquisque patrimonium, quisque suum, habet tenetque incontestabile. Et nihilominus tamen hi tam sunt inconsulti atque audaces, ut jus omne civile prætensionibus suis absurdis perturbent evertantque, aientes, adoptato quidem filio haud convenisse ut sibi per testamentum donata in jure peteret confirmari, pro Phila autem, quam aiunt a Pyrrho filiam genuinam esse relictam, se recte convenienterque contentionem in foro super hereditate ei a patre relicta capessere. Atqui — prout paulo ante docebam — quicunque liberos ex se legitime natos reliquerint, eorum liberi haud tenentur bona paterna in jure petere: si qui autem per testamentum adoptati fuerint, illos oportet operam dare ut bona sibi legata a judicibus e formula juris adjudicentur. Illis enim, quia natu liberi sunt, nemo facile controversiam de bonis paternis moverit; cum adoptatis autem cognati omnes jus contendendi habere postulant. Super hereditatibus itaque ne a quocunque contendere volente lites moverentur, et ne essent qui hereditates veluti desolatas sibi peterent adjudicari, propterea dant adoptati omnes operam ut sibi legata formula juris adjudicentur atque confirmentur. Nemo jam vestrum omnium, judices, existimet, Xenoclem, si vere persuasum sibi habuisset uxorem suam legitime natam esse, pro ea super hereditate ipsius paterna contentionem forensem fuisse suscepturum. Nil minus. Filia legitime nata si fuisset, tacita in bona paterna immigrasset, eaque si quis illi adimere conatus esset aut se per vim in ea ingerere, eum inde vi manuque dejecisset, homoque ejusmodi violentiam ausus non privatas solummodo lites haberet decertandas, verum etiam apud archontem reus agi læsæ majestatis posset ceu turbator pacis publicæ et in discrimen incurreret amittendi capitis fortunarumque omnium.

10. Adde, quod Pyrrhi avunculi, si scissent a sororis suæ filio Pyrrho filiam genuinam esse relictam, non videntur passuri fuisse ut Xenocles se præveniret: id enim si scissent, et præterea si vidissent nostrum neminem illam mulierem in matrimonium ducere velle, profecto non permisissent Xenocli ut, qui nullo pacto Pyrrhum cognatione attingeret, illam mulierem secum cognatam sibi præriperet. Foret utique res gravis et abhorrens, si sic se haberet, ut leges quidem edicerent, ut mulieres, sive ab ipsis patribus elocatæ jam in matrimonioque degentes (quanquam de mariti delectu quis melius filiæ, quam pater, consulat?), sive nondum elocatæ tum quum pater earum decederet, nulla prole mascula legitima relicta, ut illæ igitur mulieres a proximis in sanguine in matrimonium petantur iisque a judicibus adjudicentur; et profecto complures jam uxoribus muletati sunt, vi legum abstractis, quibuscum jamdudum cohabitassent. Præterea, quæ ab ipsis patribus elocatæ fuissent, lege controversiæ eas necessario esse obnoxias debebat: Xenocli autem avunculorum Pyrrhi unus aliquis permitteret uxorem domum ducere sibi ipsi convenientem, si Pyrrhus filiam genuinam reliquisset, tantamque substantiam ipse sibi denegaret, Xenocli tribueret. Nolite illos tam stultos existimare. Nemo lucrum facile aversatur, nec alienos sibi præfert. Quod si ergo prætextu utentur hoc, ut aiant, propter adoptationem Endii controversiæ mulierem haud fuisse obnoxiam, et idcirco de ea obtinenda in jure contendere se negent voluisse, primum hoc debebitis eos interrogare, cum factam a Pyrrho Endii fateantur adoptationem, cur tamen exceptione falsitatis oppugnent eos testes qui Endium a Pyrrho adoptatum fuisse testati sunt? deinde, cum præterissent eum qui bonorum a Pyrrho relictorum postremus possessor et heres fuisset, cur tamen contra formulam juris illam hereditatem in jure petere nunc demum incipiant? denique eos interrogate, num eorum omnium, quotquot sunt qui legitime nati sunt, vel unus æquum censeat sibique factu necessarium ducat ut hereditatem patrimonii sui in jure petat a judicibusque postulet in bona de jure sua immitti? Has quæstiones opponite vos eorum impudentiæ. Mulierem autem [Philam] controversiæ utique obnoxiam fuisse, si quidem legitime nata fuerit, id vero licet e legibus quam evidentissime cernere. Lex enim expressis verbis ita præcipit, qui prolem masculam nullam relinquat, ei licere bona sua per testamentum cuicunque velit legare: sin autem idem filias relinquat, ita valituram esse voluntatem patris, ut, qui hereditatem ejus adeat, is una quoque filiam in matrimonium ducat. Licet ergo alicui bona sua legare, si una cum bonis filiam quoque eidem deleget pater: sin autem filiarum legitime natarum ratione nulla habita pater aliquem pro filio adoptare velit eique bona sua per testamentum legare, illam adoptationem atque legationem bonorum esse

illegitimam eoque irritam. Quod si ergo Pyrrhus, quem fingemus tantisper filiam reliquisse legitimam, illa filia præterita Endium pro filio adoptavit, lex illam adoptationem illegitimam declaravit atque irritam: sin autem Pyrrhus una cum bonis Endio filiam quoque legavit eaque conditione adoptatum in bonis Endium reliquit ut filiam in matrimonio haberet, cur passi vos duo estis, qui Pyrrhi essetis avunculi, ut Endius bona Pyrrhi a judicibus sibi curaret attribui, tametsi prætensam illam Pyrrhi filiam in matrimonium haud duceret? præsertim testati cum sitis ipsi Pyrrhum, sororis vestræ filium, ipsum vobis morientem demandasse ut hujus natæ suæ curam haberetis? At agite, o boni, excusabitis forsitan oblivionitatem vestram; credemus tantisper vobis sive oblitis sive insciis hoc evenisse: ut Endius tamen cum mulierem despondere atque elocaret, cur tum vos permisistis mulieri, ut tacita et nil contra hiscens se pateretur a fratre pro spuria Pyrrhi desponderi, vos qui Pyrrhi avunculi essetis? præsertim cum ipsi aiatis vos affuisse tum, quum Pyrrhus matrem hujus mulieris ea lege sibi curaret despondendam, ut eam domi suæ pro legitima matrefamilias haberet; et præterea in epulis vos aiatis invitatos interfuisse, quæ ob hujus filiæ nativitatem die decimo post illam partu editam celebratæ fuissent; denique — id quod omnium deterrimum est — ipsi cum aiatis Pyrrhum morientem demandasse, curam hujus puellæ ut velletis habere, (eugæ præclaram curam!) tam probe consuluistis ei ut pateremini eam pro spuria desponderi, præsertim quæ sororis vestræ nomen gereret, id quod ipsi vos pro testimonio affirmastis.

11. Ex his itaque a me dictis et ex tota causa facile perspecta cuique est, quam impudentissimi sint hi homines. Avunculus enim noster si filiam rite sibi natam reliquisset, ecquo fratrem nostrum pro filio adoptato in bonis reliquisset? Ideone, quod alii essent propinqui necessitudine sanguinis propiores quam nos, quos ille volens facultate filiam suam in jure petendi excludere, fratrem nostrum adoptasset? At neque fuit unquam filia ejusmodi, cujus in foro petendæ et obtinendæ locus cuiquam fuisset, neque est. Liberis itaque nullis ingenuis ab eo relictis, nemo illi propior est quam nos sumus: nam neque frater illi fuit neque nepotes ex fratre, sed nos sumus ex ejus sorore nati. Atque tamen medius fidius (ita fortassean occurret mihi quispiam) Pyrrhus alium e cognatis si adoptasset, una cum hereditate filiam quoque ei dedisset habendam pro uxore. Ecquid, inquam, oportebat Pyrrhum ita palam quemcunque tandem cognatorum offendere? cui licebat, si revera Nicodemi sororem sibi curasset pro matrefamilias desponderi, filiam, quæ ex ea nata fertur esse, in phratoras inducere ut ex se legitime natam, et virginem heredem universæ substantiæ in domo sua relinquere, ea lege ut proximus cognatus eam sibi a judicibus curaret adjudi-

eandem, filiosumque ex illo matrimonio exstiturorum aliquis, quicunque tandem, in nomen gentemque suam adoptaretur et in domum suam indoceretur. Constat enim eum, si filiam heredem reliquisset, certissime cognitum atque perspectum habuisse alterutrum horum esse eventurum, ut aut nostrum, qui cognatione summus proximi, quisquam filiam illam suam uxorem haberet una cum hereditate sibi a judicibus adjudicatam, aut, si nostrum quisquam eam in matrimonium ducere recusaret, ut horum saltim avunculorum suorum alter, qui nunc [Nicodemo et Xenocli] testimonia præstant, aut certe reliquorum cognatorum quisquam pari modo, petita in jure et impetrata universa hereditate, eam quoque uxorem haberet. Hæc ille perfecturus erat, si filiam in phratoras induxisset fratremque meum pro filio haud adoptasset: eo autem quod contra fecit, hoc est, quod fratrem meum adoptavit, illam vero in phratoras non induxit, hanc quidem pro spuria, id quod eum decebat quoque facere, fratrem vero meum heredem bonorum suorum declaravit. Quod autem avunculus noster neque victimam nuptialem intulerit [h. e. quod matronas phratriæ suæ, nomine nuptæ suæ, Nicodemi sororis, convivio non exceperit], neque filiam ex illa prætensa uxore natam in phratoras induxerit, quam hi aiunt ei legitime natam esse, quanquam apud phratoras illius obtinet hic ritus ab ipsis sancitus, ut liberi nulli habeantur legitimi nisi hi quos pater ipse apud se [phratoras] introduxerit, his de rebus ut vobis constet, recitabit vobis hic [scriba] testimonium phratorum qui olim avunculo nostro fuerunt. Recita tu: tu autem inhibe aquam.

TESTIMONIUM.

Cape hoc quoque testimonium, docens illud, ab avunculo fratrem meum adoptatum esse.

TESTIMONIUM.

12. Vosne jam, judices, testimonio falso Nicodemi majorem fidem, quam avunculi nostri extestimoniis, qui post fata etiam suprema tamen adhuc non minus quam si superesset per facta de voluntate sua testatur, habebitis? et eritne jam quisquam qui persuadere vobis conetur, quæ mulier volenti cuique communis fuerit atque patuerit, eam penes avunculum nostrum loco matrisfamilias rite confarreatæ fuisse? Atqui vos, ut opinor, hoc non credetis, nisi planum fecerit id, quod initio hujus orationis urgebam, primum hoc, cujusnam sub dotis conditione Nicodemus Pyrrho sororem suam desponderit; deinde apud quemnam archontem ipsa mulier denuntiaverit publicisque tabulis consignandum a tabulario curaverit se domo mariti ultro excessisse omniquè se jure suo in substantiam et cognationem ejus suo suorumque liberorum nomine abdicasse;

post a quonam Nicodemus dotem pro sorore datam sponsamve recuperarit post excessum ejus, cui se ait illam spopondisse; aut, si dotem cum reposceret recuperare minus potuerit, quamnam intra viginti annos actionem in eum intenderit qui Pyrrhi hereditatem tam longinquo tempore possedit, sive ita ut pro dote posceret alimenta ejus fœminæ quam rite ait desponsam fuisse, sive ut dotem ipsam reposceret; præterea doceto Nicodemus, num alii cuipiam sororem suam desponderit sive ante prætensam illam ejus cum Pyrrho desponsionem sive etiam post, item num ab illa muliere, præter istam de qua nunc agitur filiam, adhuc alii quoque liberi aliis, si qui tales sunt, legitime nati fuerint. Hæc vobis ex illo percontanda esse existimate, neque obliviscimini de victima nuptiali in phratoras illata interrogare. Argumentum enim hoc est non levissimum adversus hujus [Nicodemi] testimonium. Planum enim est atque perspicuum, si Pyrrhus induci potuerit ut mulierem hanc pro uxore legitima sibi sineret desponderi, passurum quoque eum fuisse se adduci ut pro ea victimam nuptialem in phratoras inferret, item ut filiam, quæ ex illa muliere ipsi nata proditur, in eosdem phratoras induceret pro filia sibi legitime nata; denique, cum substantiam tria talenta valentem haberet, si Pyrrhus revera mulierem illam pro legitima uxore domi suæ habuisset, ejus nomine, ut matrisfamilias, matronas phratorum in Thesmophoriis epulis genialibus excipere aliaque nonnulla in demo [seu municipio] suo peragere et fungi munia debuisset, quæ vetusto ritu pro matrefamilias a marito, præsertim e re tam ampla et lauta, peragi et præstari debebant. Atqui horum omnium nihil factum est, de quo inter omnes constat. Phratores jam testimonium dixerunt. Accipite jam testimonia demotarum quoque qui Pyrrho quondam fuerunt.

TESTIMONIUM.

ISÆI

DE NICOSTRATI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Mortuo in exilio Nicostrato, Hagnon et Hagnotheus consobrini patrueles contendunt de hereditate cum Chariade, se heredem illius donatione profitente, per testamentum. Isæus itaque orator, utpote consanguineus Hagnonis, orans patrocinatur illis. Lis est controversalis.

1. Hagnon hic, o judices, Hagnotheusque familiariter me utuntur, et jam dudum ante pater eorum quoque me pariter usus fuit. Quocirca consentaneum esse mihi videtur, me causam eorum quam potero diligentissime agere.

2. Feris itaque gestorum extra ditionem Atticam neque testes possunt inveniri, neque, si quid adversarii de iis mentiuntur, facile est eos coarguere, quia fratrum quos modo nominabam neuter illuc profectus est [ubi Nicostratus exspiravit]: quæ autem hic in urbe evenere, satis ea mihi videntur idonea esse documenta e quibus constet, quicunque ex titulo donationis hereditatem Nicostrati petunt, eos omnes hoc agere ut vobis imponant. Ante omnia itaque, judices, nomen quæri par est quod in tabulis petitoriis utrinque editum est, et dijudicari utri simplicius atque rei naturæ convenientius hereditatem petierint. Hagnon scilicet hic atque Hagnotheus apud archontem professi sunt hereditatem abs se peti Nicostrati ejus qui filius Thrasymachi fuisset, consobrinosque se ejus esse, testesque hujus rei exhibent: Chariades autem ejusque advocati Nicostratum quidem, sed alium, in suo libello petitorio nominarunt, eum puta qui Smicri filius esset, et nihilominus hereditatem ejus Nicostrati, qui Thrasymachi filius fuit, prætendunt ad se pertinere. Et hi quidem, Hagnon atque Hagnotheus, nomen illud ad se quicquam facere negant; nam neque se Nicostratum Smicri filium fuisse, neque, si homo ejusmodi unquam fuerit, eum ad gentem suam referri: isti autem [Chariades cum advocatis] tum Smicri filium a filio Thrasymachi diversum aiunt, tum tamen hujus Nicostrati, non illius, hereditatem perinde petunt atque hi quorum ego causam ago. Et in nomine quidem Nicostrati patriique si ambobus partibus convenisset, haud ita de re vos oportuisset disceptare

quidnam in testamento constituisset ille Nicostratus, cujus in nomine patrisque ambæ partes consentirent: jam vero qui licet eidem homini duos patres imputare? Id enim fecit Chariades, qui, hereditatem petens ejus Nicostrati qui filius Smicri fuit, adversus hos tamen deposito contendit sacramento, qui hereditatem petunt a Nicostrato Thrasymachi filio relictam; quasi Smicrus et Thrasymachus idem homo fuissent. Mera quidem hæc est vexa, merum ludibrium, quo nos bi exagitatum atque territatum eunt, freti factione, qua stipati incedunt, et a qua telis omnibus nequitiæ armantur, artibus iniquitatis omnibus exercentur. Existimant enim, causam si sinant simplicem manere nihilque turbelæ ei immisceant, difficile his [Hagnoni atque Hagnotheo] non futurum ut planum faciant a Nicostrato testamentum scriptum prorsus nullum esse relictum: sin autem patrem Nicostrati non eundem edentes hereditatem nihilominus petant, certi sunt fore ut verborum atque temporis plus conterant in docendo Nicostratum Thrasymachi filium fuisse, quam in altero evincendo, Nicostratum testamentum nullum scripsisse. Præterea quoque, si Nicostratum confiterentur Thrasymachi filium esse, non possunt hoc arguere neque docere consobrinos hos illius non esse: sin autem defuncto patrem affingerent commentitium, cernebant se controversiam injecturos esse non solum de testamento, sed etiam de consanguinitate.

3. Verumenimvero non ex his solummodo intelligatis subesse et in insidiis latitare certos quosdam alios homines, qui istos adversarios in hos [amicos meos] instigarint atque hos in hasce turbas contentionesque conjecerint, sed etiam ex illis quæ a principio statim [ut primum vacuefacta fuit hereditas] evenerunt. Ecquis enim non super excessu Nicostrati luctum præ se tulit tondenda coma, cum hereditas duum talentorum sexies in discrimen concertationis forensis venerit? ecquis non pullam induit, quasi per luctus significationem hereditatem adepturus? quot se mentiti sunt cognatos Nicostrati aut filios ab eo per testamentum adoptatos, eoque titulo bona ejus sibi arrogarunt? Demosthenes quidem se nepotem ejus ex fratre [vel sorore] ferebat, ab his autem mendacii convictus desistebat: bona sua omnia Nicostratum sibi donasse prætendebat aliquando Telephus, quanquam et ipse quoque paulo post conticescebat: Aristiades puerum triennem ad archontem asserebat, siens eum a Nicostrato generatum esse, cum Nicostratus totos undecim annos Athenis abfuisset: Pyrrhus Lamprensis Nicostratum aiebat bona sua Minervæ consecrasse, et eundem tamen eadem sibi quoque donasse: Otesias Besæensis et Crenaus jactabant Nicostratum a se in jus vocatum talenti multæ condemnatum fuisse, quod eum demonstrare nequirent, contumaciebantur eum libertum suum fuisse; verum ne hujus quidem asserti veritatem approbare rebus potuerunt.

Hi sunt qui ab initio hereditati Nicostrati inhiarunt. Chariclea enim tum quidem eam non petebat, postmodum vero coepit petere, neque solus ipse, sed etiam spurium suum e meretrice quæsitum subjectum ivit Nicostrato, hoc consilio, ut aut bona corriperet ipse aut saltim spurio suo jus civitatis acquireret. Sentiens autem suum de cognatione assertum mendacii convictum iri, petitionem pueri quidem rescidit, pro semetipso autem sacramentum deposuit, ut is cui per testamentum bona Nicostrati data fuissent.

4. Oportebat quidem, judices, quicunque substantiam quandam ex titulo donationis testamentariæ petens causa cecidisset, eum non ad mulctam pro rata condemnari, sed ad tantundem reipublicæ fisco luendum, quanti sit summa bonorum ab eo petitorum: quod si fieret, leges non ita contemnerentur, neque cognationes a tot impuris contaminarentur per petulantiam, neque futurus esset qui defunctorum nomine ad confirmanda et incrustanda sua mendacia abuti auderet. Quoniam vero per leges omnibus licet, etiam quicunque extra cognationem sunt, hereditates quorumcunque quo quisque titulo velit petere, vestrum est in hujusmodi causas quanta poteritis summa diligentia inquirere nullumque locum non excussum transmittere. Et in hoc solo genere causarum, hereditario puta, videntur ad fidem faciendam validiora etiam esse indicia quam ipsi testes. Nam in cæteris quidem contractibus haud admodum difficile est falsa testatos coarguere, superstite adhuc et in urbe præsente eo quem testati sint hoc vel illud egisse: in causa vero hereditaria ecqui falsi testes noscitabuntur, dummodo intertrimenta et differentiæ postulationum non nimis abnormes atque manifestæ sint? illo ipso de cujus dictis factisve testimonium perhibetur vivis exempto, cognatisque ea quæ ab illo gesta et constituta sint prorsus ignorantibus, denique ubi scrutinium ipsum diligentissima cum severitate exerceri nequeat; adde, quod testamenta condentium plerique ne ipsis quidem illis qui adsunt, quid in tabulis ab se scriptum atque constitutum sit, significant, sed ideo solummodo adstare jubent, quo conscii sint atque testentur testamentum esse scriptum atque relictum; etiam hoc usu quotidiano venire solet, ut tabulæ permutentur veræ subditiis, et ut in tabulas hasce subdititias ingerantur prorsus contraria iis quæ defunctus ipse veris in tabulis constituisset; nam qui testamenti scriptioni interfuerunt, non ideo magis quod interfuere certo sciunt, veræne sint hæ testamenti tabulæ quæ in judicio proferuntur an subdititicæ. Quod si itaque illi ipsi adeo decipi possunt, quos cum testamenta scriberentur interfuisse in confesso est, quanto quis vos promptius atque cupidius circumvenire conetur qui rerum gestarum nihil tenetis? Porro, judices, non omnia omnino testamenta lex jubet esse rata, sed ea solummodo quæ scribens quisque suæ mentis

esset compos. Ante omnia itaque dispiciendum vobis est, num [Nicostratus] testamentum scripserit, tum si scripserit, rectene sapiens scripserit an desipiens. Aientibus enim adversariis testamentum esse relictum, nobis contra negantibus, ecqui decernetis a delirante scriptum esse, priusquam certo constiterit de hoc quod testamentum scripserit? Videtis, quam difficile sit deprehendere, num vera dicant hi qui ex titulo donationis testamentariæ hereditates petunt: cognationis autem ex titulo petentes nil habent opus ut testes producant, ad docendum de jure, quod iis est, hereditates petendi — constat enim inter omnes defuncti cujusque bona ad proximos in sanguine devenire —, deinde non illæ solummodo leges quæ jura cognatorum definiunt, sed hæ quoque quæ de donationibus per testamenta faciendis præcipiunt, secundæ sunt cognatis, vetantes quenquam bona sua cuiquam dare, aut præ senio delirantem aut furiosum per valetudinem aliisque de causis quas vos omnes tenetis; cognatione autem ut quisque proximus est, ita defuncti bona adit et suscipit, quæcunque defuncti conditio, sive sana ei mens, sive ægra fuit. Præterea testamentis non potestis fidere, nisi per interventum testium, a quibus facile factu est ut decipiamini — nam si testes nulli fallaces essent ab iisque vos falli si negatum esset, eccur institutæ et in usu fori essent actiones exceptoriæ de falsis dictis testimoniis? —, cognatione autem fidere vobis licet per vosmet ipsos; cognati enim de hereditatibus ex illarum legum præscripto certant, quas ipsimet vos sanxistis. Etiam ad hoc vos mentem attendere velim, judices: adversarii, ex titulo testamentariæ donationis hereditatem Nicostrati petentes, si tam familiariter usi Nicostrato fuissent ut ea de re inter omnes constaret, non consequeretur quidem ex eo planissime Nicostratum illis bona sua legasse, foret tamen multo tum spes probabilior illos tabulis testamenti fidem oratione sua esse adstructuros; complures enim visi sunt, quod animo a cognatis essent alieniore, amicos iis prætulisse nulla secum necessitudine sanguinis conjunctos: jam vero constat hos adversarios nostros Nicostrato nullo plane pacto conciliatos fuisse; neque enim ei contubernales fuerunt neque familiares neque in eodem ordine aciei steterunt. Quibus de rebus omnibus testes ad vos produximus.

5. Quod autem hac in re palmarium est, et in primis impudentiæ Chariadis obloquitur, expendite. A quo Nicostrato Chariades heredem se fert testamento scriptum, cum Nicostratum idem Chariades neque defunctum extulit domo neque rogo imposuit neque ossa ejus legit, sed ista omnia justa aliis hominibus a Nicostrato alienissimis peragenda permisit: ecqui jam non sit ille dignus quem facinorosissimum atque sacrilegio contaminatissimum appelles, qui, cum justorum omnino nihil defuncto fecisset, postulare tamen non dubitet ut ad ejus hereditatem admittatur? At enim vero, quanquam

Chariades horum omnium nihil fecit, facultates Nicostrati tamen administravit? Atqui vel in hæc testes dedimus, et horum pleraque ne ipse quidem infitiatur: sed prætextus nescio quos, si dis placet, necessarios ipse sibi commentus profert, facto cuique suo excusando; ecquid enim reliquum quod obloquatur ei est, qui disertis verbis crimen fateatur?

6. Tenetis jam rem, judices, certique estis, istos Nicostrati bona non fiducia bonæ causæ neque jure certo fretos appetere, sed hoc agere ut cum vos decipiant, tum hos [quorum ego causam ago] qui Nicostrati cognati sunt, et quibus leges bona ejus contribuunt, illis evertant. Verum non Chariades solus id agit, sed alii quoque complures eorum qui extra ditionem Atticam defuncti sunt, qui illos ne natos quidem nossent, eorum inquam hereditates in jure petierunt; cogitant enim secum illi sic, sive cupitis ex animi sui sententia potiantur, se bona aliena [nullo suo sudore parta] esse habituros, sive a spe atque destinatione sua aberrent, leve tamen et exiguum discrimen adisse: esse quoque qui linguam venalem ad falsa testimonia dicendum paratam offerant; examina instituenda in rebus obscuris segreque explorabilibus versari. Brevis ut sim, permultum interest, sive ex cognationis necessitudine sive ex testamentariæ legationis prætensione hereditates petantur. Vos autem, judices, primum hoc oportet quærere, sitne probabile vobis testamentum a Nicostrato scriptum esse: æquum enim leges id censent esse, et est rerum omnium æquissimum. In ejusmodi autem causa, cujus neque vos veritatem perspicue cernatis, neque testes Nicostrato usi sint familiariter, sed Chariade utantur, homine cupido bonisque alienis insidiante, ecquid aliud æquo juri sit convenientius quam ut cognatis superstitibus bona cognati defuncti a vobis adjudicantur? Nam et his si fatalis hora fuisset obeunda, et Nicostratus si eos vivendo superasset, bona eorum ad hunc fuissent perventura: nam ex quo titulo consanguinitatis hi nunc bona Nicostrati petunt, ex eodem ille tunc, si fors vivendi vices permutasset, horum bona petisset, quippe qui consobrinus illis esset; pater enim Nicostrati horum patri frater fuit.

7. Atqui, medius fidius, Hagnon atque Hagnotheus cognati Nicostrati non sunt, ut adversarii aiunt sed alii. Cur ergo tam stulti cæcique sunt [testes] ut Chariadi quidem ex titulo testamentariæ donationis hereditatem petenti operam præstent testimonio dicendo, ipsi vero non audeant ex titulo consanguinitatis hereditatem eandem pro se petere [si certi sunt, veram hanc esse criminationem, proprioresque se Nicostrato confidunt esse, quam hi sunt adolescentes]? Non enim profecto eo stultitiæ processerunt ut, ex certa persuasione verum esse illud a se prolatum testimonium, tam facile atque tam sapide Chariadi de bonis Nicostrati omnibus decedant. Quid?

quod ex ipsis iis quæ hi adversarii nostri dicitant eluceascit, ipsimet multo magis expedire ut Nicostrati cognati hereditatem ejus in jure petant quam ut Chariades id faciat. Nam etiamsi hi [adolescentes mei] hereditatem ex titulo consanguinitatis a se petitam nunc abstulerint a judicibus sibi adjudicatam, licebit tamen his quoque [Chariadis advocatis et testibus] imposterum, ubi volent, eandem ex eodem cognationis titulo petere, atque planum judicibus tum facere se Nicostratum gradu consanguinitatis propiore adhuc contingere quam hi [adolescentes mei] eum contingant, et Nicostratum [illum, cujus de hereditate certetur] Smicri filium fuisse, non Thrasymachi: sin autem Chariades hereditatem Nicostrati adipiscatur, non licebit postmodum ulli ex ejus consanguineis illam in jure petere. Ubi enim hereditatem tenebit is, qui petitam ex titulo testamentariæ donationis a judicibus abstulerit adjudicatam, ecquid afferent hi, si qui ex titulo cognationis petant?

8. Quod igitur in re simili unusquisque vestrum ipsimet sibi jus æquum esse censuerit, idem his quoque adolescentibus ratum facite; qui testes exhibuerunt confirmantes, primum hoc, eos Nicostrati consobrinos patrueles esse, tum alterum istud, nullas unquam iis cum Nicostrato simultates intercessisse, tertium denique illud, sepultum ab iis esse Nicostratum, quartum tandem, Chariadem Nicostrato nusquam locorum neque hic in urbe neque in castris usum fuisse familiariter, quintum postremo, communionem qua Chariades hic maxime fidit mentitam esse.

9. Et præterea, judices, æquum est, vos partium inter se contendentium unamquamque seorsim spectare et eorum mores inter se comparare. Thrasippus enim, qui pater hujus Hagnonis et hujus Hagnothei fuit, olim cum superesset, et muniis functus est sumptuosis et ærario contulit, et cætera quoque civis frugi fuit: ipsi autem hi [filii ejus] neque usquam locorum, quo non essent a vobis ire jussi, profecti sunt, neque in urbe commorantes inutiles reip. fuerunt, sed militia funguntur et de suo conferunt ad ærarium, et reliqua omnia imperata exsequuntur et pudentes proboque se — de quo inter vos omnes constat — præbent, quocirca multo etiam digniores sint quam Chariades qui hereditatem Nicostrati ex titulo testamentariæ donationis petant. Nam videte quam scelerosus et impurus homo Chariades sit, qui Athenis adhuc habitans pro fure ipso in facinore deprehenso in carcerem abductus est, et tunc una cum aliis quibusdam emissus ab iis undecimviris, quos publice condemnatos supplicio affecistis omnes, tempore interjecto post iterum ut falsarium agens aut malas artes exercens ad senatum delatus est; a quo citatus non comparuit, sed judicii pœnæque severitatem devitans urbe excessit, ab eoque inde tempore totos septendecim annos Athenis abfuit, neque rediit prius quam post excessum Nico-

strati. Pro salute vestra quidem nullam unquam obiit militiam neque suo de penu vestro quicquam contulit, præter illud exiguum æs quod hac in causa super hereditate Nicostrati dependit, neque alia quapiam functione sumptuaria functus est. Et tamen, hujusmodi cum esset, non congratulatur sibi neque satis habet quod tot et tanta scelera impune patrarit, sed aliena quoque appetit? Quod si hi [Hagnon et Hagnotheus] curiosi et seduli in rebus alienis rimandis in eoque similes multis aliis nostrorum civium essent, nescio an Chariadi nunc non hæc hereditaria, sed capitis, causa agenda esset: verum enimvero hunc quidem alius aliquis ulciscetur, judices, vos autem his [adolescentibus] succurrite, neque majoris facite alienorum per nefas appetentes quam defuncti cognatos, eosdemque præterea quoque bene de illo merentes; sed et legum recordamini jurisque jurandi a vobis dicti, et testimoniorum denique quæ nos vobis exhibuimus, et sic sententiam ex æquo et vero pronuntiate.

ISÆI

DE DICÆOGENIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Dicæogene sine liberis mortuo, superstitibus quatuor sororibus, Proxenus venit testamentum exhibens, quo Dicæogenes mortuus ipsum Proxeni filium Dicæogenem adoptaverat ex triente bonorum. Hoc pacto divisis inter eos bonis, postremo venit filius Proxeni Dicæogenes dicens se adoptatum esse ex asse, et vincens potitus est cæteris duabus partibus sororum defuncti. Postea rursum filii sororum *litigantes* cum Dicæogene vicerunt, et conventum est Dicæogenem reddere denuo *illis* duas partes integras et intactas, sponsore Leochare. Nunc vero infitiantibus Dicæogene et Leochare anteacta, filii sororum vocant in jus pro duabus partibus, hunc quidem ut eum cum quo pacti sunt, illum vero ut sponsorem. Status conjecturalis est: infitiantur enim.

1. OPINABAMUR quidem, judices, quibus de rebus antehac litigabamur, de iis in judicio condicta et compromissa rata nobis et valida esse futura, ut nempe, qui Dicæogenes se bessem [seu duas tertias partes] hereditatis vacuefacturum nobisque concessurum dixisset, ejusque rei sponsores dedisset illam bessem nobis a se traditum iri controversiæ haud obnoxiam, is Dicæogenes etiam faceret ea quæ esset pollicitus facturum; qua fide etiam nos alteri alteris gravamina nostra mutua remisimus: verum Dicæogene verbis fidem non faciente, Leocharetem pro illo sponsorem factum in jus vocamus, pro tenore jurisjurandi ex adverso et mutuo dicti. Recita tu mihi formulam hujus jurisjurandi utrinque vicissim præstiti.

JUSJURANDUM MUTUUM.

Vera itaque esse ea quæ in formula nostri contrajuramenti affirmavimus, Cephisodotus hic novit, testesque ad vos producemus primum de hoc, quod Dicæogenes besse hereditatis se abdicarit eaque nobis decesserit, tum de isto, quod Leochares hujus rei sponsorem se scribi passus fuerit.

TESTIMONIUM.

Audivistis, judices, e testibus, quos verum dixisse ne ipse quidem Leochares videtur infitiaturus esse: at enimvero receptum forsitan

ad hanc habebit exquisitionem, ut aiat Dicæogenem omnibus nobiscum pactis et stipulatis satisfecisse, sponsionemque a se [Leochare] factam præstitam et persolutam esse. Quæ cum aiet, mentietur facileque falsi convincetur. Recitabit enim scriba vobis quæcunque Dicæogenes [ille vita defunctus, nominis hujus medius] Menexeni filius in hereditate reliquit, et quam supellectilem [seu instrumenta villatica hic tertius Dicæogenes sibi tradita in fidem] susceptt. Hæc si negabunt [adversarii] Dicæogenem avunculum nostrum dum adhuc superesset possedisse, nobisque vita decedentem per testamentum legasse, planum id atque testatum faciunto: sin autem et illum istæc quondam possedisse et nos tradita nobis a reo abstulisse ajent, prodito in conspectum testi hæc confirmaturus. Dicæogenes enim [tertius, seu reus] quod recepit tradendam a se nobis bonam bonorum a Dicæogene Menexeni filio quondam possessorum, et quod Leochares sponsorem se constitui passus sit de præstandis his a Dicæogene compromissis, id nos testibus producendis confirmavimus. Nam de his ipsis in jure contendimus, et hæc dicendo jurejurando nostro accepimus, ille se facturum, nos rata esse habituros iisque acquieturos. Recita tu illud jusjurandum.

JURAMENTUM MUTUUM.

2. Quod si jam, judices, hæc Dicæogenes atque Leochares in defensione sui sola essent tractaturi, sufficerant hactenus dicta nobis quoque neque verbum adderemus: quia vero parati sunt narrationem de hereditate a principio inde repetere, induxi ego quoque animum totam rem ut gesta est vos docere, quo certiores de rei gestæ veritate facti, non autem mendaciis circumventi, ex animi vestri sententia decernatis. Menexeno avo nostro nati sunt, filius quidem unus solummodo, Dicæogenes, filiæ autem quatuor, quarum unam domum duxit Polyaratus pater meus, aliam Demoeles Phrearrhius, aliam Ctesiphon Pæaniensis, aliam denique Theopompus qui eam matrem Cephisodoti fecit. Jam Dicæogenes quidem, cum e portu solvisset in Parhalo, cui cum imperio trierarchi præerat, pugnans apud Cnidum occubuit, nulla prole relicta: defuncto hoc Dicæogene, pater Dicæogenis [istius, cum quo controversiam hanc agitamus] Proxenus testamentum protulit, cui fidem habentes patres nostri hereditatem creverunt. Et sic factus est hic Dicæogenes illi Dicæogeni Menexeni filio, avunculo nostro, filius adoptivus ea lege ut sola triente [seu una tertia hereditatis parte] contentus esset; reliquorum autem partem ratam sibi a judicibus adjudicari curabat unaquæque Menexeni filiarum. Hæc ita ut aio acta falsos testes edicent, qui tum cum agerentur interfuere, quos ego testes coram vobis producam. Interposito itaque jurejurando cum convenisset non commissuros ut pacta conventa violarentur, possedit mens-

quisque portionem hereditatis suam duodecim per annos; et quanquam judicia interea temporis exercerentur neque forum clausum esset, nemo tamen fuit tam longinquo tempore, qui ausus esset affirmare per nefas ista acta fuisse: tandem vero rep. rebus adversis usa obortaque seditione et tumultu, concitatus hic [Dicæogenes] a Melane Ægyptio, cui aliis quoque in rebus obsecundavit, universam cœpit hereditatem petere, affirmans ab avunculo nostro se heredem ex asse scriptum esse. Furere nos quidem illum autumabamus, ejusmodi causam in forum deferentem; verumenimvero, tametsi nunquam eventurum speraveramus ut vera præ se ferre vobis videretur is qui idem modo cum triente modo ex asse adoptatum se ferret, tamen ingressi forum, cum et multo plura quam illi argumenta proferremus multisque modis æquiora, tamen injuriam accepimus, non a judicibus, sed a Melane Ægyptio ejusque amicis, qui per turbida ista reipublicæ tempora sibi datam existimabant licentiam aliena impune diripiendi falsisque dicendis testimoniis mutuo sese sublevandi: ab his itaque talium facinorum exercitatione nobilitatis decipiebantur, qui tum sedebant jus dicturi, judices. Et nos quidem a procella falsorum testium obruti nostra perdebamus; nam pater haud multo post litem ita disceptatam vivis excessit, priusquam actionem in falsos testes capessere posset: Dicæogenes autem causa factus superior eadem protinus die Cephisophontis Pæaniensis filiam ex illa portione quam sortita fuerat expulit, tametsi Dicæogenis defuncti, a quo controversa illa bona relicta fuerant, ex sorore neptis esset; Democlis item viduam iis spoliavit, quæ Dicæogenes quondam ipsius frater ei dederat; Cephisodoti quoque matrem ipsumque hunc Cephisodotum bonis omnibus denudavit; quippe qui horum [Cephisodoti puta, fratrumque ejus, et matris] idem tutor et curator atque adversarius esset. Verum ne minimo quidem sensu necessitudinis ad misericordiam his impertiendam flectebatur, sed committebat, ut ad orbitatem eorum ab amicis et protectoribus solitudo quoque accederet atque paupertas, adeo ut vel in diem necessariis ad victum cultumque rebus carerent. Tam præclare Dicæogenes hic tutelam eorum gessit, qui arctissima consanguinitate junctus ipsis esset. Theopompus pater quæ his reliquerat, ea Dicæogenes hic inimicis eorum prodidit, et quæ avunculus avusque maternus ipsis legaverant, ea ipse illis per nefas, etiam nondum jure sibi addicta, eripuit. Quod dictu factuque est indignissimum, pueri adhuc cum hi essent, emebat domum ab eorum patre relictam, hortumque illi domui adjunctam cum destruxisset, illam domum cum domo quæ ipsi [Dicæogeni] in urbe est copulavit, interponendis structuris, ut illæ quondam duæ domus jam pro una haberi possint; et quanquam e Dicæogenis bonis, avunculi nostri, locar annuum octogenas minas redigat, tamen Cephisodotum

Dicæogenis [medii] e sorore nepotem Harmodio fratri suo Corinthum proficiscenti pro famulo addidit: tam immanis istius contumelia fuit et flagitium. Et reliquis, quibus eum ipse demersit, malis hunc veluti cumulum addit, quod ei per probrum objectet quod ocreas atque penulam gestet, quasi injuria aliqua affectus, si ocreas Cephisodotus gestat, sed nullam e contra ei injuriam faciens eo quod bonis omnibus eum privarit eoque ad mendicitatem redegerit.

3. Verum hæc hactenus: illuc redeo, unde excesseram. Menexenus itaque Cephisophontis filius, Cephisodoti hujus itemque meus consobrinus, cui portio hereditatis par meæ competit, actionem adversus eos instituit qui nobisque ipsique [Menexeno] adversa et noxia testati fuerant, Lycoenemque, quem primum in judicium induxerat, reum peregit; qui Lyco testatus fuerat ab avunculo nostro Dicæogenem hunc, qui adhuc superest, ea lege fuisse adoptatum ut bonorum suorum ex asse heres esset. Hæc ille Lyco testatus falsi dicti testimonii convictus est. Dicæogenes itaque eo redactus, ut jam non amplius vos decipere posset, quid egit? persuasit Menexeno nostramque suamque causam communem agenti (pudet enimvero prodere, quæ propter illius [Dicæogenis puta atque Menexeni] improbitatem proloqui cogor), quidnam facere? ratam hereditatis portionem sibi contingentem a se auferre, gratiæque in mercedem nos quorum causam ageret sibi prodere, reliquosque falsos testes in forum nondum ab ipso pertractos missos facere, venia persecutionis forensis ipsis concessa. Hæc nos ab amicis pariter inimicisque tolerantes tamen quievimus; et producam ad vos testes nobis hujus rei futuros.

TESTES.

Verum pactus istæc cum Dicæogene Menexenus ab isto delusus fuit, id quod ei recte sic merito contigit: falsorum enim testium a persecutione cum destitisset Menexenus atque nos prodidisset, fraudatus est iis emolumentis quorum spe illectus illam perfidiam ad se admiserat. Injuriam hanc a Dicæogene passus Menexenus rursus ad nostras partes rediit. Et nos arbitrati Dicæogeni jam nullam amplius hereditatis portionem competere, postquam testes ab eo subornati falsi dicti testimonii coarguti essent, de integro cum eo de universa hereditate ex titulo propioris consanguinitatis contendimus. Qua in re nos rectum cepisse consilium, et Dicæogenem omni prorsus jure habendæ tenendæ hereditatis excidisse, facili negotio videor mihi demonstraturus esse. Binæ enim, diversi tenoris, tabulæ ejusdem testamenti prolatæ fuerant, alteræ quidem dudum ante, alteræ autem multo post: et primæ quidem illæ vetustiores, a Proxeno hujus Dicæogenis patre prolatæ, Dicæogenem hunc avunculi nostri filium adoptivum ea lege faciebant, ut is trientem solummodo hereditatis

haberet; posteriores autem ab ipso Dicæogene prolatæ hunc ipsum heredem ex asse declarabant. Harum binarum tabularum alteras quidem, illas a Proxeno proditas, Dicæogenes ipse judicibus auctor fuit atque persuasit ut crederent aienti commentitias esse; quas autem ipse Dicæogenes protulit, eas qui testes affirmaverant ab ipso avunculo nostro scriptas atque relictas esse, hi testes falsi dicti testimonii convicti sunt. Ambabus itaque illis testamenti tabulis pariter debilitatis atque abrogatis, alioque nullo præter has extare cum in confesso sit, liquet jam neminem esse cui hereditas ex titulo testamentariæ legationis competat, ex titulo consanguinitatis autem solis eam competere sororibus Dicæogenis defuncti, a quo hereditas istæc relicta est, quarum e numero nostræ sunt matres. Quocirca visum nobis fuit in jure petere hereditatem ex titulo propinquitatis, et sic petivimus portionem unusquisque sibi natam. Verum in eo jam cum essemus ut formulis juriisjurandi mutui a judicibus adigeremus [nos actores hinc, et illinc reus, de veritate eorum tuenda et præstanda, quæ pars quæque pro se esset dictura], intercessit Leocharas hic, obnuntians hereditatem hanc controversiæ haud esse obnoxiam. Quem testem cum rejiceremus, exceptione usi falsi dicti testimonii, petitio quidem hereditatis antiquabatur, contra vero actio de falsitate dicti testamenti inducebatur. Ibi cum nos omnia dixissemus eadem atque nunc dicimus, itemque Leocharas sui purgandi causa multa protulisset, pronunciarunt tandem judices Leocharetem falsa testatum esse. Quod cum palam esset factum e suffragiis, cum illa suffragia e cistulis essent exempta, quæ quidem Leocharas judicesque ipsosque nosmet rogaverit et quæ a nobis tum impetrare rogando atque perficere potuerit, nescio an minus necesse sit a me copiosius enarrari: satis est ea vos audire, de quibus inter nos convenit. Nobis enim concedentibus archonti ut suffragia non dinumerata confunderet, abolebat ipse sese Dicæogenes de bonis hereditatis eamque sororibus Dicæogenis defuncti permittebat, promittens sese portiones illas nostrum unicuique debitas sine ulla controversia nobis esse traditurum; eaque de re Leocharas ut sponsor fidem suam interponebat, aiens Dicæogenem esse quæ promisisset facturum; neque Leocharas solummodo spondebat, verum etiam Mnesiptolemus Plotensis. Quarum rerum vobis hos edam testes.

TESTES.

4. Nobis itaque, ut a Leocharete tam indigne passis, cum liceret eum infamia notare ut falsi dicti testimonii convictum, noluimus tamen, sed satis habuimus, ubi nostra nobis debita abstulissemus, quiescere atque a contentionibus desistere. Verumenimvero, quamquam tam benignos mitesque nos erga Leocharetem atque Dicæo-

genam gessissemus, tamen ab ipsis lusi fuimus, o judices: nam neque Dicæogenes, quam hereditatis bessem nobis a se tradendam coram judicibus recepisset, eam nobis tradidit, et Leochares senegat tam temporis pro Dicæogene sponsorem esse factum. Atqui, factum qui infitiatur id, cujus testes fuerunt judices, numero quingenti, et reliqua tam densa corona civium judicium tum actum circumstantium, quid ille vobis facturus videtur, si pauciores minorisque auctoritatis testes habuisset? Manifesto itaque illos mentiri constabit vobis e testibus quos exhibuimus, qui testes coram aderant, quo tempore Dicæogenes quidem besse hereditatis se abdicabat eamque sororibus Dicæogenis defuncti sine ulla controversia a se tradendam recipiebat, Leochares autem sponsor fiebat, quæ Dicæogenes verbis recepisset, ea reapse quoque esse præstiturum. Sed et vos, o viri, rogamus, quotquot rei tum gestæ interfuistis, ut num vera dicamus a memoria vestra requirere nobisque succurrere velitis; nam si vera dicit Dicæogenes, quid nobis prodest causa vicisse? qui meliore ideo loco sumus quam fuimus ante victoriam? aut quænam in re conditione ille nunc est deteriore, postquam causa cecidit, quam fuit antequam condemnaretur? Annon eadem bona adhuc possidet, quæ pridem possedit, nil imminuta? Nam si verbotenus tantum, id quod sit, besse destitit, neutiquam autem promisit eam traditurum nulli controversiæ obnoxiam, eoquod tandem detrimentum accepit ab illa sua cessione bonorum? Habet enim adhuc tenetque valorem eorum. Ipsa enim bona ne habuit quidem antequam causa caderet, sed habent illa hi, qui ab illo cum emissent aut pignoris loco accepissent, pecunia parata compensarunt; quam pecuniam debebat Dicæogenes ipsis reluere, et sic nostrum cuique ratam suam portionem ex debito restituere. Ideo enim sponsores ab eo postulavimus et datos accepimus, non fidentes illum absque illa cautione promissis suis ultro re ipsa fidem esse facturum. Nam præter par denuncularum extra mœnia et sexaginta jugera in Pedio nil retulimus, sed illi reliqua habent, qui aut emerunt ab eo aut oppignerata sibi habent: quos inde non dedaximus, ne, id si fecerimus, in judicio condemnati mulctas debeamus. Nam Mecionem quoque quod balneo deduxissemus, id quod jussu Dicæogenis fecerumus, negatis se emptionis vindicias præstiturum, quadraginta minis condemnati sumus, fraude Dicæogenis decepti. Existimantes enim Dicæogenem haud esse commissurum ut, quibus ipse sese bonis in judicio abdicasset et quæ nobis concessisset, eorum emptionem ut legitime factam et adhuc validam præstaret, adversus Mecionem coram judicibus affirmabamus, paratos nos esse nihil non pati nullamque pœnam detrectare, si Dicæogenes auderet ipsi [Mecioni] balnei emptionem ut rite legitimeque factam et adhuc validam præstare; opinabamur enim illum sponsiones suas nunquam factis esse

refutaturum, idque futurum confidebamus nullam aliam ob causam quam ob sponsorum auctoritatem, qui fidem suam hac de re interposuerant. Verumenimvero, quamvis, Dicæogenes illis ipsis portionibus hereditatis decessisset, quibus se nunc fatetur nostri causa decessisse, Mecioni tamen balneum confirmavit [h. e. affirmavit, Mecionem illud a se, ut a legitimo ejus domino et venditore, cui nemo facultatem sua pro lubitu vendendi eripere possit, legitime emisse, ideoque Mecionem illud balneum optimo titulo tenere, ex eoque, ut e peculio suo recte et honeste parto, deduci nullo modo posse]. Sic ego miser non modo nullum hujus hereditatis fructum percepi, sed præterea quoque propter eam quadraginta minis mulctatus fui, et discessi contumelia a Dicæogene affectus. Etiam hujus rei testes vobis præstabo.

TESTES.

5. Hæc nos, o judices, a Dicæogene passi sumus: Leochares autem, a quo hæc omnia profecta et nobis conflata sunt, cum pro illo spopondisset, negat se ea spopondisse quæ tamen ab eo sponsa esse testes nostri edicunt, hoc fretus argumento, quod horum nulla mentio fiat in tabulis coram judicio conditis. Nos autem, o judices, tunc temporis in tribunali festinantes, alia in tabulas referri et diserte verbis exprimi curavimus, alia solummodo antestati sumus [h. e. operam dedimus, ut testes nobis essent, qui reciperent iis de rebus se requisitos esse testaturos]: hi autem [Dicæogenes puta et Leochares cum factione sua] eas solummodo servant conditiones quæ e re ipsorum sunt, easque ratas aiunt esse, etiamsi in tabulis scriptæ et verbatim expressæ non sint; quæ autem ipsis minus conducunt, eas, scriptæ si minus fuerint, ratas esse negant. Ego vero, judices, nil miror eos pacta infitiari verbis solummodo inita: nam ne scripta quidem servare et exsequi volunt. Vera autem ea esse quæ nos aimus, aliud adhuc argumentum proferam, unde cernatis. Protarchidi Potamio Dicæogenes in matrimonium collocavit sororem suam cum dote quadraginta minarum, et loco dotis domum ei tradidit in Ceramico sitam. Huic mulieri, quam Protarchides adhuc in matrimonio habet, æqualis portio hereditatis competebat atque matri meæ. Quum igitur Dicæogenes mulieribus de hac hereditatis concessisset, rogabat Leochares Protarchidem ut sibi traderet domum elocatitiam [seu elocationibus habitaculorum mercedes annuas merentem] quam pro dote Protarchides habebat; a se enim [Leocharete] ut sponsore ipsum [Protarchidem] partem hereditatis uxori ejus debitam ablaturum esse. Nactus his orationis præstigiis Leochares illam domum elocatitiam, hereditatis portionem Protarchidi non tradidit, eaque de re testem Protarchidem vobis exhibebo.

TESTIS.

6. De reparatione balnei autem ejusque instrumento a se suppleto et ædificationibus si nunc quoque proferet eadem quæ jamdudum prætendit, nos nimirum, quos ei sumptus factos refundendos recepissemus, eos non refudisse, et propterea se non potuisse creditoribus satisfacere, ideoque nobis quoque ea non potuisse tradere quæ deberet; occurram ei sic. Quo tempore, judices, coram judicio tum super hac re habito eum cogebamus his de bonis [quæ nobis debet et quorum usucapione nos arcet] decedere, in compensationem sumptuum ab ipso tam in munera publica horum bonorum nomine quam in ædificationes factorum permisimus illi horum bonorum usum fructum [illo duodecennio perceptum, quo illa tenuisset], ita fieri debere censentibus judicibus iis qui tum sedebant: tempore autem post dedimus ei non coacti, sed sponte nostra, veluti præcipuum aliquod a reliqua massa separatum, domum in urbe, quam haberet adhuc præter trientem hereditatis in compensationem reparaturarum quas ait a se factas, quamque Dicæogenes Philonico quinquaginta minis vendidit. Dedimus autem nos illam domum Dicæogeni, judices, non ob illius probitatem atque comitatem, sed quo testatum faceremus divitias a nobis pluris non fieri quam necessarios, sint licet quam nequissimi. Nam antea quoque, quum penes nos esset Dicæogenem ulcisci et fortunis denudare omnibus, tamen noluimus bonorum ejus ullam in partem invadere, sed satis habuimus nos nostra recuperare. Ille contra superior factus spoliavit nos, et quæcunque potuit nobis eripuit, et pessumdare nos laborat non ut cognatos sed ut inimicos homines. Proferemus adhuc aliud ingens et evidens documentum et morum nostrorum et scelerositatis qua Dicæogenes hic obsessus tenetur. In eo cum esset actio adversus Leocharetem ut in tribunal inferretur, mense Mœnacterione, judices, conveniebant nos Leochares atque Dicæogenes, rogantes ut, prosecutione litis forensi aliud in tempus rejecta, viam compositionis per arbitros prius experiremur. Quibus nos, quasi minuta quapiam in re læsi, assensi quatuor arbitris litem permisimus disceptandam, quorum binos alteros nos adducebamus, alteros illi. Coram his promisimus, nos ab eorum arbitratu non discessuros, sed ei acquieturos esse, atque compromissum hoc jurejurando sanximus. Et arbitri præ se ferebant, si fieri posset ut bonam in gratiam nos reconciliarent litemque nostram blandis et commodis verbis expedirent, se facturos injuratos, sin autem minus, etiam se ipsos jusjurandum dicere haud esse recusaturos, eoque dicto sic demum declaraturos quæ sibi nostra in causa justa et æqua esse viderentur. Hoc pacto cum nos iterum iterumque interrogando seorsimque et copulatim percontati essent rerumque gestarum ordinem intellexissent, arbitrorum alteri quidem, illi duo quos ego mihi delegeram atque tuleram, Diotimus et Melanopus, parati erant sententiam

pronuntiare sive jurati sive non jurati, prout placeret nobis, quatenus e dictis et auditis colligere potuissent verissima atque æquissima esse; quos autem Leocharæs arbitros tulerat, hi nolebant injurati pronuntiare. Tametsi alter eorum Diopithes Leocharetis affinis erat [sororem ipsius in matrimonio penes se habens, seu data sua Leochareti sorore in matrimonium], mihi vero inimicus atque adversarius in negotiis quibusdam forensibus; alter autem Demaratus frater illius erat Mnesiptolemi, qui una cum Leocharete pro Dicæogene spopondit. Hi ergo duo pronuntiare recusabant, tametsi nos jurejurando adegissent, nos a sententia ab ipsis pronuntianda haud esse discessuros. Testes hujus rei vobis exhibebo.

TESTES.

7. Nonne igitur res gravis atque indigna foret, si Leocharæs vos rogaret, judices, ut se absolveretis eadem in ipsa causa, in qua Diopithes affinis ejus qui esset ipsum condemnavit? et qui deceret vos Leocharetem ab illa culpa liberare, a qua ne necessarii quidem liberarunt? Quare vos rogo Leocharetem condemnetis, ut quæ nobis majores reliquerunt recipiamus, et non solum illorum nomina sed etiam possessiones habeamus, ex privato vero Leocharetis nihil conferri cupimus. Indignus enim est Dicæogenes vestra commiseratione atque contentione bene de eo merendi; neque enim pauper et in re curta est, neque de rep. præclare meritus: quod utrumque docebo, judices, planum facturus eundem et locupletissimum et nequissimum hominem esse, pessimeque de rep., de necessariis, de amicis denique, meritum. Hic Dicæogenes cum a nobis traditam sibi accepisset in potestatem hanc hereditatem, octogenas minas annuorum vectigalium ferentem, ejusque fructus toto decennio percepisset, tum negat sibi pecuniam esse, tum tamen non habet docere quo illam tantam, o judices, vectigalium summam insumpserit. Vos ipsi, fas enim est, existimate. Is Dionysiis choregatum tribus æneæ fingens quatuor habuit collegas, tragœdiæque atque pyrrhichiæ palmas retulit postremas: hæc sola sunt munera quæ edidit coactus, et tam præclare, e re tam fructuosa tam ampla vectigalia ferente. Sed et trierarchi tot numero cum constituantur quotannis, Dicæogenes neque ipse trierarchatum gessit neque alteri cuipiam gerenti de penu suo contulit ad sumptus illius muneris allevandos, præsertim ejusmodi in reip. temporibus: sed alii quidem, quibus vel tenuior etiam res familiaris est, quam huic sunt reditus annui, tamen trierarchatus gerunt; hic autem nullum unquam gessit, tametsi splendidas illas facultates non pater ei reliquit (nam is quidem ei rem reliquit admodum mediocrem), sed vos suffragio vestro contribuistis et condonastis; quapropter, etiamsi civis non esset, tamen eum deceret liberalitate sumptuum in remp. faciendorum voluntatem vestram demereri. Porro tot contributiones cum factæ sint a

civibus ad bellum sustinendum patriæque salutem tuendam, hic unus Dicæogenes ne semel quidem quicquam contulit; nisi quod, cum Lechæum caperetur, provocatus ab aliis pollicitus est in concione audientibus omnibus se trecentas drachmas, minus adeo quam Cleonymus Cretensis dedit, esse daturum: et hoc ipsum tamen donum, quod pollicitus est, gratuitum, non præstitit, sed turpissima de causa pependit ejus nomen apud Eponymos in tabula publica proscriptum, ut impostoris et vani hominis, qui, quam largitionem ad salutem patriæ tuendam sponte sua pollicitus fuisset, eam ne ipsa non præstitisset. Qui jam mirandum sit, me qui unus sim ab hoc Dicæogene deceptum esse, qui pari modo vos quoque cunctos in concionem congressos deceperit? Etiam hujus rei testes præstabo.

TESTES.

8. In remp. ergo Dicæogenes hoc pacto et tam magnifice et re tam lauta erogavit: erga necessarios autem eum se gerit quem videtis; nam alios nostrum fortunis exuebat, copiis et gratia præpollens, alios æquo animo ferebat ob penuriam victus quotidiani peregre proficisci ad capessendum militiam mercenariam. Viderunt omnes matrem ejus in fano Ilithyiæ sedentem, cum hunc filium suum infandi sceleris in se commissi incusaret, quod scelus vel ore proferre verecundor, quanquam illum quidem tantum scelus committere nil puduit. Melane Ægyptio cum esset a puero familiariter usus, habet nunc eundem Melanem sibi inimicissimum, ideo quod pecuniam ab illo mutuo sumptam non reddit: reliquorum, si qui cum eo consuevissent, alii non recuperarunt nummos ipsi mutuo datos, alii decepti sunt ab eo non præstante ea quæ se daturum promisisset, si quiescentibus ipsis hereditatem in jure petitam adipisceretur. Nostri autem majores, o judices, qui bona istæc nunc controversa reliquerunt sudore suo parta, nullis non choregatibus defuncti sunt, pecuniasque quamplurimas ad onera belli perferenda contulerunt, neque tempus ullum vacavit ipsorum trierarchatibus. Quorum documenta sunt donaria ab illis in fanis deorum, ex eo quod ipsis de necessariis impensis redundaret dedicata, quo monumenta sup virtutis essent; tripodes, alii in templo Bacchi consecrati, quos tripodas, choregi cum essent, præmia et monumenta victoriæ, abstulerant, alii in templo Pythii Apollinis Delphis consecrati: præterea quoque in arce [Athenis] primitias fortunarum consecrarunt, fanum quod ibi est Minervæ simulacris æneisque saxeisque numero multis, ut e re familiari privata, exornarunt. Ipsi autem pro patria micantes occubuerunt, Dicæogenes quidem Menexeni, avi mei pater, strategi cum dignitate apud Eleusinem, Menexenus autem filius ejus phylarchi partes gerens [h. e. magistri alæ equestris] apud Spartolum in terra Odrysarum, Dicæogenes autem hujus Menexeni filius

occubuit in pugna apud Cnidum, trierarchatu fungens navis Parhali. Hanc tu domum, Dicæogene, cum suscepisses in manus tibi traditam optime constitutam, pessime summo cum dedecore pessumdedisti et lacerasti, alia ejus aliis vendendo fundosque nummis commutando: et nihilominus tamen paupertatem quereris! qui? quo impendisti illam tantam pecuniam e vectigalibus bonorum et e venditione eorum redactam? In remp. quidem, de quo certo constat, nil impendisti neque in amicos. At ne in equis quidem alendis prodegisti rem, qui nunquam in potestate habueris equum plus tribus minis vænientem; neque etiam in bigas mulares profudisti, quas nunquam possedisti, tam amplos fundos et tam instructos habens. At ne ex hostibus quidem captivum civem ullum redemisti. Ne ipsa quidem illa donaria in urbem intulisti dedicanda, quæ Menexenus quum tribus talentis facienda locasset, vita excessit priusquam dedicaret, sed voluntantur adhuc in officina lapicidæ; et tu quidem dignum te censuisti possidere te bona ad te nullo jure pertinentia, diis autem oblivisceris donaria reddere, iis destinata et ex voto debita. Ecquid igitur est id ob quod tu, Dicæogene, postules, judices te absolvere? Num quod multa munera civitati ediderit, luculentoque magni æris impendio eam spectabilem reddideris? an quod classicam militiam fungens cum potestate trierarchi clades hostibus acerbas intuleris? an quod egenti patriæ multas magnasque largitiones conferendo belli onus relevaveris et amplissima pepereris emolumenta? Atqui horum omnium fecisti nihil. Verumtamen miles bonus et fortis es? Atqui nunquam in castra isti, toto hoc tenente bello quod tam atrox et tam diuturnum fuit; quod bellum ipsi Olynthii et insularum incolæ nobiscum participare non recusarunt, sed pro nobis dimicantes mortem oppetunt, tu vero, Dicæogene, cum civis esses, arma pro patria gerere ausus non es. At fortassean ob majores postulabis mihi præhaberi? quod ab iis prognatus sis, qui tyrannos [Pisistratidas] sustulerunt? Ege vero, cum illos laudo: tum te nego in communionem laudis illis debitæ venire: qui primum quidem, omisso studio gloriam eorum æmulandi tuisque factis exæquandi, latro factus sis bonorum nostrorum, maluerisque Dicæogenis filius appellari quam Harmodii, et jus epulandi in Prytaneo [omnibus commune ab Harmodio oriundis, manentibus in gente sua, neque alienas in domos per adoptationem transmigrantibus] spreveris, et reliqua quoque jura posterorum Harmodii, ut præsidatus et immunitates, contempseris. Quanquam, etiamsi in gente tua mansisses, non hoc melior fuisses futurus: neque enim ab iis quas tu exerces artibus nobilitati neque ob genus suum tantis honoribus affecti sunt Harmodius atque Aristogiton, sed ob fortem animum, dextræ strenua facinora, morum honestatem, quibus decoribus tu cares, Dicæogene.

ISÆI

DE PHILOCTEMONIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Euctemonis filius Philoctemon filium alterius sororis et Phanostrati Chærestratum adoptans, testamento inquam deposito cum Chærea alterius sororis viro, vivo adhuc patre mortuus est: postea vero et illo mortuo Chærestratus lege hereditatem consecutus est. Androcle vero testante non ad illum jure hereditatem spectare cum Euctemoni superstes esset filius legitimus Antidorus, contra Chærestratus accusavit testem falsi, et dixit et hunc et fratrem ejus esse nothos, legeque sancitum esse utriusque sexus nothis consanguinitatem non esse. Causæ status est conjecturalis: incertum enim an Philoctemon Chærestratum adoptavit, et rursum incertum an Antidorus legitimus sit.

1. FAMILIARITATEM mihi summam cum Phanostrato atque Chærestrato hocce esse, judices, plerosque vestrum nosse autumo. Ignorantibus autem sufficiens dicam documentum: Chærestrato enim in Siciliam proficiscente cum classe in qua trierarchum agebat, ego prævidens pericula ibi imminentia, quippe qui jam antea eadem expeditione defunctus essem, tamen rogantibus his navigationis comes calamitatumque consors fui, una cum illis captus ab hostibus. Quocirca futurum sit inconsentaneum me, qui horum in gratiam illa discrimina obissem tam perspicua atque inevitabilia quod iis familiariter uterer amicosque atque studiosos mei ducerem esse, nunc recusare pro iis causam dicere eaque proferre, ad quæ si attendatis animum, sperandum sit fore, ut et vos sententiam feratis cum religione jurisjurandi a vobis dicti consentientem et hi jure suo potiantur. Quapropter vos rogo, ut veniam mihi dicturo detis atque secundis auribus me audiatis verba facientem: certamen enim illis hoc est haud leve, sed summa eorum res agitur.

2. Philoctemon enim Cephisiensis, hoc Chærestrato familiariter utens, bona ei sua legabat omnia, eundemque pro filio adoptabat, eoque facto diem supremum obibat. Chærestrato itaque hereditatem ex formula juris petente, quoniam Atheniensium cuique licet de vacuefacta quacunque hereditate certare, qui quidem non per ambages exceptionum sed directa juris via incedat [h. e. propterea hereditatem sibi petat adjudicari, quoniam alii nemini majori et evidentiori jure competat, quam sibi], quo facto si petens visus fuerit jure omnium certissimo atque præpollentissimo niti, hereditas ei habenda atque tenenda adjudicatur; intercessit Androcles hic

atque testimonium interposuit quo hereditatem hanc controversiæ obnoxiam esse negabat, quo effecit ut et hic Chærestratus petitione hereditatis excluderetur et vobis eriperetur jus atque facultas heredem Philoctemonis ex sententia vestra constituendi; sperat nempe se effecturum unius judicii suffragiis aniusque certaminis nequitia ut Philoctemoni fratres adjungantur et obtrudantur homines ab eo prorsus alienissimi, et ut ipse hereditatem contra jus et fas habeat teneatque, tametsi de ea cum nemine in jure contendisset neque adjudicatam sibi abstulisset, item ut Philoctemonis sorore potiatur, denique ut Philoctemonis testamentum irritum reddat. Multa vero cum sint et nefanda omnia quæ Androcles in obnuntiatione sua pro testimonio confirmavit, primum hoc demonstratum dabo, Philoctemonem utique testamentum scripsisse in eoque Chærestratum hunc sibi pro filio adoptasse. Philoctemoni nempe neque uxor pariebat, et bellum tum sæviens perpetua capitis pericula objiciebat alias equestri alias navali militia fungenti; trierarchatum enim sæpenumero gessit: quibus de causis visum ei fuit de bonis suis per testamentum præcipere, ne, humani quid passus, desertam domum reliquueret. Fuerat ei quidem par fratrum, nec non par sororum: verum fratres ambo ante eum sine prole decesserant; sororum autem altera Chæreæ nupta prole mascula carebat, tametsi diu penes Chæream fuisset, altera Phanostrato duo mares peperit. Horum natu majorem Chærestratum hunc Philoctemon sibi filium adoptavit; et in testamento hanc scripsit clausulam, nisi uxor ei sibi filium adhuc pareret, velle se ut hic Chærestratus sibi hæres esset. Testamentum hoc penes Chæream, alterius sororis charitam, deposuit. Quod testamentum tum vobis recitatum fuerit, tum testes qui scribendo interfuere testabuntur. Recita.

TESTAMENTUM.

Audistis ergo, judices, Philoctemonem de bonis suis per testamentum constituisse, et quibus conditionibus Chærestratum sibi filium adoptarit: Philoctemoni autem sic agere licuisse docebit hæc lex, quam ego affero, et hic vobis audientibus recitabit; æqua enim et justa hæc esse ex ipsa lege facillime intelligi arbitror.

LEX.

Hæc lex communis omnibus fixa est, judices, præcipiens, nemini non licere de bonis suis constituere, prole mascula carenti, nisi si forte furiosus sit aut præ senio deliret aut per aliam quampiam causam hac in lege indicatam mentis parum sit compos. Quorum omnium vitiorum nulli Philoctemonem fuisse obnoxium, id vero paucis verbis demonstratum dare potero. Civem enim qui ea et quoad vixit gesserit eum, ut penes vos in honore atque dignitate

esset, ideoque dignus a vobis habitus fuerit cui honores mandaretis; et qui pugnans pro patria occubuerit, eoquis si negabit mentem constitisse?

3. Mentis ergo qui compos esset, ei licuisse testamentum scribere, in eoque filium quem vellet adoptare, planum vobis factum est; unde constat, hactenus certe Androclem in ista obnuntiatione falsa testatum esse: verum hoc quoque falsi arguam, quod addit idem Euctemonis genuinum esse filium hunc [qui sibi nomen idem arrogat]. Euctemoni enim, patri Philoctemonis, præter Philoctemonem et Ergamenem et Hegemonem duasque filias, legitima ex uxore susceptos, filia Mixiadis Cephisiensis, alios nullos fuisse liberos, norunt cognati omnes omnesque phratores et demotarum plerique, iidemque vobis id testimoniis suis confirmabunt: aliam autem illi fuisse uxorem, unde hosce [quos Androcles subjectum it] susceperit, nemo est qui aut norit aut fando unquam inaudierit Euctemone adhuc superstite. Atqui testes hi sunt, quos consentaneum sit omnium esse fidissimos: cognatos enim hujusmodi res omnium optime atque certissime tenere par est. Hos tu mihi primo loco cita, et horum testimonia recita.

TESTIMONIA.

4. Verum ipsos quoque vobis præstabo adversarios hæc eadem testimonio suo comprobantes. Nam in examine ambarum partium earum archonte habito, cum hi sacramentum deposuissent super his tanquam genuinis Euctemonis filiis [qui sunt subdititii], et nos interrogassemus eos quænam esset horum mater et cujus filia, docere non poterant, tametsi et contestatione nostra urgerentur, et archon ipsis iterum iterumque injungeret ad interrogata ut responderent prout lex fieri juberet. Atqui, quomodo, judices, legi haud repugnet, si, qui pro aliis veluti pro liberis genuinis in jure contendat, et interponenda obnuntiatione de horum liberorum jure propiore alios, legitimi qui sint heredes, a petenda hereditate exclusum eat, is idem tamen neque quæ his insititiis mater fuerit docere habeat, neque ullum cum ea cognatum edere. Sed tum temporis quidem prætexebant horum liberorum matrem mulierem nescio quam Lemniam esse, eoque facto cursui processus forensis remoram aliquam injiciebant: postmodum autem ad examen [vel confrontationem partium ambarum litigantium] cum convenissent, vel prius etiam quam ab homine quoquam interrogarentur, statim aiebant, Callippen eorum matrem esse, Pistoxeni filiam, id solum existimantes sufficere, nomen unum aliquod a se confictum edi nescio cujus Pistoxeni. Qui cujus fuisset quærentibus nobis et num in vivis adhuc superesset, in Sicilia eum aiebant occubuisse in castris, relicta hac unica filia apud Euctemonem ejus tutorem, et ex ea illi hosce duos pueros

natos fuisse. Facinus omnium longe impudentissimum. Merum enim hoc esse mendacium planum faciemus, primum ex ipsis horum responsionibus in illo scrutinio editis. Nam ex illa inde militia, cujus causa Pistoxenus fertur in Siciliam cum classe abisse, hoc est, ab Arimnesto archonte inde ad hoc diei duo et quinquaginta anni effluxere; neque natu maximus horum juvenum, quos ab Euctemone ex illa Callippe procreatos perhibent, ætatis annum vigesimum adhucdum excessit. Detractis igitur his viginti annis ab illius Siculæ expeditionis tempestate, remanent plus quam triginta anni: atqui Callippen, ætatis annum trigesimum dudum egressam, adhuc penes Euctemonem in ejus tutela fuisse pupillam, nondum elocatam nondumque matrem legitime factam, credibile non est, sed credibile potius hoc est, eam in manu tutelaque mariti jam dudum ante fuisse, cuicunque fuerit sive a necessariorum quopiam sive ab ipso tutore in manus data atque matrimonio collocata, sive denique a judicibus velut heres a patre relicta nescio cui adjudicata. Præterea Callippen hanc necesse est ut Euctemonis necessarii famulique norint, si ea quidem in tutela domoque Euctemonis versata, et tam diu quidem, triginta per annos, aut unquam materfamilias ei fuerit. Non enim sufficit ejusmodi nomina solummodo in confrontationibus jactari, sed etiam rebus ipsis eorum veritas patefacienda est, hoc est, testimoniis necessariorum. Decebat itaque nobis demonstrari, et flagitantibus quidem, vel unum aliquem ex Euctemonis necessariis, qui Callippen quandam sive pro uxore legitima sive pro pupilla saltim in domo Euctemonis versatam nosset; decebat operam dari, ut hæ res coarguerentur sive e famulis Euctemonis, si qui adhuc eorum in vivis superessent, sive e famulis iis qui penes ipsos [Androclem ejusque consortes] essent, si quis eorum est qui se aiat ista nosse: verum ejusmodi servos e familia Euctemonis reliquos tradentibus nobis ad quæsitionem per tormenta accipere, neque suos poscentibus præstare et coram adducere voluerunt. Cape tu has istorum responsiones in scrutinio illo ab istis editas nostrasque obtestationes et provocationes ad traditionem mancipiorum.

RESPONSIO. TESTIMONIUM. PROVOCATIO.

5. Tantam ergo rem, tam gravis utramvis in partem ponderis, hi quidem defugerunt; ego vero demonstrabo vobis, et unde hi sint [pueri] et quinam isti qui interponenda obnunciatione testati sunt eos genuinos Euctemonis liberos esse, quo student eos in Euctemonis hereditatem immittere. Phanostrato quidem igitur nescio an insuave sit Euctemonis ulcera denudari: fieri tamen nequit, quo minus vel pars aliqua modica malorum in quæ Euctemon incurrit aperiatur, quo vos rei gestæ certiores facti hoc facilius sententiam æquo juri consentientem feratis. Exegit vivendo annos 96.: hujus

tum longinqui temporis per partem potissimam visus fuit beatus esse — nam et fortunæ erant haud contemnendæ et uxor florentesque liberi et res reliquæ pariter sic satis secundæ —, verum provecto jam ad ætatem affectam infortunium haud mediocre obtigit, quod universam illius domum corrupit opumque magnam vim pessumdedit ipsumque in apertum cum necessariis discidium conjecit. Quæ unde nata et qui sint, paucissimis declarabo. Erat Euctemoni, judices, liberta, quæ domum aliquam gubernabat, quæ domus Euctemoni in Piræeo erat elocatitia: hæc mulier puellas meretrices alebat, et in his unam Alcen dictam, quam Alcen vestrum quoque complures, ni fallor, norunt. Hæc Alce, ut primum de foro empta fuit, multos per annos prostitit corpore quæstum faciens, tandem vero marcescentibus annis e lupanari excessit: mulieri igitur isti illa in domo elocatitia versanti consuescebat Dio quidam, homo libertus, e quo ista Alce se aiebat hosce liberos peperisse [quos Androcles nunc Euctemoni subdere conatur]; et Dio quoque pro suis eos alebat. Tempore autem post idem Dio, ob noxiam nescio quam datam male sibi metuens, Athenis Sicyonem secessit: quo facto Euctemon Alcen illam gubernatricem illius domus constituit, quæ ei in Ceramico erat elocatitia, ubi vinum vænit. Illam igitur in domum immissa hæc mulier, judices, multorum magnorumque malorum causam et principium dedit. Euctemon enim sæpius illuc itans sub prætextu locaris tollendi, plurimum temporis in illa domo elocatitia versabatur; sæpe quoque illa cum muliere cibum capiebat, relictis uxore liberisque domoque in qua ipse habitabat. Quod ægre ferentibus uxore liberisque, tantum abest ut Euctemon a congressibus cum illa muliere se abstineret, ut potius ad extremum domicilium quasi ad eam transferret ætatemque deinceps omnem penes eam degeret, et sive herbis sive furore sive alio nescio quo adverso casu dementabatur ita, ut rogatu mulieris alterum liberorum ejus in phratoras suos induceret, addens ei suum nomen. Quoniam autem neque filius ejus Philoctemon ei concedebat neque phratores admittebant, sed sacrificium ab Euctemone pro impetranda pueri receptione oblatum repudiabant, ira adversus filium Philoctemonem incensus eique ægre facere ardens desponderi sibi curabat Democratis Aphidnæi sororem, hoc agitans ut liberos ab illa muliere edendos pro suis tolleret et in bona sua immitteret, si Philoctemon concedere nollet ut commentitium hunc Euctemonem juniorem in phratoras induceret. Necessarii itaque bene gnari, tum ab ipso Euctemone illuc ætatis provecto proles nulla esset exspectanda, tum tamen verendum esse ne nihilominus alio quopiam modo liberi prodirent, quos ut ille pro suis haberet atque jactaret posset induci, ex eaque re multo majus exstiturum esse dissidium, persuadebant, o judices, Philoctemoni, ut sineret a patre suo juniorem hunc Eucte-

monem in phratoras induci conditionibus iis quæ Euctemoni placerent, hoc est, cum uno addito agello. Philoctemon itaque, tametsi eum patris puderet pigeretque stultitiæ, nullam tamen cernens rationem ex hac difficultate sese expediendi, in auctoritate fuit necessariorum cedensque necessitati nil repugnavit. Pactis igitur utrinque conventis, pueroque in phratoras inducto, ab uxoris ducendæ consilio jam destitit Euctemon; quo facto planum faciebat, de uxore ducenda non eo se cogitare cœpisse, quo liberos ex ea quærerent, sed quo, ab invito filio concessionem extorqueret hunc puerum in phratoras inducendi; sed idem simul hoc quoque prodebat hos pueros e matre non ingenua natos fuisse. Ecquid enim oportebat eum uxorem ducere, Androcle, si hi pueri ex se, cive Attico, et e muliere quæ pariter civis Attica esset, nati erant? ecquis enim impedire potuisset, quo minus eos, si vere ingenui fuissent, in phratoras induceret? aut cur sub certis condictis et stipulatis conditionibus hunc Euctemonem juniorem pro filio in phratoras induxisset, si mater ejus ingenua et civis fuisset, lege edicente ut liberi omnes rite nati pari et æquali jure in herciscundo patrimonio gaudeant? aut cur seniorem quidem horum duum puerorum sub pacto certarum conditionum in phratoras induxisset, minoris autem nullam prorsus habuisset rationem nullamque fecisset ejus mentionem, donec Philoctemon superfuit, neque ad ipsum Philoctemonem neque ad reliquos necessarios? cum tu tamen, Androcle, hos ambos Euctemonis liberos perhibueris esse, dispertis verbis in testimonio aiens, hos genuinos Euctemonis liberos atque heredes esse? Vera hæc a me dici quo constet, recita tu hæc testimonia.

TESTIMONIA.

6. Secundum hæc gesta Philoctemon trierarchiæ fungens in pugna navali apud Cnidum cecidit ab hostibus interemptus. Aliquanto post Euctemon ad generos professus est, se velle pacta, in quæ sibi cum filio convenisset tabularum monumentis consignata deponere. Et alter quidem generorum, qui ei duo erant, Phanostratus in procinctu stabat ea cum classe, cui Timotheus imperator præerat e portu solvendi, et jam navis, quam Phanostratus cum imperio trierarchi tuebatur, ad ancoram stabat ad Munychiam; alter autem Euctemonis gener Chæreas congenerum Phanostratum ad portum deduxerat, iter maritimum ingressurum, honoris causa prosecutus. Illuc ergo ubi navis stabat Euctemon veniebat, secum habens amicos quosdam adscitos, et cum testamenti tabulis consignasset, quibus conditionibus puerum [Euctemonem juniorem] in phratoras induxisset, una cum his [Phanostrato et Chæreæ] deponit [illas tabulas] apud Pythodorum Cephisiensem agnatum suum. Hæc, cum egit Euctemon, eum non egisse tanquam pro filiis, quos

nis, et Androcles ipse testatus est, judices, et hoc ipsum satis est testimonium: nemo enim liberis genuinis quicquam per testamentum legat, quia jus civile filio patris bona delegat, patremque cui liberi genuini sint non sinit per testamentum constituere. Tabulæ illæ cum per biennium fere jacuissent et interim Chæreas vita excessisset, homines hi [Androcles ejusque consortes] fœminæ [Alcæ] per fœdissimam adulationem tanquam mancipia reginæ servientes et ex ejus ore nutuque pendentes, cum cernerent substantiam Euctemonis jam pessum euntem et in senio atque vecordia delirantis egregiam sibi datam opportunitatem furandi, una cum fœmina fortunisque et ruenti jam senis menti parant insidias. Et primum quidem eum impellunt ut testamentum tolleret atque pro irrito declararet, quippe quod e re puerorum haud esset; quoniam ipso, Euctemone, defuncto bonorum immobilium nemo alius sit potiturus quam filiæ ipsius earumque liberi: fundorum autem si quid ipse adhuc superstes venderet, redactam ex illa venditione paratam pecuniam sine controversia certam pueris esse mansuram. Euctemon hac oratione motus, statim ut audivit, tabulas testamenti a Pythodoro repoposcit, provocans ut tabulas ejus in medium proferret. Stante itaque Pythodoro coram archonte, aiebat Euctemon velle testamentum a se scriptum tollere. Contra Pythodorus, negans per se stare quominus tollatur, ipsum semet aiebat id tollere quod ad ipsum attineret Euctemonem atque Phanostratum tum in judicio quoque præsentem; verum quoniam Chæreas, qui depositioni testamenti penes se interfuisset, interea temporis vivis excessisset relicta filia, cujus filiæ sine consensu negabat hac in re quicquam agi posse, tum demum aiebat se testamentum illud cassaturum, cum illa Chæreæ filia nuptum elocata in potestatem mariti transisset qui tutor et curator ejus esset; archon quoque cum ad hanc Pythodori sententiam accessisset et ita agendum pronuntiasset esse, Euctemon coram archonte ejusque assessoribus aliisque permultis quos circumstantes antestabatur primum a Pythodoro ejusque consortibus sponsionem exigebat eos quæ acturus nunc esset rata habituros esse, tum conceptis verbis asseverabat testamentum sibi jam nunc nullum amplius usquam locorum depositum jacere, eoque dicto abibat, paulo post id facturus cujus causa illi [Alce cum parasitis] eum ad testamenti abrogationem impulerant. Vendebant nempe fundum Athmonensem Antiphani, quinque et septuaginta minis, balneum vero in Serangio triginta minis Antilocho, domum vero in urbe pro quatuor et quadraginta minis oppigneratam vendidit hierophantæ; præterea quæ gregem caprarum ipso cum caprimulgo tredecim minis, et duas bigas mulares, alteras octo, alteras quinque minis et semisse, opifices item quotquot illi erant omnes. Unde summam æris redigebant plus quam tria talenta. Vendita ista erant perquam cito post obitum

Philoctemonis. Quo autem vobis constet, judices, horum quæ dixi singula quæque vere a me dicta esse, primum cito testes.

TESTES.

7. Sic ista quidem illi habebant, tenebant: ut autem reliquis quoque potirentur statim incipiebant machinari, et rem inter se comparabant omnium fœdissimam, cui vos par est animum attendere. Cernentes enim Euctemonem præ senio ita prorsus enervatum et exinanitum ut ne lecto quidem resurgere posset, meditabantur et circumspiciebant omnes modos, quibus hoc efficeretur ut facultates ejus, ubi animam reddidisset, in potestate sua essent universæ. Quid ergo instituunt? Deferunt horum duum puerorum nomina ad archontem velut adoptatorum, quorum alterum [natu majorem] alter Euctemonis filius [Philoctemon] jam defunctus, alterum [minorem] alter ejusdem filius [Ergamenes] item defunctus adoptarent; et, quia semet ipsi tutores puerorum ferebant, archonti mandabant ut substantiam puerorum velut orborum elocaret [h. e. proscriberet elocabiles], quo sub puerorum nomine bonorum alia mercedem moritura elocarentur, alia tanquam debita pueris pro commodata pecunia æstimarentur atque ipsis assignarentur pro hypotheca, pelliqué figerentur, quibus designantur et circumsepiuntur bona in hypothecam data, quæ vendere non licet; et Euctemone adhuc superstite, conductores per eum facti, vectigalia bonorum ipsi perciperent. Et quam primum tribunalia complebantur, archon quidem bona Euctemonis ut elocabilia voce præconis promulgabat, hi vero conductores pro mercede annua ipsi se profitebantur. Verum eveniebat fortuito ut aliqui, qui licitationi huic interessent, ad necessarios Euctemonis hac de fraude ipsis parata renunciarent; hi ergo cito accurrentes indicabant judicibus totum negotium, quo facto judices elocationem bonorum reprehendebant: quod si occultum necessariis mansisset, tota illis substantia funditus perisset. Cita testes, qui rei gestæ de qua modo exposui interfuerunt.

TESTES.

8. Priusquam porro hi homines [Androcles cum consortibus] notitiam cum hac muliere [Alce] contraxissent, cum eaque colludentes cœpissent bonis Euctemonis insidiari, tam locuples erat Euctemon una cum Philoctemone, ut, quamvis ambo una iisdem temporibus muniis fungerentur sumptuosissimis pro rep. vestra, tamen neque de sorte quicquam alienarent, et de vectigalibus annuis semper haud parum quid superesset, unde empti novi fundi ad veteres accederent: ex quo autem Philoctemon excessit, ita misere dilaniata est illa substantia, ut sortis antiquæ ne dimidia quidem pars supersit, vectigalia autem omnia intercepta sint. Et ne hæc

quidem satis habuere differre atque dissipare, sed etiam ipso Euctemone tandem vita defuncto, audacise processerant eo ut illo intus in sedibus adhuc jacente servos custodirent, quo ne quis eorum quicquam sive duabus ejus filiabus sive uxori nunciaret sive necessariorum cuiquam; pecunias autem et vasa supellectilemque Euctemonis adjuvante muliere in domum proximam, cui cum domo Euctemonis paries idem communis est, exportabant, quam domum incolebat quidam horum mercede conductam, Antidorus ille. Et ne cum filiis quidem venirent uxorque, ab aliis de excessu Euctemonis certiores factæ, sinebant eas intrare, sed claudebant fores, prætexentes curam funeris illis haud convenisse: vix tandem aperiebant et mulieres illas admittebant circa solis occasum demum. Ibi ingressæ deprehendebant Euctemonem quidem intus jacentem jam in alterum diem, id quod famuli affirmabant, domum autem instrumento et rebus prorsus omnibus vacuefactam horum opera. Jam mulieres quidem in lavando et componendo cadavere, ut per erat, versabantur; hi autem [necessarii Euctemonis] amicorum et testium turbæ quæ eos comitata erat oculos demonstrabant, quam essent exinaniti et expilati, servosque coram his [Androcle et consortibus] interrogabant, quænam supellex et reliquæ opes aversæ essent. Iisque respondentibus hos eas in proximam domum exportasse, hi quidem [Chærestratus cum sociis] auctores fiebant ut furtum protinus quæreretur, prout jus civile potestatem ejus rei facit, poscebantque servos sibi dedi eos qui exportassent; isti vero [Androcles cum consortibus] recusabant æquorum justorumque quicquam facere. Quæ ut constet vera a me dici, cape tu scriba istoc et recita.

9. Tantam itaque supellectilem cum domo furtim exportassent, et pecunias temerent e venditione fundorum redactas, vectigaliaque intervertissent atque inter se diribuissent quæ per illud tempus dispensa sunt, sperant se reliquis quoque potituros; eoque propedunt impudentiæ, ut directum quidem jus pro se ferentes et recta hereditatem petentes haud audeant in forum ingredi, at obliqua tamen via per obtestationem quasi liberi genuini adessent, qua in re testati sunt tum per se falsa, tum illis ipsis quæ egerunt ipsi adversantia: nam cum antea scribi horum puerorum nomina in tabulis apud archontem curassent, alterius eos filii Philoctemonis, alterius eos filii Ergasæensis, nunc in obtestatione sua affirmant hos eosdem filios Euctemonis esse. Quanquam, ne si ab ipso quidem Euctemone procreati essent, hujus filii atque heredes esse possent, posteaquam semel ab eo alienam in potestatem emancipati et ab aliis adoptati fuissent; id quod hi factum aiunt esse: jus enim civile non sinit quemquam adoptatum e domo, in quam adoptatus fuisset, illam in domum, unde primitus ortus et emancipatus sit, redire, nisi ex in domo, in quam elocatus esset, filium ex se legitime

natum reliquisset. Ex quo consequitur, per ea ipsa quæ egerunt falsitatis coargui obtestationem ab illis interpositam. Et istud quidem si callidis suis artibus perfecissent ut domus [h. e. substantia Euctemonis et Philoctemonis] elocaretur, præclusa jam esset hisce [Chærestrato et consortibus ejus] hereditatem petendi via: nunc autem, quanquam judices causam eorum damnarunt atque negarunt juris quicquam illis in hereditatem competere, tamen non ausi modo sunt eam petere, sed etiam pro incredibili sua modumque excedente audacia præter alia falsa a se prodita etiam hoc testati sunt, hos pueros Euctemonis heredes esse, quos judices reprobassent atque ista hereditate arcuissent.

10. Sed et adhuc testis ipsius [Androclis] spectate audaciam atque impudentiam, qui pro se quidem in jure petiit filiam Euctemonis, ut a judicibus sibi adjudicandam quippe bonorum patris heredem, cum eaque quintam bonorum partem petiit ut controversiæ patentem, et hic tamen idem testatus est Euctemoni genuinos superesse filios. Atqui quomodo negetur hunc [Androclem] sua semet sica perspicue jugulare dictumque ab ipso testimonium mendacii coarguere? Nam si filius Euctemoni genuinus fuit, fuit ejusdem Euctemonis filia hereditatis adeundæ jure omni casse, ipsaque hereditas controversiæ non fuit obnoxia. Androclem autem hasce sortitiones sortitum esse [h. e. ex ambobus titulis hereditatem petiisse, tam pro semet ipso, quam pro pupillis suis] ut vobis constet, judices, scriba hic vobis hæc recitabit testimonia.

TESTIMONIA.

Evenit itaque contra atque in lege scriptum est, sic edicente, neque spurio neque spuriæ consanguinitatem esse neque sacris in rebus neque in civilibus inde ab Euclide archonte: Androclides autem atque Antidorus æquum existimant, quas in confesso est genuinas Euctemonis filias esse, eas earumque sobolem a se bonis Euctemonis atque Philoctemonis spoliari; et quæ mulier injecte Euctemonis menti furore consecuta hoc est, ut magna parte facultatum ejus potiretur, ea se tam gerit insolenter, his nempe [Androcle atque Antidoro] fidens, ut non Euctemonis modo necessarios, sed universam adeo civitatem vilipendat. Cujus rei vel unum solum testimonium ubi audieritis, facili negotio mulieris illius audaciam leges aspernantem et violantem cognoscetis. Cape tu mihi hanc legem.

LEX.

Literas hasce [h. e. sanctiones literarum monumentis consignatas de observandis religionibus sacrorum Thesmophoriorum et Eleusiniorum] voluistis vos, judices, tam esse venerabiles tantaque pœnarum severitate pietatem erga deos tuendam sanxistis, summi

quippe facientes ut erga reliquorum deorum ita erga harum quoque duarum dearum [Cereris et Proserpinæ] numina reverentiam exerceri: hæc autem mulier, mater horum puerorum, cum sit omnium hominum confessione ancilla vitæque genus per omnem ætatem secuta tam infame, ut ob hanc et conditionis humilitatem et quæstus turpitudinem ei haud liceat intra templum [Eleusinium] intrare neque eorum quæ in eo geruntur quioquam videre, cum duabus hisce deabus sacrum fit, ausa tamen est in processione reliquarum matronarum ipsa quoque una incedere et in templum ingredi et ea spectare quæ ab ea spectari nefas est. Quæ a me vera dici, cognoscetis e psephismatibus a senatu super hac muliere latis. Cape tu psephisma hoc.

PSEPHISMA.

11. Existimare jam nunc vos decet, judices, utrum Philoctemonis bonorum heredem oporteat hunc esse ex hac muliere [ancilla eadem atque scorto] natum et hunc ad monumenta [Philoctemonis atque majorum ejus] accedere quo inferias et suffitus eorum manibus inferat [tanquam majorum suorum, qui non sunt, et quem propterea manes defuncti velut hominem a se alienum et spurcum aversantur atque refugiunt], an hunc [Chærestratum] e Philoctemonis sorore natum, quem ipse Philoctemon sibi filium adoptavit: porro quoque vos decet apud vosmet arbitrari, utrum deceat magis sororem Philoctemonis illam, quæ olim penes Chæream in matrimonio vixit, nunc autem vidua est, in horum [Alces et Androclis et Antideri et consortium] potestate esse, ut penes eos sit sive cuicunque velint eam elocare sive pati ætatem ad extremum usque senium in viduitate extrahere, an eandem Euctemonis genuinam filiam illi viro nubere qui eam in jure petitam vi vestræ sententiæ adjudicatam impetrarit, posteaquam planum vobis fecerit eam sibi uxorem in jure omnium maxime competere. His enim de rebus hodie agitur et vobis ferenda est sententia. Hoc enim illis sua vult obtestatio [seu propterea testimonium suum de hereditate controversiæ et adjudicationi haud obnoxia interposuerunt], ut nempe hi quidem [Chærestratus cum reliquis Philoctemonis necessariis] hæc adirent discrimina [excidendi hereditate puta legitime illis obtingente, et veniendi in potestatem spuriorum ex ancilla et scorto vulgari natorum], isti autem [spurii cum asseclis], etiamsi nunc hoc certamine ceciderint, rursus tamen in jure experiri possint opponenda ἀντιγραφῇ. Nam si semel a vobis declarata fuerit hereditas vacuefacta et controversiæ obnoxia, petenti [seu Chærestrato, seu cuicunque alii] eam opponent isti suam contrapetitionem, et sic eadem de causa bis iidem in judicio contendent. Atqui, si Philoctemoni quidem haud licuisset suis de bonis per testamentum constituere et is tamen nihilominus

fecisset, recte tum intercessisset Androcles interponenda sua obtestatione, penes Philoctemonem haud fuisse ut hunc [Chærestratum] in testamento pro filio adoptaret: nisi autem Philoctemoni licuit testamentum scribere, neque infitiatur hoc Androcles, sed istud, a Philoctemone scriptum esse testamentum in eoque hunc Chærestratum pro filio adoptatum, debebat nos non ab aditu ad hereditatem excludere interponenda obtestatione, sed directa litis denuntiatione præmissa jure nobiscum contendere. Jam vero qui quæso inculentius arguatur falsum dixisse testimonium, quam si quis eum sic interroget, Tu vero, Androcle, ecqui nosti Philoctemonem neque testamentum scripsisse neque hunc Chærestratum sibi pro filio adoptasse? Quibus enim aliquis dum gererentur interfuerit, de iis fas est eum testimonium dicere; quibus autem ipse non interfuerit, de iis testantem eum fas est, non oculos suos, sed aures famamque testari: tu vero, Androcle, cum scriptioni testamenti non affuisses, disertis tamen verbis pro testimonio negasti scriptum a Philoctemone testamentum esse, contra vero affirmasti eum improlem decessisse. Atqui, o viri, qui poterat Androcles hoc nosse? Perinde enim inconsentaneum est, de Philoctemone incomperta neque certo explorata affirmare, atque iis de rebus quas vos in secreto agitis. Quanquam enim impudentia ei summa est, non audebit tamen affirmare, se Philoctemoni per totam ab eo actam ætatem comitem adhæsisse individuum actibusque ejus omnibus testem interfuisse. Hominum enim quotquot sunt omnium hunc unum Androclem Philoctemon semper habuit inimicissimum tum propter reliquam hominis improbitatem, [tum propterea quod hic Androcles solus ex universis Philoctemonis necessariis flagitiose cum Alce communicavit consilia, quibus et ipsi [Philoctemoni, vel potius Chærestrato] et reliquis Euctemonis liberis atque totis facultatibus insidiarentur, eaque perpetravit quæ modo vobis demonstravi.

12. Quod autem vel maxime indignationem ciet, hoc est, quod Euctemonis, qui hujus [Chærestrati] avus est, nomine abutantur, Fac enim verum id esse quod hi aiunt, Philoctemoni haud licuisse per testamentum constituere de bonis, quæ universa fuerint Euctemonis, utrum æquius est hereditatem patris adipisci filius, quos ei genuinos esse extra controversiam est, et nos ex illis natos, an hos quibus cum Euctemone necessitudinis prorsus nihil intercedit? Id quod non nos solummodo liquidis approbavimus argumentis, sed ipsi quoque horum tutores suis factis. Hoc enim vos, o judices, etiam atque etiam rogo atque obtestor ut inprimis meminisse velitis, quod jam paulo ante vobis declaratum atque testatum feci; Androcles enim hic, qui se horum puerorum tutorem fert quasi Euctemonis genuinorum [qui non sunt, atqui ingenui qui non sint, his tutor

esse nullus potest]; idem tamen pro semet ipso Euctemonis hereditatem petit ejusque filiam a judicibus sibi adjudicandam quippe bonorum patris heredem; id quod testes a me producti confirmarunt. Atqui, per deos superos, qui quæso fiat, ut minus atrox minusque intolerabile sit, genuini quidem si sint liberi, tum tutorem eorum hereditatem ipsimet sibi petere unaque filiam Euctemonis in matrimonium tanquam heredem legitimam super qua in jure contendere liceat; sin autem pro spuriis habeantur, legitimis heredibus aditum ad hereditatem præclusum ire interponenda obtestatione adesse liberos a defuncto relictos jure adeundæ hereditatis multo propiore gaudentes? Adversa fronte istæc inter se pugnant. Perspicuum ergo est non a nobis solummodo falsitatem obtestationis ab eo interpositæ coargutam esse, sed etiam factis ipsius Androclis coargui. Et hunc quidem [Chærestratum] nemo interponenda obtestatione de hereditate non vacuefacta adjuvat, sed ipse [Chærestratus] directa et simplice via juris sibi competentis hereditatem petit: hic autem [Androcles] omnes petitione hereditatis excludit eo quod disertis verbis affirmat hos e scorto natos genuinos Euctemonis liberos esse; quo facto sperat vos ita placatum atque circumventum iri, ut sibi demonstrationis veniam de causa controversa factis coplosaque de rebus a causa alienissimis disputatione vos obruat patiamini.

13. Quæ rei sunt caput, et de quibus docere vos oportebat, ea ne attingat quidem aut leviter modo perstringat, contra vero in nos sonora voce turpissima convicia intorqueat, et hos quidem [Chærestratum ejusque cognatos] opulentos, se autem pauperem esse iterum iterumque objectet. Quibus artibus hoc se sperat consecuturum, ut hi pueri [qui spurii sunt] vobis genuini esse videantur: Hue tamen hos, quibus affluentes rerum copias Androcles invidiose exprobrat, locupletes esse: quid tum? Locupletes si sunt, vobis sunt, judices; plus enim de copiis suis in rempublicam vestram, quam in semet, impendunt. Phænostratus quidem jam septies trierarchus functus est, et munia quæcunque pro republica obeunda sunt sumptuosa ea omnia obiit, et in pleriisque victoriis adeptus est; hic autem Chærestratus, quamvis adhuc puerulus, tamen jam trierarchatus muniis satisfecit contribuendo de suo, Rem choregum pro tragœdis, nec non gymnasiarchum in lampadophoriis: nullas non contributiones pecuniarias hi ambo [pater et filius] inter tercentumviros [h. e. inter civium omnium opulentissimos] contulerunt. Et hactenus quidem hi duo [Phænostratus, et ejus filius natu major, Chærestratus] hæc in rempublicam contulerunt; nunc autem natu minor quoque choregum agit tragœdis, et inscriptus est albo tercentumvirorum, et confert statas contributiones. Quapropter non hi digni sunt quibus invideatis, sed isti, ita me Jupiter atque Apollo ament, sint magis, si bona adipiscantur quorum ipsis jus nullum

est. Philoctemonis quidem hereditatem si huic [Chærestrato] petenti adjudicabitis, ille vobis ejus erit promus condus, eo quod, ut adhuc fecit, ita porro quoque ex illa sumptus faciet in munera edenda, et multo etiam magis: sin autem hi eam adipiscantur, primum dilapidabunt et concerpent, tum exhaustis illis aliorum bonis insidiabuntur.

14. Quare vos, ne decipiamini, judices, majorem in modum rogo, ut ad [Androclis] obtestationem animum advertatis de qua pronuntiandum vobis est; eique intentum atque affixum jubete illum causam pro se dicere, quemadmodum nos quoque nostram actionem ad illius obtestationem accommodavimus. Illa enim in obtestatione cum diceretur Philoctemon testamentum a se scriptum nullum reliquisse ideoque hereditatem suam Chærestrato per testamentum non legasse, demonstravimus id esse mendacium; Philoctemonem enim et scripsisse testamentum et per illud testamentum bona sua Chærestrato legasse, tum docuimus, tum testes quoque produximus qui scribendo interfuere. Quid adhuc [in obtestatione jactarunt Androcles et consortes ejus]? Philoctemonem sine prole decessisse. Atqui quomodo potest is sine prole decessisse dici, qui sororis filium pro suo adoptarit et heredem bonorum reliquerit? cui lex perinde adjudicet hereditatem atque si Philoctemon liberos ex se natos reliquisset. Nam in lege planis verbis sic scriptum est, si cui, qui adoptasset aliquem, postmodum liberi ex ipso nati accesserint, fas esse ut adoptatus cum genuinis liberis parem ratam portionem hereditatis sortiatur. Demonstrato itaque [Androcles] hos, quorum ipse tuendam susceperit causam, pari jure genuinos Euctemonis liberos esse, atque unusquisque vestrum sui patris genuinus filius est. Non enim ideo statim genuinus et legitimus fit filius, si quis matris nomen edat, sed si, qui genuinum se fert Euctemonis filium, is genuinitatem suam confirmet quoque testatamque faciat eos testes producendo, qui matrem ipsius norint cum Euctemone pro matre familias legitime cohabitantem, cognatos puta et demotas et phratoras, quos necesse est scire, num Euctemon pro illa uxore sua, si fuerit, publicum quendam sumptum fecerit: præterea, illa prætensa Euctemonis uxor, ubinam locorum sepulta est, quorumnam in tumulis: quis conspexit Euctemonem ei justa facientem: ubinam matris defunctæ manibus liberi adhuc superstites inferias inferunt et suffiunt: ecquis unus civium omnium ista novit, aut ecquis famulorum Euctemonis. Sunt hæc omnia stringentia et invicta argumenta rem magis conficientia, quam mera convicia, quo solo armorum genere Androcles nos impugnat. His ipsis de rebus si postulabitis, judices, ab eo doceri certique fieri, quemadmodum eas etiam in obtestatione sua asseveravit, et vos sententiam feretis sanctam et secundum leges, et hi [Chærestratus cum suis] jure suo potientur.

ISÆI

DE APOLLODORI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Eupolis et Thrasyllus et Mneso fratres fuere. Horum Mneso sine liberis moritur, Thrasyllus filium relinquens Apollodorum e vita excessit, Eupolis solus superstes valde in Apollodorum injurius fuit. Unde Archedamus, hanc orationem recitantis avus, matri Apollodori connubio junctus post mortem mariti ejus Thrasylli, Apollodori utpote orphani misertus, sæpe ab Eupolide bona petiit quorum retentione Apollodorum damno afficiebat. Horum benefactorum Apollodorus memor stitit ante tribules Thrasyllum hunc filium ejus adoptivum, ejusdem quoque matris sororis filium et Archedami. Descripto autem inter gentiles et tribules Thrasyllo, sed nondum in codicillis in quibus illi qui extra tutelam sunt scribuntur, mortuus est Apollodorus. Et post ejus mortem in codicillis quidem scriptus est Thrasyllus, nihilominus tamen filia Eupolidis, Apollodori patrui, cum Thrasyllo contendit, dicens Thrasyllum Apollodori voluntate omnino inter tribules et gentiles non esse scriptum, sed ficte factum esse. Argumentum quidem hoc est, causa vero status conjecturalis. Quapropter perite omnino et artificiose orationem distribuens, inimicitias Apollodorum inter et Eupolidem pertractat: quod indicium maximum est illum nolle filiam Eupolidis heredem suam esse.

1. Olim equidem, viri, existimabam eas solummodo adoptationes non oportere in controversiam vocari, quæ sic factæ fuissent, ut adoptans ipse superstes adhuc et recte mente sibi constans eas peregerit, ut adoptandum ad sacra et templa adduxerit, ut cognatis eum coram demonstrarit ad eosque pro suo declararit, ut in tabularium commune [phratorum atque demotarum] inscribendum curarit, ut omnia denique, quæcunque in ejusmodi negotio agenda sunt, ipse per se prospere valens sanæque mentis compos peregerit; sed illas tantum opinabar controversiæ obnoxias adoptationes, quas fecerint illi, qui in articulo mortis constituti per testamentum ediderint ad quem post fata sua pervenire bona sua velint, literisque consignatum ejusmodi testamentum obsignatumque apud alios quosdam deposuerint. Priore enim illo modo qui adoptat, is planum testatumque ad omnes facit sua de voluntate, totum negotium a capite ad calcem actibus auctoritatis suæ confirmans; cujus rei copiam jus civile ei faciebat: in testamento autem literis exarato atque obsignato qui voluntatis suæ significationem velut absconsam deposuit, is eam obscuram atque ignotam dubiamque fecit; qui

factum est ut multi, ejusmodi tabulas testamentarias conflctas atque suppositas esse aientes, ita adoptatis de adeunda hereditate controversiam moverint. Nunc autem mihi videtur omnis cavendi diligentia supervacanea atque inutilis esse: quamvis enim omnes adoptationis meæ actus ita essent in propatulo acti, nihilominus tamen sunt qui super Apollodori hereditate mecum contendere pro Eupolidis filia contendant. Ego vero si quidem vos viderem, judices, obliquas in jure agendi vias per obtestationes haud licere hac de causa agi, directæ viæ præferre qua quis sine ambagibus jus *sibi* debitum postulet; producerem ego quoque testes confirmaturos hereditatem hanc haud esse vacuefactam ideoque controversiæ haud expositam, quod ego filius sim Apollodori ab eo secundum leges adoptatus: verumenimvero quia fieri nequit, ut hanc viam sectando quam nunc ingredior jus æquum in occulto maneat, progressus sum ad vos ita verba facturus ut totam rem gestam vos doceam, quo adversarii ne causentur noluisse nos sibi hoc actionis genere satisfacere. Docebo autem non hoc solummodo, Apollodorum hereditatem cognatis proximis non reliquisse gravissimis ductum causis, quippe a quibus multis infandis modis vexatus et læsus fuisset, sed istud quoque docebo, ab Apollodoro me esse filium adoptatum jure merito, quippe qui nepos ipsius e sorore essem, et quod parentes mei Apollodorum multis magnisque beneficiis sibi obstrinxissent. Quare vos rogo, judices, viritim et universos, ut aures mentesque mihi præbeatis æquas et benevolas, et ubi eos coarguero in hereditatem nil ad ipsos pertinentem summâ cum impudentia involantes, tum mihi qua par est succurratis. Disseram autem quam potero brevissimis, rem a principio inde repetens, quæ sic habet.

2. Fratres erant hi tres germani, judices, Eupolis et Thrasyllus atque Mneson ab iisdem sati parentibus; qui substantiam ingentem a patre relictam cum inter se sortiti essent (tanta autem erat illa, ut vos eos dignos censeretis, qui munera publica sumptuosa ederant), duo eorum sub idem tempus vita excedebant; Mneson quidem in urbe sine prole, ut qui ne uxorem quidem duxisset, Thrasyllus autem in Sicilia, quo susceptæ expeditioni ut cum imperio trierarchi interesset, una cum multis aliis delectus fuerat, relicto filio Apollodoro, eodem illo qui me nuper sibi filium adoptavit. Eupolis itaque de tribus fratribus solus relictus haud indignum se duxit, ut bonorum Apollodoro debitorum partem haud exiguam interverteret: Mnesonis enim hereditatem, cujus semissis Apollodoro competebat, soli sibi totam arrogavit, prætextu usus eam sibi a fratre legatam fuisse, ipsiusque Apollodori tutelam ita gessit, ut causa caderet tribus talentis æstimata, quæ illius tutelæ nomine ab eo petebantur. Arrhedamus enim avus meus, qui Apollodori matrem in matrimonio habuit, meam aviam, cernens Apollodorum a

tutore bonis omnibus privari, una cum ejus matre cum domi suæ recepit atque sub oculis suis educavit, puberique facto præsto fuit actiones male gestæ tutelæ in Eupolin exsequenti, eoque Eupolidi non solum semissem hereditatis a Mnesone relicta actione prima extorsit, verum etiam altera posteriore actione victum Eupolin cogit Apollodoro omnia reddere ab hujus patre Thrasyllo relicta, quibus Eupolis pupillum defraudasset. Archedamus tam strenuam navavit operam, ut Apollodorus totum patrimonium recuperaret. Quapropter Eupolis atque Apollodorus per totam vitam simultates inter se agitaverunt; avus autem meus atque Apollodorus, prout etiam par erat, semper fuere conjunctissimi. Verum ipsis e rebus gestis melius quam ex oratione mea intelligatur, quam sedulo studuerit Apollodorus acceptam gratiam demereri. Avus enim ea cum esset ictus calamitate ut ab hostibus caperetur, ad redimendi ejus pretium de suo conferre non dubitavit Apollodorus obsidemque agere, donec ille totam summam æris unde unde coegisset. Avoque e pristinis copiis ad incitas redacto, in re ejus familiari gerenda tuendaque operam navavit, sui patrimonii copiam ei faciens: et ad expeditionem Corinthiacam proficiscens, constituebat de substantia sua, eamque, si quid sibi secius contingeret, sorori suæ, quæ eadem avi mei filia, et mihi mater est, legabat, eamque Leocratidæ, qui nunc hierophanta est, nuptum elocabat. Hoc ille animo erga nos fuit, qui eum a principio servassemus. Quo vobis autem constet, judices, hæc a me vera dici, et bis ab Apollodoro victum in foro fuisse Eupolin, semel titulo male gestæ tutelæ, tum rursus interversæ semissis bonorum a Mnesone relictorum, avo meo causam Apollodori oratione adjuvante, eoque pacto Apollodorum bona sua recuperasse, verum etiam tantorum a nobis acceptorum beneficiorum memorem fuisse eoque quo dixi modo compensatum isse, horum omnium ego testes producam. Cita tu mihi hos.

TESTES.

Hæc tanta erant beneficia a nobis in Apollodorum collata: simultatis vero, quæ ipsi cum Eupolide intercessit, in causa fuit fraus qua hic illum re tam lauta fraudatum erat; quam simultatem haud licet dicere ab illis sublatam atque cum amicitia commutatam esse. Cujus rei magna edam istæc documenta: Eupolidi enim tametsi duæ essent filiæ, neutram tamen earum Apollodoro collocavit, quem non sui fratris solummodo filium nosset, sed etiam bene locupletem esse. Neque fugiebat eum affinitates per connubia contractas videri non consanguineos modo, sed vel obvios quosque adeo inter se reconciliare magnasque simultates exstinguere et posse et solere; fiduciæ enim recordatio non potest non odia ex animis exterminare eorumque

loco benevolentiam mutuam injicere, cum videas eos, qui tibi olim inimici fuissent, carissima sibi pignora tibi credere. Quicquid ejus est, sive culpa penes Eupolin, sive penes Apollodorum fuit, sive ille filium dare noluit ad uxoriam conditionem, sive hic oblatam recusavit, mansit utique inter eos simultas, ut res ipsa docuit.

3. Verum de illorum quidem simultate satis mihi videor disseruisse. Certus enim sum, vestrum quoque quotquot ætate sunt provectiores meminisse adhuc actionum forensium quibus illi sese mutuo exagitarunt: nam et magnitudo postulationum, et victoriæ fama qua Archedamus Eupolin perculit, quem multis atque tam luculentis modis ut contra hiscere nequiret condemnavit, hominum oculos convertit. Adoptatum autem me pro filio esse ab Apollodoro adhuc salvo et valente scriptumque bonorum ejus heredem, codicibusque et gennetarum et phratorum inscriptum, accingor nunc ut doceam. Quod facienti mihi ut aures præbeatis benignas mentemque attentam, etiam atque etiam rogo. Apollodoro filius erat, quem pater, ut par erat, et erudiebat et fovebat, sperans fore aliquando ut ipse vita excedens eum heredem bonorum suorum post se relinqueret: verum ille filius anni proximi superioris mense Mæmacterione morbo decessit. Ibi pater præsentis infortunii ægritudine depressus et de affecta ætate sua desperans [ut alieniore a spe novæ prolis suscipiendæ], non oblitus a quibus esset a principio beneficiis ornatus, ad matrem meam, sororem suam, quam plurimi faciebat, adiit ab eaque petiit ut me sibi filium daret; et rogatis potitus ita festinavit negotium hoc peragere, ut statim me secum in domum suam deduceret totamque suam rem familiarem mihi administrandam traderet, quasi ipse jam defunctus hujusmodi curis et impar, ego vero idoneus essem nihil non agere. Veniente tum Thargeliorum die festo adducebat me ad gennetas et phratoras, et coram ara constituebat. Est autem illis in more positum, ut quicunque filium in conventum eorum inducat sive ex ipso natum sive adoptatum (nam promiscue id habent), is per sacra juret illum a se filium induci natum e cive Attica et legitimo modo; tam in adoptato hoc, ut dixi, observatur quam in genuino: quæ tametsi pater inducens egerit, illi nihilominus tamen omnes et singuli in suffragia eunt; et ubi, qui inductus est, omnibus visus fuerit admittendus esse, tum demum, neque citius, in communem codicem inscribitur. Tam diligenter et tam severe illi jura sua tuentur. Phratores igitur Apollodori atque gennetæ, haud immemores hujus legis penes se usitatæ, et Apollodoro haud diffidentes ipsumque me haud ignotum sibi habentes, sed certi ex Apollodori sorore me natum, haud dubio suffragiorum consensu decernunt omnes nomen meum in communi codice scribendum, cum ille solito more per sacra dejerasset. Hoc ego pacto ab Apollodoro adhuc superstite et bene valente fui filius adoptatus, et in codice

phratorum communi scriptas hoc titulo *Thrasylus Apollodori*, ipso coram adoptatore, legibus id fieri sinentibus. Quæ ut constet a me vera dici, cape tu hæc testimonia.

TESTIMONIA.

4. Testes itaque hæc ita quidem testati sunt, verum ipsi quoque adversarii eadem testantur. Quibusnam autem aliis vos convenit fidem magis habere quam testibus, et, si qui necessariorum, si non verbis, at rebus tamen et factis perspicuis testentur, Apollodorum ista recte legibusque convenienter egisse? Reliquit nempe Eupolis duas filias, et hanc, quæ adhuc superest materfamilias Pronapidis et mecum super hac Apollodori patris mei hereditate contendit, et aliam, quæ olim cum adhuc superesset penes Æschinem Lusiensem fuit, jam vero vita defuncta filium reliquit jam ad virilem ætatem adultum nomine Thrasybulum. Jam lex est hujus formulæ: si qui frater duarum sororum ex iisdem parentibus natus sine prole decesserit nulloque scripto testamento, tum æquis partibus hereditatem ejus cernere sororemque alteram adhuc superstitem alteriusque vita defunctæ filium. Hoc legis edictum illos [Eupolidis filias, cæterosque cum illis facientes necessarios] haud fugit. Rebus enim gestis testatum fecerunt legem illam sibi notam esse, eique se parere: Eupolidis enim filius, Apollodorus item dictus, cum sine prole decessisset; semissem substantiæ ad quinque talenta valentis tulit Thrasybulus. Unde patet filiabus et sororibus a jure civili partes æquales bonorum a patribus et a fratribus relictorum attribui; consobrinorum autem de bonis, et quicunque alii extra cognationis gradum modo dictum sunt, non æquales attribui partes hereditatum fœminis, sed in hujusmodi causis conditionem marium meliorem esse et a lege præhaberi conditioni fœminarum. Verba leges enim hæc sunt: potiores oportere mares esse e maribusque natos, dummodo hi mares ex iisdem prognati sint e quibus fœmininæ [de hereditate eadem inter se contendentes], etiamsi mares illi gradu consanguinitatis [ab hereditatis relictæ postremo domino] longius distent quam fœminæ. Secundum hanc legem mulieri huic [Eupolidis filiæ] ne ullam quidem partem [hereditatis ab Apollodoro Thrasylli filio relictæ] petendi jus erat, Thrasybulus autem totam petere poterat, nisi obstaret hoc, quod ego ab Apollodoro adoptatus sim, quam adoptationem Thrasybulus ratam habet. Nam neque ullam mihi unquam de Apollodori hereditate movit controversiam neque eam in jure petiit, sed omnia ab Apollodoro constituta bene se habere confessus est: hi autem [patroni causæ filiæ Eupolidis] pro hac [filia Eupolidis] qua sunt impudentia totam petere ausi sunt [hereditatem ab Apol-

lodoro, Thrasylli filio, relictam]. Cape tu has leges, quas hi protulerunt, easque recita his [judicibus].

LEGES.

Hac quidem e lege partes hereditatis æquales ferunt defuncti soror superstes et filius ab altera sorore defuncta relictus. Cape hanc quoque legem, et recita illis.

LEX.

Consobrini si nulli sunt neque consobrinorum liberi neque consanguineorum quisquam a parte patris, tum tradidit legislator hereditatem consanguineis a parte matris, definiens quosnam oporteat potiores esse. Cape tu hanc quoque legem, et ipsis recita.

LEX.

Legibus hæc edicentibus, Thrasybulus hic, tametsi vir esset [eoque ab hereditatis jure propior], tamen ne partem quidem ejus petiit, hic autem [Pronapis] loco et nomine hujus mulieris [uxoris suæ] totam petiit: adeo nil autumant impudentiam obesse, etiamsi in rebus tam planis et perspicuis leges migrare audeant. Verumtamen hac utuntur excusatione, Thrasybulum in domum Hippolochidæ emancipatum esse, ideoque sibi competere jus universam Apollodori hereditatem petendi. Vere quidem illi hactenus, quod emancipatum aiunt Thrasybulum; verum ad rem hoc quidem nil facit. Ecquid enim eo minuitur Thrasybulo jus hanc hereditatem petendi? num, quod emancipatus est, ideo minus est Apollodori cognatus? Etiam alterius Apollodori, qui filius Eupolidis fuit, semissem hereditatis, non e paterno, sed materno jure accepit [quod jus per adoptationem non mutatur]: licebat ergo ei cognationis quidem ex titulo bona Apollodori e Thrasyllo nati, quæ bona ego mihi nunc vindico, petere, quippe qui fœminam hanc [Eupolidis filiam] in jure petendi antecederet, et petisset quoque, nisi existimasset recte habere ab Apollodoro super adoptatione mei bonorumque legatione constituta. Verum Thrasybulus non est impudens. Nam matris quidem nemo est emancipatus [h. e. tametsi in domum alienam emancipatus jura amittit a parte patris ei competentia, non ideo tamen pariter jura quoque amittit a parte matris ei debita, sed hæc certe salva semper ei manent], sed perinde servat quisque matrem suam [h. e. jura per matrem convenientia], sive in domo paterna manet, sive in alienam emancipatur. Quapropter etiam Thrasybulus parte bonorum Apollodori [ejus, qui filius Eupolidis fuit] rata [eique per matrem competente] fraudatus non fuit, sed hereditatis illius semissem alteram abstulit ipse, alteram hæc mulier

[Eupolidis filia, Pronapidis uxor]. Quæ ut constet a me vera dici, testes harum rerum tu mihi cita.

TESTES.

5. Ad hunc modum non gentetes solummodo neque phratores de mea adoptatione testati sunt, sed etiam Thrasybulus eo, quod de Apollodori hereditate mecum non contendit, ipso facto declaravit se existimare ab Apollodoro constituta rata esse jurique civili consentanea: nam si irrita illa legibusque adversa habuisset, profecto non commisisset ut tam amplam hereditatem in jure petere omitteret. Verum sunt Apollodoro patri meo de veritate meæ adoptationis alii quoque testes. Nam priusquam ego e ludis Pythicis rediremi, ita cum demotis [seu municipalibus] egit Apollodorus: Se fecisse ut ego ipsi filius adoptarer atque ut nomen meum in codicem cognatorum atque phratorum, ceu filii sui, inferretur, facultatesque mihi tradidisse; quocirca hortari se demotas ut, si ab hora fatali opprimeretur, priusquam redissem, in codicem suum lexiarchicum nomen meum inscribant hoc titulo *Thrasyllus Apollodori*, neve contra faxint. Et illi quidem [municipales Apollodori] istis [ex Apollodoro] auditis, tametsi hi [Pronapis ejusque consortes] secum quererentur negantes me [ab Apollodoro] adoptatum esse, tamen, et præcepto istoc Apollodori moti eorumque memores quæ ipsi de adoptatione mei jam dudum ante tum audiverant tam norant, jurejurando per sacra dicto, in lexiarchicum intulerunt meum nomen eo pacto, quo id faciendum ille [Apollodorus] præceperat. Tam certum penes eos liquidumque meæ adoptationis erat negotium. Vera hæc me dicere testabuntur hi testes, quos tu mihi cita.

TESTES.

6. Coram tot testibus, judices, gestum fuit hoc adoptationis negotium ab Apollodoro, cui cum his [Eupolidis domesticis] vetusta simultas intercedebat, nobiscum autem præter arctam sanguinis necessitudinem adhuc quoque summa caritas. Verumenimvero etiamsi neutrum horum fuisset, neque simultas cum his neque familiaritas nobiscum, nunquam tamen Apollodorus bona sua in horum potestate reliquisset; id quod facile vos e mox dicendis colligetis. Omnes animam agitantes sedulo cavent hoc, ut domus suæ desolatæ ne fiant, sed ut sit qui manibus suis inferias inferat et reliqua justa faciat: quapropter, si qui improles ipsi sint, tamen filios sibi per adoptationem arrogant, quos nominisque bonorumque suorum heredes relinquunt. Neque privatim solummodo censetur hoc jus et fas esse atque exercetur, sed ipsa quoque resp. idem ratum sanctumque voluit esse: lege enim peculiariter hac de re lata mandavit resp. archonti, ut provideat ne quæ domus desolatæ fiant. Jam

planum Apollodoro atque perspicuum erat, si facultates suas horum hominum potestati permitteret, eadem se opera facturum quoque esse ut sua domus desolaretur, quippe qui vidisset has sorores [Eupolidis filias] fratris quidem sui Apollodori habere bona, filium autem ei nullum sufficere quamvis liberis maribus abundarent, et maritos earum fundum ab Apollodoro relictum una cum instrumento rustico ad quinque talentorum valorem vendidisse pecuniamque e venditione redactam inter se divisisse, domumque Apollodori hoc pacto jacere desolatam turpi horrendoque exemplo. Fratrem itaque qui nosset istæc a sororibus passum, qui poterat is sperare futurum ut ipse, etiamsi amicus atque familiaris illis fuisset quibus fuit infestissimus, ab his honores supremos et justa adipisceretur, quorum non frater, sed solummodo consobrinus esset? Profecto negata illi erat hæc spes. Illos autem fratri suo filium nullum defuncto suffecisse, et nihilominus tamen ejus bona possidere, domumque, quæ quondam, id quod inter omnes constat, trierarchatus onera sustentavit, de medio sustulisse, testabuntur testes hi quos abs te mihi citari volo.

TESTES.

7. Hoc igitur hi cum essent ingenio animoque erga semet ipsos, et tanta cum esset iisdem atque tam inveterata cum Apollodoro simultas, quid aliud poterat Apollodoro melius in mentem venire quam ut hoc, quod exsecutus est, consilium capesseret? Atqui debuerat, ais, medius fidius, sumptum ab amicorum aliquo puerum adoptare, heredemque bonorum suorum facere? Atqui fuisset ipsique [Apollodoro] ipsisque parentibus pueri hujuscemodi incertum, cujas ille puer esset olim aliquando futurus, frugine an nequam, ætate pueri nullam utramvis in partem edente significationem. Mei autem documentum ceperat [Apollodorus], quod satis esset ad judicandum quæ de me speranda haberet. Norat enim quo animo erga patremque matremque essem, norat me necessariorum studiosum, rerum me mearum norat satagentem, norat qualem in magistratu me gessissem; Thesmothetæ enim honore functus ita sum, ut neque jus æquum perverterem neque largitionibus corrumperer. Hæc Apollodorus non ignorans, sed probe tenens, bonorum suorum me faciebat arbitrum, non alienum hominem unde unde arreptum sed sororis suæ filium, neque minutis quibusdam nostris officiis sed vel maximis obstrictus beneficiis, neque me animi ita abjecti atque degeneris ut passurus essem bona ejus pessum ire, quemadmodum hi passi sunt sui fratris bona pessum ire atque ad alios pervenire, sed alacriter prompteque functurum muniis et trierarchatus et militiæ in terra continente et choregatus, denique quæcunque vos imperaturi sitis libenter atque sedulo esse

exsecuturum, quemadmodum ipse quoque fuit. Atqui si et cognatus Apollodoro eram et amicus et bene de eo meritus et documentis mei datis hanc ei fidem feceram ut certus esset me talem esse, ecquis jam dubitet adoptandi mei consilium ab homine sanæ mentis profectum esse? Ego certe unum aliquod eorum, quæ mihi ab eo injuncta fuerunt, peregi: gymnasiarchatu enim functus fui in Prometheis hoc ipso anno splendide atque liberaliter, id quod omnes norunt tribules. Vera hæc a me dici confirmabunt hi testes, quos mihi abs te citari volo.

TESTES.

8. Hæc capita sunt, judices, illa juris, quorum freti auctoritate simus atque contendimus hereditatem Apollodori nostram esse et æquum esse nos ea potiri. Jam rogo vos, judices, obtestorque ut nobis faveatis tum Apollodori gratia tum Thrasylli qui pater ejus fuit, quos reperietis homines non nauci neque pœnitendos fuisse, sed imprimis frugi cives vestrique perquam studiosos. Pater Apollodori ut alia omnia obiit munia sumptuosa, ita trierarchatus quoque gessit alios ex aliis et tota pene vita continuavit, non sic ut trierarchi qui nunc sunt faciunt, quorum unusquisque sumptuum pene nihil facit in suam triremem armandam atque instruendam, societate cum aliis multis inita, sed solus per se, neque intercalandis otii biennii sed continenter, neque perfunctorie et dicis causa, sed naviter apparatu quam fieri potest lautissimo atque probatissimo. Quamobrem et vivum vos eum honoravistis, et exstincto, memores rerum fortiter ab eo præclareque gestarum, filio servastis atque reddidistis fortunas quibus spoliatus fuerat, eo quod earum prædones cogeretis legitimo domino eas restituere. Ad ipsum veniamus Apollodorum. Non is, ut hic Pronapis, censum exiguum professus [quo contributionum exiguis pensionibus defungeretur], sed ordini equitum adscriptus honores gessit illi ordini competentes, primarios eosque imprimis sumptuosos; neque vi studuit aliena bona legitimis dominis eripere, iisque clam incubare ut vos fructum eorum nullum perciperetis, sed facultates palam ad vos professus et habens in fundis et domibus, quascunque vos exigeretis, ea liberaliter et cum gloriæ studio præstitit: neminis cum injuria studebat de peculii sui vectigalibus personam in vita civili splendidam agere, existimans se decere, in semetipsum quidem sumptus facere modicos, quo sufficere posset impendiis; quæ autem superessent, ea necessitatibus reip. reservare. Sic factum est, ut muniis omnibus satisfaceret. Ecquam enim liturgiam non ad finem perduxit? aut ecquam contributionem pecuniariam non inter primos contulit? aut ecquibus partibus suis defuit? non aliquando choro puerili vicit, quem, choregum agens, ipse produxerat? cujus liberalitatis ab

Apollodoro demonstrata monumentum prostat tripus ab illo choro dedicatus in ipsius honorem. Atqui quæ sunt boni civis partes? Nonne cupiditatem aliorum, bona aliena ad se nil pertinentia justis dominis eripere contendentium, ita aversari, ut bona tua salva conservare atque tueri studeas? Nonne, cum resp. æris eget, inter primos censeri conferentes nullamque bonorum partem clam habere a necessitate contribuendi exemptam? Talis vero fuit Apollodorus: quapropter ei vos hanc merito retuleritis gratiam, ut ab eo factam de bonis suis constitutionem ratam habeatis vestraque approbatione confirmetis. Quid? quod me ipsum quoque civem reperietis non malum, neque contemnendum. Expeditionibus castrensibus, quotquot ætate mea reip. suscipiendæ evenerunt, omnibus interfui; imperata exsequor; id quod est officium civium id ætatis quod ego nunc ago agentium. Illorum itaque [Thrasylli puta atque Apollodori] pariter atque nostrum gratia [mei, inquam, meorumque parentum atque consanguineorum] prospicite nobis salutemque atque dignitatem nostram curæ cordique habete; præsertim cum hi [Pronapis ejusque consortes] domum quinque talenta valentem, quæ trierarchatus olim ferre soleret impendia, ad nihilum redegerunt, fundis divenditis, gentemque nobilem desolaverunt et in causa fuerunt ut ea prorsus exstingueretur, nos autem et gessimus quæcunque sunt munia sumptuosa et in posterum quoque geremus, si nempe vos Apollodori voluntatem ratam jubeatis esse, hereditatem hanc nobis sententia vestra addicentes.

9. Dicendi finem ut faciam, ne plura hac de re disserendo garrulus et putidus vobis videar, de suggestu statim descendam, postequam brevissimis summa capita juris, quo nostrum quisque fidit, perstrinxero. Nostra mater, o judices, Apollodori soror fuit; nulla eos unquam intercessit simultas, sed magna et perpetua caritate mutua semper fuerunt conjunctissimi; ego Apollodori sum e sorore nepos et filius, ab eo adoptatus adhuc superstite et mentis adhuc compote, et ab eodem in gennetas et phratoras inscriptus: quibus de causis hereditatem Apollodori postulo, ab ipso mihi donatam, habere cum pace vestra atque tenere, his autem ut copiam negetis domus desolandæ. Pronapis contra ecquid affert pro [uxore sua] eandem hereditatem petente? Æquum nempe censens sibique datam eam ut habeat teneatque pecuniam quam e vendita semisse redegit illius hereditatis quam frater uxoris suæ reliquit, contendit nunc hanc quoque rapere hereditatem, cujus adeundæ præstant alii jure potiore quam est ejus uxori, quamvis, ut in locum illius prioris Apollodori dudum ante defuncti nullum suffecit filium eoque domum illius passus fuit desolari, ita huic quoque posterius defuncto Apollodoro nullum sit filium suffecturus, sed hujus quoque domum pari modo passurus desolari; porro afferet Pronapis sibi suisque

cum Apollodoro nostro simultatem fuisse acerrimam et perpetuam nullaque compositione placatam. Hæc spectare vos decet, judices, et præterea hoc quoque meminisse, me Apollodori e sorore nepotem, illam autem [Eupolidis filiam, Pronapidis uxorem] ejusdem Apollodori consobrinam esse; item hoc, illam mulierem geminam adipisci hereditatem cupere, me vero unam hanc solummodo, in quam ab ipso ejus novissimo domino cum filii et heredis nomine immissus sum; illam haud benevolo fuisse animo erga eum a quo istæc hereditas relicta fuit, me autem avumque meum multa et magna in eum beneficia contulisse. Hæc omnia cum sedulo vobiscum eritis meditati, judices, sic tandem ponite calculum æquo juri consentaneum. Quæ plura dicam haud habeo, nullus dubitans, a me dictorum nihil vobis obscurum et dubium esse.

ISÆI

DE CIRONIS HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Cirone sine propriis liberis mortuo, fratris sui filius quidam ex patre vindicata sibi hereditate ab uxore illius bona accepit: postea hanc orationem recitans defert fratris filium, dicens illum Cironis nepotem ex filia esse, et uxorem mortui haud invitam nepoti hereditatem prodidisse, ut illi aliqua parte concessa reliquum sibi lucraretur. Et hoc quidem argumentum est, status vero conjecturalis: quæritur enim an hic ex filia Cironis legitimus nepos sit, an non. Attexitur et illi investigatio circa qualitatem: filius namque fratris negat, dicens etiamsi concedamus illam Cironis filiam legitimam esse, quando illa mortua est, nunc vero ejus filius litem intendit, anteponendus est filius fratris ex patre nepoti ex filia, secundum legem illam quæ præferri jubet marium posteros fœminarum posteris. Hic enim artificiose omnino hanc legem silentio suppressit: certat de parentum differentia, et ostendit quantum filia fratre consanguinitate propinquior est mortuis, tantum fratris filius antecellit. Corroboratur itaque hic justo et legitimo infirmatur: negotium vero rerum præcipuarum arte agitur accommodata.

1. Necesse tum est, judices, indignari, cum sunt homines, qui non solum aliena bona sibi arrogare de iisque tanquam de suis in jure contendere audeant, sed etiam jura a legibus constituta suis conclusiunculis eludere contendant: id quod hi quoque nunc perficere laborant. Avus enim noster Ciron cum non improlis decessisset, sed nos e filia natos sibi suffecisset pro liberis genuinis, hi nihilominus tamen hereditatem Cironis in jure petunt, prætendentes ei se in sanguine proximos esse, prætereaque hanc nobis contumeliam adspergentes ut nos e filia Cironis natos negent; nullam enim Cironi filiam fuisse. Quam ad impudentiam eos impellit et ipsorum aviditas, et facultatum magnitudo a Cirone relictarum, quas habentes tenentesque per vim et nefas raptas nobisque extortas, dictitare tamen nulli dubitant a Cirone nihil esse relictum: quod aientes, nihilominus tamen hereditatem ab eo relictam in jure petunt. Verumtamen existimandum est causam hanc mihi esse non tam cum eo qui nomen suum huic hereditatis petitioni accommodavit, quam potius cum Diocle Phlyense, vulgo Oreste cognominato: hic enim hunc [puerum Cironis ex fratre aut sorore nepotem] subornavit ut has turbas nobis daret; quo Diocles hoc agit, ut bonis nos fraudet iis quæ Ciron avus noster moriens nobis reliquit et hæc in discri-

mina nos conjiciat, ipse autem sibi bona illa propria habeat teneatque neque eorum quicquam reddat, si possit orationis suæ præstigiis hoc consequi ut vos decipiamini. Fraudes itaque tam turpes his machinantibus totam vos rem ex ordine doceri convenit, quo vos, nullam partem rei gestæ ignorantes, sed cunctam probe tenentes, sic demum de ea pronuncietis. Quodsi ergo alii cuipiam causæ a vobis dijudicandæ animum adjicitis, etiam huic, quæso, attendite, qua par etiam est. Judicia quanquam hac in urbe multa multis de causis agitantur, nulli tamen unquam fuerunt homines his hominibus impudentiores, quos constat legumque severitatem vestramque auctoritatem tam parvi fecisse, ut nullos alios magis. Arduum quidem est, judices, hominem usus forensis prorsus imperitum adversus apparatum causationum et subterfugiorum valde excogitatorum et e longinquo comparatorum et adversus testes falsa confirmare paratos in certamen descendere: verumtamen multa pascor spe foro ut æquum jus a vobis in hoc foro vestro obtineam, eoque sic saltim tolerabiliter dicam ut æqua et vera dixisse videar, nisi tale quid interveniat quod metuo ne nunc quoque eveniat. Quaptopter vos rogo, judices, ut hanc orationem meam benevolis auribus accipere, atque, si qua læsus injuria fuisse vobis visus fuero, mihi succurrere meumque jus vindicare velitis quatenus par est.

2. Primum itaque docebo hoc, matrem meam Cironis esse legitimam filiam, partim famam rerum olim gestarum nostraque memoria antiquiorum allegando sermonibus hominum atque testium affirmationibus traditam; partim testes producendo rerum earum, quæ sunt ejusmodi ut adhuc teneri memoria queant, gnaros, et qui iis dum gererentur interfuere; præterea quoque colligendo ex indiciis quorum fides ipsa testium fide est potior: quæ omnia ubi plana dedero atque extra controversiam posita, tum accedam ad docendum hereditatem Cironis mihi magis quam huic competere. Unde igitur illi disputationem hac de causa ipsi exorsi sunt, illinc ego quoque principium faciam vos si potero docendi.

3. Avus nempe meus, o judices, Ciron aviam in matrimonium duxit, consobrinam suam, quæ, cum matrem meam illi peperisset, anno ætatis trigesimo [aut, post triennium in conjugio exactum] vivis excessit: avus itaque, cui præter unicam illam filiam alii nulli liberi essent, animo ad secundas nuptias adjecto domum duxit Diocles hujus sororem, unde duo mares ipsi nati sunt. Sub hujus secundæ uxoris oculis avus filiam suam [matrem meam] educavit una cum maribus ex illa secunda uxore natis: et ad nubiles annos provectam, superstitibus adhuc ejus fratribus, nuptui elocavit Nausimeni Cholargensi cum dote viginti quinque minarum, partim in numerata pecunia partim in veste muliebri et mundo aureo pecunia æstimato. Triennio aut quadriennio post moritur Nausimenes e

morbo, nulla prole ex illa sua uxore relicta quæ postmodum nostra mater est facta: avus filiam cum e domo mariti defuncti in suam retulisset, neque dotem integram recuperasset ob afflictam Nausimenis rem familiarem, rursus elocat meo patri cum dote mille drachmarum.

4. Hæc itaque omnia si quis istorum causationibus et criminationibus opponat, quo pacto perspicue doceat vere facta esse? eo nempe quo ego verum indagans inveni. Fueritne mater mea Cironis filia necne, et num in domo ejus versata fuerit necne, et num Ciron ejus causa geminas nuptias festivis epulis concelebrarit an minus, et quamnam dotem unusquisque tulerit illorum duum quibus mea mater alii post alium nupsit, hæc omnia nota fuisse necesse est servis et ancillabus quæ illi [Cironi] fuerunt. Volens igitur ego, præter eos qui mihi præsto sunt testes, etiam e confessionibus, quas servi ancillæque edituri essent a quæsitione per tormenta expressas, hæc explorata et convicta dare, quo magis testibus fidem haberetis iis qui dictorum a se approbationem non adhuc daturi essent, sed jam dedissent, postulavi ab his [Diocle et consortibus] ut servos ancillasque ad quæsitionem traderent his de rebus quas modo commemoravi et de aliis si quæ cognitæ ipsis perspectæque essent. Verum hic idem [Diocles], qui mox postulabit a vobis ut testibus suis fidem habeatis, explorationem rei per tormenta defugit. Atqui si convincetur oblatam a me conditionem ab eo repudiatam fuisse, quid testibus iis, quibus ille utetur, manebit reliquum præter hoc unum, ut causam falsam et mentitam testimonio mercenario incrustasse videantur, quandoquidem hic [Diocles] tam certo et decretorio argumento uti noluerit? Nihil profecto, mea quidem sententia. Quo autem constet vera me dicere, cape tu primum hoc testimonium et recita.

TESTIMONIUM.

Vos itaque quidem, judices, et publice et privatim quæsitionem per tormenta servorum certissimam atque firmissimam habetis fidei approbationem; et in causa ubi cum ingenuis servi quoque intervenient, si quid quæratur quod erui et in lucem proferri e re sit, testimoniis ingenuorum nil utimini, sed per servorum tormenta conamini rerum gestarum de quibus dubitatur certitudinem expiscari. Et merito quidem ita vos, judices, proceditis; bene gnari testium haud paucos testimonia dixisse visos fuisse mentita, servorum autem tormentis subjectorum nullus unquam fuit qui convictus esset falsa sub tormentis edidisse. Hic vero [Diocles] postulabit ut commentitiis suis prætensionibus testibusque ad falsa confirmandum mercede redemptis fidem habeatis, cum ipse fidei documentum tam certum et fallere nescium defugerit? Nos vero ita non agimus, sed prius

ad servorum per tormenta quæsitionem procedi postulamus, æquum id esse judicantes; hos autem tam æquam conditionem defugientes producimus, eoque facto sic demum poscimus ut fidem testibus nostris habeatis. Cape tu hæc testimonia et recita [judicibus] hisce.

TESTIMONIA.

Quosnam consentaneum est vetusta nosse? scilicet eos qui avo familiariter usi sunt. Jam hi eo modo testimonii, qui ἀκοὴ [inauditio, fama, relatio] usurpatur, testati sunt. Quosnam porro necesse est de meæ matris in matrimonium elocatione nosse? Nimirum eos quibus illa desponsa fuit, nec non eos qui sponsalibus interfuerunt. Jam testati sunt Nausimenis necessarii hac de re una cum patris mei necessariis. Quinam tandem norunt matrem meam Cironis esse genuinam filiam in domoque sinuque patris sui Cironis educatam? Hi ipsi qui, quæ ego nunc aio, ea in controversiam vocant; eo enim quod mancipia ad quæsitionem tradere recusarunt, e quibus harum rerum veræ rationes omnium certissime explorari poterant, ipso facto palam testati sunt se nosse vera esse omnia quæ aio. Quapropter vos utique, judices, non nostris testibus, sed horum, diffidetis.

5. Verum præter hæc argumenta sunt nobis adhuc alia quoque in promptu, unde cognoscatis nos Cironis esse genuinos liberos. Ciro nempe nos iis modis accepit habuitque, quibus ab avo materno nepotes accipi atque haberi par et consentaneum est: sacrificium sine nobis nullum unquam fecit, sed sive minus sive majus offerret sacrum [minoribus diis majoribusve faceret], ubique locorum atque temporum ei nos intereramus et sacrum una cum avo peragebamus. Neque ad talia solummodo arcessebamur, sed etiam per Liberalia nos secum rus ducebat semper, in spectaculis assidebamus ipsi, diesque festos apud eum agebamus omnes. Nulli numini addictior erat, quam Jovi Ctesio [vel Peculio, aut Locupletatori], eique sacra facere imprimis contendebat: quæ sacra faciens neque servum neque ingenuos alienos admittebat, sed ipse per sese laboribus tum convenientibus defungebatur; nos tamen horum sacrorum faciebat participes, manuum operam illi accommodabamus, in componendis tignis extisque adjuvabamus aliaque ministeria præstabamus, et ille inter vota faciendum a deo precabatur ut prosperam valetudinem, rem florentem, et quæstus ubertatem nobis quoque largiretur; id quod eum facere consentaneum quoque erat qui avus nobis esset. Atqui, nisi nos filiæ suæ liberos duxisset solosque sibi reliquos factos nepotes, nunquam horum quicquam fecisset, sed hunc sibi adjunxisset, qui Cironis e sorore nepotem se fert. Vera hæc a me dicta esse omnia, norunt quidem omnium certissime avi famuli, quos

hic [Diocles] nobis ad quæsitionem deposcentibus denegavit; verum etiam eorum aliqui norunt liquidissime, quibus amicis avus familiariter usus fuit, quos ego vobis testes edam. Cape tu mihi hæc testimonia, atque recita.

TESTIMONIA.

6. Verum non ex his solis liquet matrem nostram Cironis esse genuinam filiam, sed ex actis quoque nostri patris, item e decretis quæ uxores demotarum patris super ea sciverunt. Pater enim, nuptias cum matre celebraus, tres quosdam e numero familiarium suorum ad epulas nuptiales invitavit præter necessarios, et τὴν γαμηλίαν [seu victimam nuptiarum ergo phratriæ donandam] in phratriam intulit prout mos est penes illos phratoras. Demotarum quoque uxores eam postmodum una cum uxore Dioclis [non hujus, sed alius], Pitthensis puta, delegerunt, quo hæ duæ mulieres principes pompæ muliebris essent, in Thesmophoriis solenniter ad templum Cereris procedentis, et ut hæ duæ sacra vetusto ritu facerent. Pater quoque noster, ut nati fuimus, in phratoras nos induxit, jurejurando dicto nos sibi e cive Attica legitime sibi desponsa ex edicto legum in republica obtinentium natos esse: phratorum ibi nullus oblocutus est neque veritatem rei jurejurando confirmatæ in dubium adduxit, tametsi phratorum magnus esset numerus iique hæc talia [ubi de liberis agitur in cœtum suum inferendis] perquam severe atque acerbe scrutari soleant. Atqui existimare vos oportet, ea si fuisset mater nostra quam hi prædicant, patrem nostrum neque nuptias ejus nomine fuisse celebraturum neque nuptiale sacrum in phratriam illaturum, sed potius conjugium a se cum illa initum occultum fuisse habiturum: reliquorum quoque demotarum uxores eam nunquam delegissent ad sacra una cum Dioclis uxore faciendum neque sacra sua illius arbitrio fideique commisissent, sed potius alii cuicunque matronæ tantam rem permisissent: phratores item in collegium suum nos non cooptassent, sed accusassent potius natalia nostra claudicantis ingenuitatis eorumque vitium in apertum protulissent, nisi matrem nostram genuinam Cironis esse filiam undecunque testatum et apud omnes in confesso fuisset. Jam vero nihil horum unquam in controversiam venit, ut in re invulgata et ore hominum omnium concelebrata. Vera hæc a me dici quo constet, cita tu mihi hosce testes.

TESTES.

7. Præterea illa ipsa, quæ Diocles ab excessu avi nostri gessit, satis, o judices, produnt, constitisse inter omnes Cironis e filia nepotes nos esse, ipsumque adeo Dioclem nos pro talibus palam agnovisse. Veniebam scilicet ego Cironis ad domum, cadaver ejus

illinc meam in domum asportatum, ut e qua vellem funus efferri: habebam mecum aliquem necessariorum, patris mei consobrinum, testem mihi futurum eorum quæ tum interventura videbantur esse: ibi ego Dioclem quidem domi Cironis haud reperi, ingressus tamen in domum accingebar ad funus illinc in domum meam transferendum, habens mecum servos ad bajulandum. Verum intercedebat uxor avi, supplicans ut ego vellem e domo sua funus avi efferre, spondens operam a se nobis præstandam in corpore avi tractando, lavando, et adornando [vel pollingendo]: permovebar, judices, ab oratione supplicantis lacrymisque quibus eam orationem prosequebatur, ut ad Dioclis domum accederem, cui coram testibus significabam me decrevisse Cironis e domo funus ejus efferre; idque dare precibus et obtestationibus viduæ, quæ esset ipsius [Dioclis] soror. Diocles ista ex me audiens nil obloquebatur, hæc tantummodo admonebat funeris ergo esse nescio quid emptum, cujus de pretio reddendo se arrha danda cavisse: rogabat ergo ut pretium sibi redderem, curabatque sibi a me statim sponderi de pretio rerum emptarum reddendo, et, quibus a se datam aiebat arrham esse, eos se ad me adducturum esse mihique coram exhibiturum, affirmantes a Diocle sibi esse satisfactum. Protinus itaque Diocles velut obiter et aliud agendo sermoni suo immiscebat mentionem æris alieni Cironis ergo contracti, quasi Ciron nihil in facultatibus reliquisset; quanquam ego nihil dum de facultatibus Cironis quærebam. Atqui, si Cironis ego e filia nepos non fuissem, profecto nunquam Diocles illud mecum fuisset pactus, sed hac potius oratione me repulisset: Tu vero cujus es? quid tibi cum funere Cironis? ego te non novi; noli meam in domum intrare. Hac cum oratione uti tum decebat, quam nunc alios induxit ut mihi ingererent: tum vero nihil horum ipse ad me, sed hoc potius, ut operam darem ut die post æs sibi persolverem. Testes tu mihi cita confirmaturos hæc a me vera dici.

TESTES.

8. Neque Diocles solummodo se a tali oratione abstinuit, verum etiam hic ipse qui [ab eo instigatus] nunc mecum super hereditate Cironis contendit; nunc autem is a Diocle subornatus mecum contendit. Qui Diocles quæ machinaretur altero statim die prodidit: ego enim æs pactum Diocli daturus cum afferrem, noluit ille accipere, præ se ferens ab hoc [competitore meo] sibi jam esse satisfactum; nemo tamen ideo me prohibebat quominus in curando Cironis funere præsto ipsis essem, sed rebus in omnibus operam cum illis communem navabam de meoque sumptus præbebam, hi autem de alieno; nam neque hic [competitor meus] neque Diocles de suo erogabant, sed ex hereditate a Cirone relicta. Atqui, si Ciro avus

mihi non erat, oportebat hunc ipsum quoque [competitorem meum] me extrudere, eliminare, a societate operæ in pollingendo me arcere. Non enim eramus nos ambo conditione pares: nam ego equidem eum sinebam [et poteram quoque salvo jure meo sinere] in avi funere curando mecum assiduum esse, quippe qui ejus e sorore nepos esset; illius autem intererat et decebat adeo eum non pati ut ego secum contumulandi Cironis operam participarem, si vera erant ea quæ nunc audent jactare. Verumenimvero tam erat rei veritate perculsus, ut ne tum quidem, cum ego e suggestu verba faciens [in oratione parentali] de Diocle quererer, qui tum Cironis hereditate me spoliatum iret, tum hunc [competitorem] mihi immitteret litem super hereditate mecum exorsurum, ut, inquam, hic competitor ne hiscere quidem tum contra auderet, nedum ut ea proferret quæ nunc jactare nil eum pudet. Vera hæc a me dici quo constet, cita tu mihi testes.

TESTES.

9. Unde fas est fidem dictis adstrui? ecquid vos ad credendum inducere debebit? non testimonia? Arbitrer equidem. Unde autem testium testimonio fides constabit? Non e quæsitione servorum per tormenta? Par id utique est atque consentaneum. Ecquid porro vos movebit ut horum [competitoris mei et Dioclis atque consortium] orationi diffidatis? Non hoc, quod adminiculis coarguitionis uti recusarunt? Caret id quidem omni dubio. Qui ergo fiat, ut dilucidius quisquam doceat Cironis filiam genuinam meam matrem esse, quam si doceat eo modo quo ego docui? primum quidem de rebus ætate patrum gestis eos testes exhibens, qui affirmarent se ista a majoribus natu dudum defunctis audisse sibi narrantibus; tum de recentioribus testes producens adhuc superstites, qui quibus de rebus testarentur eas res omnes probe cognitas perspectasque haberent earumque bene essent conscii, ut qui scirent matrem meam in domo Cironis pro filia educatam, bis cum dote elocatam, bis desponsam; præterea hos ipsos [adversarios meos] certissimam hisce de rebus convictionem ex ore servorum defugientes, qui servi ista omnia probe norant. Ego equidem, ita me dii ament Olympii, documenta majora et luculentiora iis quæ attuli haud habeo afferre; quanquam quæ attuli satis ea fore arbitror idonea.

10. Agedum, docebo jam nunc bona Cironis jure potiori atque propiori mihi competere quam huic; quanquam vobis ipsis, judices, ultro jam dudum hoc planum et perspicuum arbitror esse, in gradibus consanguinitatis non collaterales aliquem propius attingere quam recta in linea descendentes — ecqui etiam secus sit? alteri enim modo sunt *συγγενεῖς*, seu cognati alicujus, alteri vero sunt et appellantur *ἔκγονοι*, seu ex eo nati —: verum quia rebus ita sese habentibus nihilominus tamen hi petere audent hereditatem, etiam

a jure civili et diligentius adhuc docebo. Nam si mea mater, quæ Cironis est filia, in vivis adhuc superesset, et Ciron decedens de hereditate sua nihil constituisset, et hic [competitor] is non esset, qui est, Cironis e sorore nepos, sed esset, qui non est, Cironis frater, foret quidem penes eum si vellet mulierem [filiam Cironis] in matrimonio habere; at non ideo tamen bonorum Cironis foret ille compos, sed liberi ex ipso et filia Cironis nati, posteaquam secundum a pubertate annum excessissent: sic enim leges edicunt. Quodsi ergo hic [frater commentitius Cironis si esset] muliere adhuc superstite potitus Cironis bonis non fuisset, tametsi filiam ejus in matrimonium duxisset, sed liberi ejus ex illa muliere nati, paret illa muliere vivis exempta non illi [competitori meo] ejusque fratribus competere jus hereditatis Cironeæ adeundæ, sed nobis quos illa liberos reliquit.

11. Verum non ex hac sola lege id elucescit, sed ex alia quoque idem colligitur, illa, inquam, quæ pœnas sancit in liberos, qui parentes male, duriter, contumeliose, et crudeliter tractant. Avus enim si adhuc superesset, in rebus adversis, necessitatum vitæ egens, non hic hoc e titulo parentum indignis modis acceptorum foret incusabilis, sed nos essemus. Sancit enim lex parentes a liberis alendos esse; sunt autem parentes pater et mater et avus cum avia et horum item pater atque mater, si adhucdum supersint: hi enim sunt principium stirpis, et eorum bona liberis atque nepotibus a legibus contribuuntur; hac de causa necessario quoque illis incumbit cura eos alendi, etiamsi in facultatibus prorsus nihil relinquant. Qui igitur æquum sit, eos parentes si neglexerimus alere a quibus facultatum nihil ad nos pervenerit, ideo nos culpabiles animique erga parentes ingrati atque immemoris reos fieri; sin autem bona reliquerint, illorum bonorum heredem hunc esse [in quo actio in liberos ingratos plane nullum locum habet], nos excludi [qui legis hujus pœnis obnoxii simus]? Nequaquam.

12. Juvat, judices, ad gradum consanguinitatis unum, sed illum principem, mente et oratione accedere cum eoque articulum quemque stirpis seorsim conferre, et identidem vos interrogare, uter sit a defuncto propior et hereditatis jure potior, an quicunque intra genus et prolem defuncti est, tametsi gradu quamvis remoto, an ille qui in numero consanguineorum locum vel principem tenet: sic enim facillimo negotio intelligetis. A Cirone quoad gradum consanguinitatis uter propius abeat, filia an frater? Filia utique: nam *ex* ipso nata est Cirone, frater autem solummodo *cum* Cirone natus est. At filiæ liberi propriores ne sunt, an frater? Liberi filiæ utique: sunt enim *genus*, vel proles, non *cognatio*. Quodsi ergo fratre sumus potiores, quanto hunc magis antecedemus, qui non frater sed sororis filius est? Verum vereor, ne nimis protrita pro-

ferens ego vobis molestus fiam. Omnes enim vos paternas, et si quæ aliæ adhuc anteriores sunt hereditates, aditis propinquitatem adepti ex genere incontestabilem atque incompetibilem [h. e. ex titulo propinquitatis, quia eorum proximi estis, per sanguinis communionem; quo fit ut necesse non habeatis ejusmodi hereditatum aliquam in jure petere]: et profecto nescio an nulli antehac hujusmodi certamen unquam decertandum fuerit. Recita tu legem de liberis parentes male habentibus, quo facto vos docebo, judices, quamobrem in hujus certaminis molestiam conjectus fuerim.

LEX.

13. Cironi nimirum hæc erant in facultatibus: prædium apud Phylas facile talentum valens, tum duæ domus in urbe, altera elocatitia, apud fanum Bacchi in Limnis, viginti minas valens, altera, quam ipse inhabitabat, tredecim minas valens: præterea mancipia mercedem ferentia et duæ ancillæ et una puella, et supellex domestica tuendæ rei familiari necessaria, tredecim fere minas valentia; universa autem bona immobilia, plus quam nonaginta minas: denique nummorum erat haud parum fœnori elocatum, unde usuras sufferebat. Bonis hisce Diocles una cum sorore jamdudum insidiatus est; id quod ex eo constat. Moriebantur ambo pueri, quos Cirón e sorore Diocli susceperat; potuerat itaque Diocles sororem suam statim a morte illorum puerorum a Cirone ablatam alii cuipiam nuptui collocare qui ex ea liberos quæreret; erat enim mulier ea tum ætate ut potuisset adhuc ex alio parere: Ciron enim jam effœtus erat: verum Diocles id facere noluit, idque ideo quo Ciron de bonis suis ne quid constitueret uxore alio elocata; persuasit itaque Diocles sorori ut penes Cironem maneret, identidem causans ex eo se gravidam esse, sed abortum passam at invitam: id quod eo faciebat, quo Ciron ex alio in aliud tempus vana lactatus spe novæ prolis adipiscendæ neutrum nostrum [h. e. neque me neque fratrem meum] filium adoptaret; patrem quoque meum Diocles nunquam non maliliosis criminationibus insectando suspectum Cironi infestumque reddere studuit, ut bonis ejus inhiantem atque insidiantem. Cironi quidem blandimentis et lenociniis orationis persuasit, ut tum pecunias in fœnus elocatas usurasque inde redeuntes tum bona immobilia a se administrari pateretur; et profecto perquam facile factu erat, ut hominem natu jam grandiorem studiis et sedulitate otio ejus atque commoditati inserviendi irretiret: et hoc modo bona Cironis omnia Diocles sui juris fecit. Gnarus autem me aliquando eorum de jure futurum esse arbitrum, avo e vivis sublato, non aditu quidem ad avum me exclusit neque congressibus et consuetudine ejus me arcuit; metu ne ira percitus simultates secum susciperem: verumtamen aliquem mihi suscitavit

atque subornavit competitorem, cui operæ pretium hereditatis partem pretnisit millesimam, si res ex animi sui sententia prospere successisset, totam sibimet ipsi jam destinatione arrogans, et spe præcipiens; et non ad me solummodo, sed ne ad hunc quidem [competitorem meum] fatebatur avum in bonis quicquam reliquisse, sed prorsus negabat quicquam superesse. Quam primum Ciron animam reddidisset, vestem ei feralem ipse comparavit, cujus pretium ut ego dependerem mihi mandabat coram testibus, quorum ex ore ipsi audivistis idem affirmantium; verum post, ea illud afferente me refundendum, simulabat se non posse id a me accipere, nam ab hoc [competitore meo] sibi jam esse refusum; quibus malitiosis artibus et vafris commentis hoc agebat Diocles, ut latenter me de jure meo avum sepeliendi detruderet, ut, non ego, sed ipse Cironem sepelisse videretur [eoque jus hereditatis petendæ adipisceretur; defunctos enim non nisi proximi cognati atque heredes sepeliebant]. Diocle itaque de domo hac [in qua ætatem degit Ciron] et universis de bonis ejus controversiam mihi movente, atque negante ab avo quicquam relictum esse, consultum haud ducebam per vim et armata manu corpus exanime avi ex illa domo in meam a me transferri; tempus enim id minus erat opportunum: sinebam itaque corpus quidem illa in domo manere, præsertim amicis hoc consilium meum probantibus; verumtamen una cum illis [uxore avi, ipsoque Diocle, et competitore ab hoc adversus me subornato] funus avi curabam et una exsequias ibam: sumptus e bonis ab avo relictis depromebantur. Hæc ad hunc modum invitus atque coactus agebam; quo tamen hac quoque in re me potiores ne essent, neque illis quicquam prodesset illa machina mihi structa ut coram vobis jactaret me nihil ad funeris sumptus contulisse, de consilio jurisperiti, quem hac de re consultum ieram, de meo ære sumptus funeris erogavi et novemdialia sacra in tumulum intuli quam lautissime atque apparatissime poteram, quo sacrilegium hoc ipsis exscinderem [h. e. quo eriperem ipsis hunc prætextum hereditatis petendæ, quod in Cironis funus erogassent sumptus; quo facto deorum manium religiones temeratæ fuissent, atque sacrilegium commissum, in officium curandi funeris intrudentibus sese iis, qui, cum essent a cognatione defuncti alieni, non possent non manibus ejus molesti esse, eosque interturbare], et quo hi ne viderentur omnia, ego autem nihil impendisse viderer, sed perinde ego impenderem atque illi fecissent.

14. Hæ ferme sunt res gestæ, et hæc causæ litium atque molestiarum inter nos coortarum: verum aliis quoque in rebus si noritis, judices, quanta sit hujus Dioclis cupiditas atque impudentia, nemo vestrum sit futurus qui orationi meæ fidem deneget. Pauca solummodo mihi licebo ejus documenta commemorare. Tres erant

sorores, non eodem quidem patre cum ipso, at eadem tamen matre editæ: has sorores Dioclès hereditate a patre ipsis relicta fraudavit eo quod affirmavit ab ipsarum patre filium se atque heredem bonorum esse scriptum in testamento, quod ille nullum scripsisset, et sic furatus est splendidam quæ ei nunc est substantiam. Et cum ejus rei causa mariti duarum de his tribus sororibus in jure eum persequentes pecunias reposcerent, alterum quidem, majoris natu sororis maritum, ita laqueis captiosæ jurisprudentiæ forensis irretivit ut tandem damnaretur atque infamia notaretur, ipse autem Diocles ab isto actione contumeliæ oblatæ exagitatus ei pœnas nullas unquam dedit: sororis autem alterius, ab illa secundæ [seu mediæ], maritum per servum de medio sustulit, quem servum ex urbe clam exportavit et alio ablegavit [ne per ejus indicium tormentis subjecti suum scelus patesceret], sceleris autem causam in sororem suam retorquebat; qua impuritate atque immanitate sua cum eam perculisset [ut illa perterrita desisteret ulteriore sceleris quæsitione atque ultione], factus tutor filii quem illa peremptо pepererat, hunc suum e sorore nepotem Diocles bonis omnibus denudavit, fundos ei ademit uberes, eorumque loco alios in solo saxoso sitos dedit. Hæc a me vera dici testari possunt hi testes; verum vereor ne potentiam Dioclis reformidantes verum dicere nolint, quanquam alias eos novi libenter verum dicturos. Quodsi ergo hi citati parere atque testari recusent, alios exhibebo non minus probe hæc omnia tenentes. Cita tu mihi hos primos.

TESTES.

15. Homo itaque tam ferox et violentus ut ipsas sorores suas bonis paternis everteret, eo quod hujus sceleris pœnas illis nullas dedit, cupiditatis atque audaciæ processit illuc ut nunc in avi nostri bona involatum eaque nobis ereptum eat; quod ut consequeretur, hunc [competitorem meum] promissa — ut audio — duarum minarum mercede corruptum induxit ut mecum de hereditate nihil ad eum attinente contenderet; quæ contentio si exitum nobis adversum sortiatur, in discrimen nos adducet, non substantiæ modo, sed ipsius adeo patriæ amittendæ. Nam si vos hujus mendaciis decepti credatis ei neganti matrem nostram civem fuisse, nos fratres pariter quoque cives non erimus, quippe post Euclidem Archontem nati. Videturne jam vobis Diocles levem mihi litem movisse? Et avo quidem itemque patre nostro adhuc superstitibus vitio carebamus omni; de jure civili nemo nobis controversiam movebat: illis autem sublatis, tametsi hanc adeo causam vincamus, ignominia tamen hac laborabimus, quod de statu civili mota nobis fuisset controversia per hunc Orestem [furiosum] quem dii male perdant, qui, quanquam mœchus in adulterio deprehensus ideoque passus ea sit

quæ mœchos in flagitio deprehensos pati mos et fas est, nihilo tamen ideo magis ab insana illa sua libidine matresfamilias corrumpendi desistit, de quo qui eum norunt ejusque conscii sunt flagitiorum testari possunt. Verum de moribus, quorum attigisse parum quid in præsentia satis habeo, plura postmodum audietis, judices, cum actionem in hunc ipsum Dioclem instituam: nunc autem vos etiam atque etiam supplex rogo, nolitis committere ut ea mihi injungatur contumelia, bona ab avo relicta mihi ut eripiantur, sed succurrite mihi hoc discrimine circumsepto quoad quisque vestrum pro sua virili parte potest. Documenta satis certa et valida habetis a me prolata, e testimoniis testium, e confessionibus mancipiorum tormentis subjectorum, ipsis denique a legibus, quibus ex omnibus discatis et liberos nos esse filiæ Cironis legitimæ atque genuinæ, et nobis ideo potius hereditatem quam his competere, qui nepotes Cironis simus. Memores itaque jurisjurandi, vi cujus a vobis dicti sedetis ad judicandum, argumentorumque a nobis prolatorum, legumque memores, pronuntiate hac in causa id quod justum et æquum est.

16. Haud video quid amplius afferre debeam: non enim videmini de ullo eorum quæ dixi adhuc incerti esse aut id minus recte tenere. Cape tu testimonium hoc quod unum adhuc superest, et recita ipsis, quo certi fiant Dioclem hunc aliquando in adulterio deprensum fuisse.

ISÆI

DE ASTYPHILI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Astyphilus et ille qui hanc causam recitat fratres ex eadem matre: mortuo autem Astyphilo Cleon quidam illius consobrinus testamentum protulit, dicens illud in illius filium esse factum. Astyphili vero frater refellit testamentum ut fictum. Status causa est conjecturalis.

1. Utrarius erat mihi, judices, frater Astyphilus, cujus fuit hereditas hæc de qua nunc contenditur; is cum exercitu missus ad Mitylenem cum dignitate præfecti diem ista in expeditione obiit supremum. Faciam nunc id quod facturum in contrajuramento recepi, hoc est planum faciam, hunc Astyphilum neque aliquem sibi filium adoptasse, neque domesse bona sua cuiquam, neque testamentum a se scriptum reliquisse; quapropter alii nemini convenit Astyphili bona habere, quam mihi. Nam Cleon hic Astyphili consobrinus est, ita ut patres amborum fratres fuerint; quo fit ut Cleonis filius, cujus filii sui ergo Cleon hic mecum contendit, Astyphilo a patre pro filio suffectus, Astyphili sit consobrini filius. Atqui Cleonis pater aliam in domum fuit emancipatus, qua in domo illi omnes [pater Cleonis puta, et Cleon ipse, cum filiis] adhuc sunt; qua de causa non contingunt Astyphilum vi leges eos a consanguinitate excludentis. Conscii itaque ipsi sibi cum essent hac ex parte nullum sibi jus in Astyphili bona esse, commenti sunt et subjecerunt testamentum id, quod ego me demonstraturum spero falsum esse, per quod eripere mihi atque extorquere conati sunt bona fratris mei: et ut pridem speravit hic Cleon, ita adhucdum sperat, et tam firmiter sperat neminem alium præterquam se habiturum esse Astyphili bona, ut, quamprimum nuncius de morte Astyphili huc perferretur, quo tempore pater meus æger decubabat et ego in castris peregre agebam, hic Cleon in possessionem prædii ab Astyphilo relicti, et si quid adhuc aliud ei fuisset, immigrarit, eaque omnia sui jactarit esse filii, vel antequam vos de successore in istam hereditatam decrevissetis. Et nihilominus tamen, ut huc perlata sunt Astyphili ossa, ille, qui se dudum pro adoptato ejus filio gesserat, neque spectatum exposuit Astyphili corpus neque humavit, sed amici Astyphili atque commilitones, videntes patrem meum ægrotantem, me autem urbe

absentem, ipsi et proposuerunt et reliqua omnia justa peregerunt patremque meum adhuc ægrum ad tumulum Astyphili adduxerunt, certi manes Astyphili eum libenter atque gratanter esse admissuros. Hujus rei vobis familiares Astyphili testes præstabo, quippe qui rei tum gestæ interfuerunt.

TESTES.

2. Astyphilum itaque a Cleone non esse humatum, neque ipse Cleon infitiabitur, et hi testes vobis confirmarunt: ut autem ab expeditione militari redieram, cernens hos [Cleonem cum consortibus] possidere bona Astyphili eorumque fructus percipere, audiensque ipse e Cleone, cum diceret filium suum ab Astyphilo esse pro filio adoptatum per testamentum, quod depositum esset penes [matris meæ fratrem] Hieroclem Hephæstidam, statim ad hunc Hieroclem accedebam, bene quidem gnarus Hieroclem Cleoni imprimis familiarem esse, verumtamen haud opinans eum ausurum esse mendacium de Astyphilo dicere, quasi egisset Astyphilus id quod non egit, idque eo tempore dicere quo Astyphilus utpote vita defunctus jam non amplius posset Hieroclem mendacii coarguere, præsertim cum Hierocles meus una atque Astyphili avunculus esset. Verumenimvero Hierocles, o judices, nihil horum pensi habens, de testamento a me interrogatus respondit id penes se esse depositum ab ipso Astyphilo, in procinctu stante, cum classe Mitylenam proficiscendi. Hieroclem hac ad me usum esse oratione quo certiores fiant hi, recita tu ipsis hoc testimonium.

TESTIMONIUM.

3. Quoniam igitur, o judices, nemo necessariorum Astyphili præsto fuit e vita excedenti, egoque tum in urbe non fui cum ossa ejus huc referrentur, necesse mihi est ex horum ipsorum sermonibus falsitatem hujus testamenti, quod ab Astyphilo scriptum et relictum esse commenti sunt, coarguere. Est nempe consentaneum Astyphilum non uni illi rei solummodo dedisse operam ut aliquem sibi filium adoptatum relinqueret, sed una hoc quoque acturum fuisse ut, quæ per testamentum constitueret, ea firma et rata essent, et, quem sibi filium adscisceret, ut is quoque facultatibus suis potiretur, ad aras que majorum accederet, iisque una sibique vita defuncto justa et ritu vetusto consecrata faceret: credere par est haud fugisse Astyphilum, tum cum maxime fore ut hæc omnia sibi et evenirent et firma essent, si non sine necessariorum consilio atque conscientia testamentum conscriberet, sed adscitis potius primum quidem necessariis, tum vero etiam phratoribus atque demotis, et denique reliquorum familiarium tot numero quot modo cogere pos-

set; hoc enim facto futurum, sive quis ex titulo consanguinitatis sive ex titulo legati hereditatem ejus peteret, ut is, si jus emendum prætenderet, falsi quam facillime convinceretur. Atqui constat inter omnes Astyphilum horum omnium nihil egisse, neque amicorum illorum, quos modo dicebam similibus in negotiis ad dandum consilium atque ad testandum advocari, ullum adhibuisse, cum testamentum illud quod hi jactant scriberet, nisi quis forsitan ab his subornatus et mercede obstrictus aiat se affuisse. Ego vero contra, quos ejusmodi rebus atque temporibus adesse dixi solere atque debere, illos omnes producam ad vos, judices, testimonio suo confirmaturos quæ dixi vera esse omnia.

TESTES.

4. Forsitan igitur Cleon negabit æquum esse, ut sinatis penes vos ullum locum aut valorem esse argumentis a silentio ductis: derogabit auctoritatem omnem testibus negantibus sibi constare ab Astyphilo scriptum unquam fuisse testamentum. Ego vero contra censeo in ejusmodi causa, ubi quæratur scripseritne Astyphilus testamentum necne, et filiumne sibi adoptarit necne, testimonium nostrorum testium, qui sunt Astyphili necessarii atque familiares, negantium se præsto fuisse Astyphilo rem summi momenti agenti, multo validius esse debere quam testimonium hominum nulla necessitudine cum Astyphilo conjunctorum, tametsi aiant se interfuisse. Et ipsum adeo quoque Cleonem decebat, o judices, hominem stultitiæ fama profecto non laborantem, cum filium ipsius Astyphilus adoptatum ejusque rei causa testamentum scriptum iret, quotquot nosset Astyphili consanguineos in urbe tum præsentes, et alios quoscunque ullo modo vel leviter tantum Astyphilo notos eoque usos, eos omnes advocare, quo actui illi interessent. Nam profecto nemo potuisset Astyphilum impedire neque retinere quominus faceret, si cui voluisset bona sua dono dare; et Cleoni multum profuisset hoc argumentum, ab Astyphilo testamentum illud clam non fuisse scriptum. Præterea quoque, judices, si Astyphilus consilium suum de Cleonis filio sibi adoptando et de testamento scribendo celare omnes omnino voluisset, consentaneum erat illis in tabulis prorsus neminem testem scribi: quod si autem testes subscripsere, eoque constat testamentum coram testibus scriptum esse, sed iis, non qui Astyphilo familiariter usi sunt, sed obviis quibusque et de trivio correptis, qui æquum sit existimare testamentum illud vere scriptum ab Astyphilo fuisse? Nam ego equidem non autumo quemquam esse, qui volens filium sibi adsciscere ita inconsulto agat, ut alios illi actui testes et auctores advocet, quam illos ipsos, quos pone se relicturus sit sacrorumque civiliumque jurium quibus ipse olim usus sit sui loco participes. Neque pudori debet quisquam sibi ducere,

si testes adhibeat ejusmodi testamento quam plurimos, lege veniam cuique dante cuicunque velit bona sua delegandi.

5. Sed et tempus spectate, judices, quo hi aiunt testamentum esse scriptum. In procinctu nempe scriptum aiunt esse expeditionis Mitylenææ: quod si verum est, constat Astyphilum futurorum fuisse præscium. Quanquam enim sæpe versatus est in castris (nam primum quidem ad Corinthum, deinde in Thessalia, tum Thebano bello interfuit, denique quocunque locorum mitti copias cerneret, eo ipse quoque proficiscebatur partes agens lochagi [seu centurionis]), nunquam tamen illorum temporum omnium testamentum condidit: in apparatu autem illius ad Mitylenam expeditionis condidit, scilicet si his auctoribus credimus; quæ expeditio non modo illi postrema fuit, sed etiam in ea diem supremum obiit. Eccui jam vestrum omnium credibile videatur, qui Astyphilus toties in castra proficiscens testamentum nullum condidisset, tametsi sciret sibi perinde in illis omnibus expeditionibus fatalem necessitatem imminere, ei tum demum neque citius sagacitatem mentis fuisse in prospiciendis rerum futuris cum eventa fortunæ tam consentanea? nunquam antea de rerum suarum parte vel minima stans in procinctu constituerat; jam vero voluntarius ibat in expeditionem, unde vel maxime spes ipsi erat, utpote voluntario, fore ut salvus inde domum rediret: qui probabile est et ei tum in mentem venisse mox e porta soluturo adscriberet testamentum, et fatale quoque fuisse ut domum non rediret?

6. Verum adhuc luculentiora dabo, judices, argumenta, quæ certiores vos reddant nil sinceri hosce comminisci. Planum nempe vobis faciam, hominum omnium Astyphilo unum fuisse Cleonem inimicissimum; quod odium justis de causis susceptum fuit tantum ut Astyphilus, si testamentum scribere voluisset, citius videatur ei clausulam hanc adjuncturus fuisse, ut cum Cleone ne sermones quidem consereret cognatorum suorum quisquam, quam ut filium ejus sibi filium adscivisset atque heredem scripsisset. Thudippus enim hujus Cleonis pater Astyphili patri mortem atrocitate verberum conscivisse dicitur, quæ verbera jurgio super hereditate cernenda inter illos oborto pater Cleonis Astyphili patri inflixit: tam immaniter Thudippus Euthycratem Astyphili patrem fertur tum commulcasse, ut in morbum incideret Euthycrates a quo paucis diebus post sublatus est. Vere hæc a me dici, possent quidem Arapheniorum permulti testari qui tum temporis fundos arabant fundis horum fratrum, Euthycratis atque Thudippi, finitimos; sed vereor ne vobis eos præstare disertis verbis de re tanti momenti testantes minus possim. Hierocles enim ipse, qui Astyphili testamentum penes se ait depositum esse, quanquam vidit cum Euthycrates a fratre tam sæviter vapularet, nolit tamen, id quod certissime novi, ea testari, quæ si

testetur, fidem omnem tabulis testamenti ejus, quod suæ fidei creditum vult esse, ipse sit derogaturus. At nihilominus tamen cita tu mihi Hieroclem, quo coram hoc judicum consessu sive aiat pro testimonio sive juratus infitietur eorum quæ ego aio se nosse quicquam verum esse.

TESTIMONIUM.

Probe scilicet noram, judices, ita esse eventurum ut evenit. Ejusdem enim est hominis, et ea, quæ vere facta norit, jurati infitiari, et quæ facta nusquam sint, ad ea jurejurando confirmanda mendacem linguam offerre haud secus ac si non facta certo sciat facta esse: alium tamen vobis testem præstabo: animam agitans Euthycrates severe necessariis interdixit, ne quem e Thudippo natorum ad tumulum suum sinerent accedere; de quo vobis testabitur ille, qui aviam Astyphili in matrimonio habet.

TESTIMONIUM.

Astyphilus igitur, ex quo primum hæc ex hoc [aviæ marito] nec non e reliquis necessariis accepisset statim a puero, quam primum sapere cœpit, nunquam verba cum Cleone commutavit, sed prius quam id faceret mortem oppetiit, nefas sibi ducens fore, si cum filio patris ejus colloqueretur, qui pater tam piacularis facinoris in patrem suum commissi insimularetur. Testes ego nunc vobis exhibebo eos, qui conscii sunt Astyphilum quoad vixit simultates cum Cleone exercuisse.

TESTES.

7. Porro consentaneum erat, si quid festi dies agerentur, quo tempore alii Athenienses inter se congredi atque coepulari solent, Astyphilum quoque pari modo per illos dies quibus ipse interesset, quoties nempe in urbe ageret neque in castris versaretur, alio cum nemine ad fana deorum ire quam cum Cleone, quippe cujus primum municipalis esset, deinde consobrinus, cujus denique filium ipse sibi esset adoptaturus. Verum nunquam visus est Astyphilus Cleonem comitatus in templa communionis ergo sacrorum, qua de re municipalium testimonia hic scriba vobis præleget.

TESTIMONIUM.

8. Quanquam igitur ita erga se mutuo animati essent Astyphilus atque Cleon, postulat Cleon tamen nihilominus filium suum Astyphili bona habere atque tenere. Quanquam Cleonem commemorare quid attinet? Ipse Hierocles, tametsi meus est avunculus, quemadmodum Astyphili quoque fuit, tam furiosum tamen in modum audax est, ut testamentum nunquam scriptum aiat ab Astyphilo penes se depo-

situm esse, idque pro genuino proferat. Atqui multis ornatus beneficiis, Hierocle, a patre meo Theophrasto, cum res tibi adhuc esset quam nunc est arctior, item ab Astyphilo, malam hanc ambobus refers gratiam: nam me quidem, qui tuæ sum sororis filius e Theophrasto, cui plurimum debes, ea sorte is fraudatum quam leges mihi tribuunt; de Astyphilo autem, qui fato suo defunctus te jam refutare nequit, mendacia abs te conficta spargis, per quæ contendis efficere, quantum in te quidem est, ut homines Astyphilo infestissimi bona ejus sortiantur. Et ante quidem, o judices, quam contentio super hac hereditate in foro susciperetur, tametsi bene nosset Hierocles hanc hereditatem alii nemini quam mihi competere, tamen ad amicorum qui Astyphilo olim fuissent unumquemque viritim adibat, alium ex alio, eique venditabat Astyphili hereditatem, aiens, si quis se vellet in communionem sortis admittere, paratum se esse, qui Astyphili avunculus esset, affirmare, penes se relictas esse scriptas ab Astyphilo testamenti tabulas, quibus ille scriptus esset heres. Hoc pacto nundinabatur Hierocles hanc causam et ad hanc hereditatem petendam permovere studebat homines ab ea vel alienissimos: et nihilominus tamen, posteaquam cum Cleone decidit atque cum eo fratris mei bona partitus est, fidem suis verbis adhiberi postulat. Hic homo mihi videtur vel jusjurandum ipsum, si quis deferat, libenter et nulla cunctatione dicturus. Et mihi quidem, qui necessarius ejus sim, vere facta quorum conscius est testari detrectat; in mendaciis autem tuendis, quæ ipse novit mera mendacia esse, operam vendit homini vel alienissimo et tabulas profert quasi de rebus constitutis, quæ res constitutæ nunquam fuerunt: multo enim sibi magis expedire censet, multoque in hoc acrius incumbendum, ut rem augeat, quam ut ea tueatur officia quæ meæ debet consanguinitati. Hieroclem autem circumcursitantem operam suam in proferendo testamento commentitio venditasse, si quis ipsum in partem hereditatis adsciscere vellet, de eo testimonium illius ipsius exhibebo ad quem cum ejusmodi sponsione adiit.

TESTIMONIUM.

Ecquo nomine jam, judices, oportebit eum appellari, qui sui compendii gratia de homine mortuo tam falsa comminisci et jactare sustineat? Hieroclem autem ne Cleoni quidem gratuitam sed mercenariam præstitisse operam in proferendo testamento commentitio, documentum ejus rei haud contemnendum præstare poterit hoc ipsum testimonium. Hæc autem communicatis inter se consiliis adversus me machinati sunt: existimat enim eorum unusquisque, de bonis Astyphili si quid decerpserit, id perinde se ex insperato præterque meritum suum præterque jus et fas esse habiturum ac si thesaurum in via publica jacentem reperisset.

9. Testamentum itaque hoc confictum esse, et Cleonem atque Hieroclem vos circumventum ire, quoad potui demonstratum dedi: jam vero hoc quoque docebo, etiamsi nulla Astyphilum necessitudine contingerem, multo tamen mihi jus esse validius atque prepollentius, quam his est, Astyphili bona possidendi. Theophrastus enim pater meus matrem meam in domum suam inducens ab illius fratre, hoc Hierocle, sibi desponsam, una cum ea Astyphilum quoque domi suæ recepit tum temporis adhuc parvulum a priore suæ uxoris marito procreatum: ab eo inde tempore semper domi nostræ altus et versatus est Astyphilus, et a patre meo puerilibus artibus innutritus. Ut autem ego natus fui eamque adeptus ætatem ut capere possem doctrinam, una cum Astyphilo eodem in ludo sum eruditus. Qua de re confirmans hoc testimonium cape tu mihi atque recita, tum alterum istud magistrorum ad quorum ludos ambo nos una itavimus.

TESTIMONIA.

Porro prædium illud quod ille a patre suo habebat, judices, pater meus et satis et arboribus plantatis excoluit effecitque ut duplo pluris valeret quam primitus valuisset. Etiam hac de re vos huc adscendite, qui mihi testemini.

TESTES.

Postquam deinde Astyphilus scrutinio ætatis apud archontem tolerato probatus dignus fuit habitus atque idoneus gerendæ suæ ipsius tutelæ, patrimonium a suo patre sibi relictum a meo traditum accepit salvum atque integrum rite legitimeque, ita ut Astyphilus ideo nunquam cum patre meo questus sit. Postmodum sororem Astyphili eodem patre cum ipso usam [h. e. Euthycrate] despondebat meus pater ei viro, qui ei videbatur idoneus esse, et in reliquis quoque partibus rei familiaris gubernandæ omnibus præsto ei fuit: quæ omnia Astyphilus rata et accepta sibi habuit, existimans benevolentiæ, qua pater meus se amplecteretur, satis perspicuum cepisse documentum eo quod pater meus se a puero inde educasset domi suæ et in sinu suo. Illa vero de filiæ Euthycratis desponsatione a patre meo facta hi qui conscii sunt vobis testabuntur.

TESTES.

Deorum porro ad fana quoties pater meus iret, Astyphilum quoque adhuc puerum una mecum adduxit: etiam in thiasos [vel collegia] Herculis eum introduxit, quo particiaperet illam communionem; cujus rei testes vobis aderunt hi thiasotæ [seu coepulones].

TESTES.

10. Ego vero ipse quo erga fratrem animo fuerim et qualem me erga eum gesserim, id jam spectate, judices. Primum quidem eadem in domo cum illo educatus adolevi, deinde simultates cum eo nunquam exercui, sed mutua nos caritate amplectebamur; id quod amici atque necessarii nostri omnes norunt, quos vobis testes exhibebo, jussos hunc in suggestum adscendere.

TESTES.

11. Jam interrogo vos, judices, videturne vobis Astyphilus, qui Cleonem ita odisset, meoque a patre tantis esset meritis obstrictus, unquam commissurus fuisse ut inimicorum suorum cujusquam filium sibi filium arrogaret eique bona sua delegaret, eoque sospitatores suos eosdemque proximos necessarios jure debito fraudaret? Mihi equidem profecto non videtur Astyphilus tantum nefas commissurus fuisse, etiamsi decies Hierocles aiat testamentum penes se esse ab Astyphilo scriptum: ego contra aio, tum propterea quod Astyphili frater sim, tum quod Astyphilus alias quoque mihi fuerit amicissimus atque conjunctissimus, hereditatem Astyphili majori jure mihi competere, quam Cleonis filio; nam hos certe non decebat partem ullam bonorum Astyphili aut cum eo necessitudinem sibi arrogare, qui tam infesto erga eum fuissent animo cum adhuc superesset, et ossa defuncti legere justaque ei facere nil curarint, sed prius in ejus bona involarint, quam religioni manium satisfecissent. Et nunc petunt Astyphili hereditatem, non solum ex titulo prætensæ donationis factæ per testamentum a se subjectum, sed etiam ex titulo cognationis, Cleonem aientes Astyphili consobrinum esse a parte patris [h. e. amborum patres fratres fuisse]. Verum haud decet vos, judices, ad cognationem ab eo proditam attendere: nemo enim fuit unquam qui, cum esset e domo patris sui alienam in domum emancipatus, hereditatem illius domus adisset unde esset emancipatus, nisi postquam ex formula juris in illam suam primigeniam domum redisset. Atqui hi [necessarii Astyphili] bene gnari Cleonis filium ab Astyphilo nunquam fuisse adoptatum, filio huic Cleonis nunquam portionem extorum [in Apaturiis] contribuerunt, tametsi sæpius venienti particulam suam ab iis [ut cognatis] flagitatum. Cape tu mihi hoc quoque testimonium hac de re confirmaturum.

TESTIMONIUM.

12. Jam diligenter pensitatis in utramque partem momentis pronuntiate, judices, de nostrum unoquoque sententiam ex iis ipsis quæ unusquisque in contrajuramento a se præstito affirmavit. Cleon

nimirum filium ait suum ab Astyphilo esse adoptatum heredemque bonorum dictum: ego vero merum hoc aio esse mendacium, mihique soli bona Astyphili omnia competere, qui sum ejus frater; id quod etiam hi [Cleon et ejus consortes] norunt. Adoptationem illam itaque, viri, ratam sententia vestra, quæso, ne facite, quam facere Astyphilo adhuc superstiti ne in mentem quidem venit; sed operam date, quas leges ipsi vosmet curastis huic civitati præscribendas atque tuemini, ut eæ mihi quoque ratæ sint atque validæ: nam e legum præscripto hanc ego mihi arrogo hereditatem, obtestorque vos, quæ est obtestatio omnium justissima atque sanctissima, ut heredem me bonorum fratris constituatis. Demonstratum enim vobis dedi Astyphilum bona sua uemini legasse, et quæcunque affirmavi, eorum omnium testes exhibui auctores graves atque idoneos. Quapropter tuemini me atque succurrite mihi periclitanti: facundia si Cleon mihi præstat, facite ne quid ei hæc facundia prosit, a legibus et ab æquo jure deserta: vosmet ipsos rerum omnium arbitros constituite. Nam ob hoc ipsum in tribunalia congredimini, quo ferocibus atque audacibus impudentia ne quid prosit, sed indisertiores quoque de jure contendere audeant, probe gnari alii nulli rei quam æquo juri æqua lance dispensando vos animum attendere. Mecum itaque, judices, estote, quæso, considerantes, quot et quanta sitis mala creaturi, si secundum Cleonem litem dederitis ab eo delusi. Primum enim id facientes efficiatis ut, qui Astyphilo adhuc superstiti infestissimi fuerunt et quos ille omnium dirissime abhorrebat, hi ad tumulos ejusque majorumque accedant et sacra participent quorum ille quondam consors fuit: deinde mandata Euthycratis, patris Astyphili, irrita faciatis, quæ Astyphilus prius mortuus est quam migraret: denique defuncto Astyphilo hanc inuratis maculam, ut stultitiæ eum damnetis, dignumque declaretis sententia vestra quem homines omnes furiosum aiant fuisse. Ejus enim filium si sibi adoptarit qui patri suo fuisset inimicissimus, ecqui faciat quominus audientium cuique desipuisse videatur aut mentem habuisse malis herbis fascinatam? Tandem me quoque, viri, qui eadem in domo eademque disciplina qua Astyphilus sim educatus ejusque sim frater, patiamini bonis fratris a Cleone spoliari. Quare vos etiam atque etiam rogo, judices, atque supplico litem ut secundum me quoquomodo detis. Ita enim tum Astyphilo gratificabimini tum a me quoque injuriam arcebitis.

ISÆI

DE ARISTARCHI HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Aristarchus quidam filiorum quatuor pater, Cyronidis et Democharis et matris hanc orationem habentis et aliæ puellæ, adhuc vivens hunc Cyronidem in hereditatem avi materni Xenæneti adoptavit, reliquos vero filios ipse sibi heredes reliquit. Postea Democharis sine filiis mortuus est, et filia ejus unica et ipsa quoque sine liberis: universa itaque hereditas juste in matrem recidit hanc orationem recitantis. Et hæc sic se habent: post Aristarchi vero mortem Aristomenes, ejus frater secundumque leges filiorum fratris tutor factus, filiam suam Cyronidi Aristarchi adoptivo conjunxit, hereditatem Aristarchi illi acquirere promittens. Quod et præstitit: filio namque Cyronidi nato primum puero nomen avi imponunt, Aristarchum nominantes, deinde eum in avi domum adoptaverunt tanquam illo hoc jubente, et idem Aristomenes illi totam hereditatem avi tradidit. Illo vero mortuo cum adhuc puer esset, Xenænetum fratrem proprium secundum testamentum heredem instituit. His ita factis, et Xenæneto Aristarchi senioris bona possidente, filius filiæ Aristarchi senioris, item illi intendit, dicens se unicum heredem bonorum Aristarchi senioris esse. Cyronides enim (dicit) adoptatus est: pater vero, cum filium ligitimum Democharem haberet, filium sibi adoptare non potuit: Democharis vero cum minor esset, neque ipse potuit filium adoptare; sed neque illa alia filia ejus quæ antea mortua est. Itaque, cum non secundum leges (inquit) junioris Aristarchi adoptio facta sit, junioris Aristarchi testamentum non est validum: quo namque pacto alteri tradere potuisset ea, quæ ipse injuste possederat? Sublato itaque testamento hereditas jure in hanc orationem recitantem transit, cum filius legitimæ Aristarchi senioris filiæ sit. Argumentum tale est, causæ autem status negotialis et scriptis constans: quæritur enim an tale testamentum validum esse oporteat, et quisnam eorum qui contendunt justiora dicat.

1. Vellem equidem, judices, quemadmodum Xenocrates hic disèrte novit atque confidenter mendacia jactare, ita me quoque facundum esse ut coram vobis veritatem causæ meæ cum fiducia et linguæ libertate atque volubilitate enarrare vobisque approbare possem: hoc enim si mihi datum sit, confido statim vobis liquidum fore, utrum nos ad hujus sortis petitionem per nefas accedamus, an hi [adversarii nostri] bona dudum per nefas rapta et adhuc possessa diutius retinere legitimosque eorum dominos excludere contendant. Jam vero non æquo sumus loco constituti, judices. Nam hi quidem et facundia pollent et amicitiis fidunt, quas sibi comparare multasque norunt et potentes, ut vel pro aliis quoque persæpe in judiciis contendant: ego vero tantum abeum ut alienam causam ullam

unquam egerim, ut potius ne pro memet ipso quidem causam ullam, non modo publicam, sed ne privatam quidem dixerim; quapropter æquum sit magnam mihi veniam apud vos esse paratam.

2. Nam propterea, judices, quod ab his jus mihi debitam exigere nequeo, coactus fui in examine matrem meam profiteri sororem Aristarchi, atque sic nomen ejus a scriba publicas in tabulas referri: nihilo tamen ideo causa hæc vobis erit ad disceptandum impeditior, sed hoc nunc e legibus vobis est definiendum, utrum Aristarcho jus et facultas fuerit huic [Xenocrati juniori, filio Cyronidis] bona legandi, et utrum hæc bona Aristarchi fuerint an aliena et ab ipso per nefas usurpata. Æquum est, judices, ante omnia hoc de capite constitui: nam lex quidem facultatem cuique dat bona sua cuicunque velit legandi, sed sua, non item aliena; nam alienorum lex hominem nullum facit arbitrum. Quodsi ergo me secundis auribus audire velitis, ante omnia vos hoc de loco certiores faciam: nitarque vos docere hereditatem hanc a principio non horum fuisse [quibuscum nunc super ea contendo], sed fuisse matris meæ a patre ipsi relictam; deinde Aristarchum eam nulla lege addicente, sed legibus omnibus invitis atque reclamantibus, eripuisse, eoque enormem injuriam et reliquis nostris necessariis et imprimis matri meæ obtulisse. Unde autem vos rem liquidissime percepturi videmini, inde ego quoque docendi sumam exordium.

3. Aristarchus quidam erat, judices, Sypalletius; qui Xenæneti Acharnensis filiam cum domum duxisset, ex ea quatuor liberos suscepit, Cyronidem et Democharem, cum duabus filiabus, quarum altera fuit mater mea. Cyronides, qui pater est hujus [Xenæneti] et alterius [Aristarchi] qui sortem hanc per nefas occupaverat, aliam in domum emancipatus est; quo factum est, ut jus omne in hanc hereditatem amiserit: Democharis itaque factus est heres patrimonii Aristarcho, qui pater horum quatuor liberorum erat, vita defuncto. Quoniam vero Democharis adhuc infans moriebatur, necnon altera soror, sola relicta fuit mea mater universæ heres substantiæ; sed sic, ut controversum esset, quis eam in matrimonio habere et ad liberos ex ea procreandos avitam hereditatem transferre deberet. Ad hunc modum a principio sors hæc universa de jure meæ matris erat: verum, cum oportuisset proximum cognatum eam in matrimonio habere unaque cum ea tuendum adipisci patrimonium ejus, injuriam accepit mater mea, judices, atrocissimam atque indignissimam. Erat nempe matri meæ patruus Aristomenes, frater illius Aristarchi: huic Aristomeni cum et filius esset una cum filia, potuissetque ideo sive ipse sibi habere sui fratris filiam heredem, sive filio suo eam collocare atque providere ut illi filio suo illa sua neptis per judicum sententiam legitime adjudicaretur, neutrum horum fecit, sed filiam suam Cyronidi despondit, una-

que ei bona addidit quorum jus nemini competebat præterquam matri meæ: ex illa Aristomenis filia et Cyronide nati sunt hic Xenæneţus adhuc superstes et Aristarchus vita defunctus. Hæc est injuria, judices, nobis data, et hoc pacto fraudatus sum hereditate. Post id factum Aristomenes matrem meam meo patri collocat, Cyronide postmodum vita defuncto, Xenæneti hujus fratrem Aristarchum in sortem matri meæ debitam immittunt: id quod præter jus et fas esse factum multis ego magnisque documentis evictum dabo. Sed ante omnia testes producam confirmaturos Cyronidem e domo patris sui Aristarchi in domum Xenæneti [qui ei avus maternus erat] emancipatum fuisse, in eaque domo Xenæneti diem supremum obisse; deinde Aristarchum [majorem], a quo profecta sors hæc est super qua nunc contenditur, prius e rebus humanis excessisse quam Democharem, quo hereditas ejus ad hunc Democharem devenit; rerum hic Democharis adhuc puer decessit, nec non altera soror, quo factum ut tota sors in jus matris meæ devenerit. Harum itaque rerum cita tu mihi testes.

TESTES.

Sors igitur istæc, de qua nunc agitur, hoc pacto nostra erat, judices; Cyronide in domum Xenæneti emancipato, Aristarcho autem patre Democharis vita defuncto et sic ad Democharem devoluta ejus hereditate, hoc ipso autem Demochare denique exstincto, cujus excessu devenit hereditas ad matrem meam, ut solam relictam Democharis sororem.

4. Quoniam vero hi ultra modum impudentes sunt, o judices, et contra jus et fas bona [in controversiam adducta] tenere contendunt, docendi mihi estis legibus prorsus omnibus repugnantibus Aristarchum [minorem] in illius [majoris] phratoras inductum fuisse: de quo ubi certi fueritis facti, liquidum vobis protinus erit habenti bona titulo haud legitimo non licuisse iisdem de bonis per testamentum constituere. Arbitror itaque vos cunctos, viri, hoc nosse, delegationum atque adoptationum per testamentum factarum eas solummodo legitimas atque probabiles esse, quæ ab ipsis delegantibus bona sua atque adoptantibus [non autem eorum loco atque nomine ab aliis] factæ sint; nam aliter neque legare bona neque pro filio adoptare licet. Sive igitur dicet aliquis Aristarchum [seniorem] de bonis suis per testamentum constituisse, affirmabit is veritati repugnantia; alius enim erat Aristarcho filius legitime natus Demochares, quo fit ut neque voluisse videatur Aristarchus in fraudem hujus filii sui testamentum condere neque etiamsi voluerit potuerit alii cuipiam bona sua delegare legibus id vetantibus: sin autem Aristarcho [seniore] defuncto a Demochare aiat aliquis eum [Aristarchum juniorem] in locum filii adoptatum esse, etiam

hoc mentietur. Democharen enim adhuc puer decessit, et puero negatum est de bonis suis per testamentum constituere: lex enim vetat, disertis verbis his edicens: Puero ne liceto cum quoquam contrahere neque mulieri ultra singulos medimnos frumenti. Atqui testes exhibiti vobis confirmarunt Aristarchum [seniorem] ante Democharem rebus humanis excessisse, et hunc aliquanto post patrem: quapropter vel secundum ipsum eorum testamentum, si quod scripsissent, huic Aristarcho jus in istorum bona nullum competeret. Recita tu mihi leges, utrique eorum [tam patri quam filio] potestatem de bonis suis constituendi denegantes.

LEGES.

Atqui, judices, non poterat Cyronides in Aristarchi [senioris] hereditatem Aristarchum juniorem immittere et hunc illi filium sufficere; licebat illi [Cyronidi] quidem, relicto in Xenæneti domo filio genuino, in domum paternam redire, aliquem autem ex domo Xenæneti in eam unde excesserat inferre quæ lex permittebat non est: aut si aiant, aperte mentientur. Et etiam hunc ab illo fuisse adoptatum si dicant, tamen nullam poterunt proferre legem, ejus rei veniam ipsi dantem: verumenimvero non aiunt quidem istæc, at ex ipsis tamen eorum causationibus atque prætensionibus, quas revera jactant, adhuc dilucidius vobis constabit eos bona, quæ de jure matris meæ sunt, invitis legibus et summum per flagitium usurpare atque retinere.

5. Fingamus, judices, alterutrum matrem meam in matrimonio habuisse, sive Aristomenem sive filium ejus Apollodorum: nam illis duobus competebat de jure a judicibus veniam ejus domum ducendæ petere, atque operam dare ut ea sibi a judicibus adjudicaretur. Quid tum? Ne his ipsis quidem licuisset matris meæ bona alii donare de iisve pro arbitratu suo constituere; lex enim non sinit, interdicens bonorum mulieris, cui potestas hereditatis sit, arbitrum quenquam alium esse, præterquam filios ejus secundum a pubertate annum egressos: mirum itaque sit, si cui marito matris meæ, sive is Aristomenes sive Apollodorus fuisset, non licuisset de bonis matris pro lubitu disponere, eidem tamen liceret, ubi eam alii in matrimonium elocasset, in ejus bona filium suum pro adoptato immittere. Res atrox utique ea foret atque indigna! Et ne patri quidem matris meæ licuisset, si prole mascula caruisset, in fraudem filiæ testamentum facere; lex enim sic edicit, si cui patri mares nulli sint, ei licere bona sua cui velit legare, dummodo is cui leget filiam quoque ejus in matrimonium ducat: alii autem, qui neque pater sit, neque dignam habuerit quam in matrimonium duceret, sed solummodo consobrinus sit, licebit filium suum contra omne jus et fas in ejus bona immittere? et hæc ei acta rata et legitima erunt? Eccui vestrum

omnium istæc probabuntur? Ego equidem hoc certissime teneo neque Xenænetum neque alium quenquam docere posse hereditatem hanc ad matrem meam nil quicquam pertinere, quam ei frater Demochares reliquit: quodsi tamen nihilominus contra audeant hiscere, jubete illos et legem illam edere secundum quam facta sit Aristarchi [junioris] adoptatio, et eum nominare qui adoptavit. Æquum enim id est. Atqui probe novi eos non facturos neque posse facere.

6. De his itaque, quod hereditas hæc matri meæ de jure competat et a principio inde ejus fuerit, et quod mater mea per summum nefas ejus usucapione ab his exclusa sit, arbitror me satis disputasse atque planam evictamque rem dedisse tum per ea quæ disputavi tum per affirmationes testium et denique per legum sanctiones. Verum hi ipsi [adversarii mei] sibi conscii sunt a se bona hæc per nefas teneri, et injustitia ipsis sua tam est liquida et perspicua ut, tutum non arbitrantes se solo illo niti argumento quod Aristarchus legitime adoptatus sit, etiam adhuc aliud sibi præsidium circumspiciant, patrem scilicet aiunt suum hujus hereditatis ergo mulctam in foro irrogatam de peculio suo dependisse; quo perfugio hoc nempe quærunt ut, si satis firmum præsidium in adoptatione Aristarchi minus sit neque hactenus videantur bona nostra jure optimo tenere, saltim tamen ex altero illo titulo æris depensi jus aliquale hereditatem illam pro arrha quasi retinendi ipsis accessisse videatur. Ego vero, judices, etiam hoc eos mentiri, planum vobis faciam. Nam si sors hæc ære alieno oppressa fuisset, quam aiunt fuisse, non hi profecto pro illa sorte luissent de suo — neque enim competebat hoc ipsis, sed illis quibus jus et potestas erat matrem meam, ut virginem heredem factam, sibi in matrimonium deposcendi, ejusque adjudicationem a judicibus impetrandi; hos oportebat de alieno ære reluendo providere —, neque profecto Aristarchum in ejusmodi sortem obæratam immisissent, a qua emolumentum quidem ablaturi erant nullum, damna autem ingentia. Alii quidem, quibus res domestica pessum ierit, operam dant ut liberi sui alienas in domos emancipentur, ut exsortes infamiæ fiant ejus qua patres perculsi fuissent: hi autem, scilicet, in substantiam obæratam ultro semet ingerunt, ut non solum alienis debitis satisfaciant, sed etiam bona ipsi sua perdant. Alia omnia. Nolite credere, judices. Nugæ hæ sunt et præstigiæ. Sors hæc æris alieni erat exsors et soli matri meæ de jure competebat: hi autem, a cupiditate sua stimulati nummos et opes coacervare gestiente, hæc omnia sibi commenti et machinati sunt quo matrem meam jure bonisque suis defraudarent.

7. Erit forsitan in numero vestro, judices, qui miretur, cur bonis nostris per tam longinquum temporis spatium exclusi tacuerimus et nunc demum ea postulatum veniamus. Ego vero æquum haud censeo esse nos ideo causa cadere aut jura nobis nostra imminui,

quod ea exsequi ad hoc usi aut non potuerimus aut insuper habuerimus — non enim hoc in censum venit, quam diu passus sis jura tua interquiescere, sed hoc agitur, æquum ne sit id quod tu postules necne —: verum enim vero, ne hujus quidem cessationis causa nobis deest, sed habemus allegare idoneam. Pater nempe meus ea lege sibi desponderi matrem meam passus fuerat, ut contentus esset dote illi addenda, ipsam hereditatem ne peteret; sed illam ipsam dotem nullo pacto poterat ab illis redigere, qui hereditatis hujus emolumenta percipiebant: quamvis enim mater eum sæpius stimularet ut ab iis repetitum iret, hi tamen, quoties pater hujus rei mentionem ad se faceret, minabantur se uxorem ipsius ut filiam heredem in jure sibi esse postulaturos, si nollet eam sub conditione dotis habere. Pater itaque, ne matre privaretur, sivit eos bonorum usum fructum percipere, etiam si duplo ampliora fuissent. Hanc ob causam pater tam diu cessavit uxoris jura in foro prosequi: postmodum intervenit bellum Corinthiacum, in quo egoque paterque militavimus necessario; quo factum est ut utrique nostrum pœnas ab his meritas repetere negatum esset. Pace autem restituta hoc mihi contigit infortunium, ut ærarius fierem reipublicæ; quapropter cum his in jure agere non licebat. Habemus itaque, ut nunc videtis, causas nostræ cessationis legitimas. Nunc autem tandem aliquando justum et opportunum est hunc [Xenænetum] dicere, quisnam ei hanc hereditatem legarit, et quarum legum ex auctoritate in collegium phratorum [Aristarchi] inductus sit, et cur mater mea non fuerit filia a patre cum hereditate relicta. Hæc enim sunt illa capita de quibus vos oportet, judices, pronuntiare, non tempore moveri, si forte nos aliquanto serius jura nostra exsequimur. Sin autem ad illa tria capita, in quibus controversiæ cardo vertitur, respondere, et, quæ demonstrari postulo, ea demonstrata dare nequeant, jure merito vos pronuntietis, judices, hereditatem nostram esse.

8. Probe autem novi, quæ postulo, ea præstare negatum his esse: difficile enim est legum edictis et æquo juri repugnare: at verba de defuncto [Aristarcho juniore] facient, oratione ad ciendam composita miserationem, quam fortis vir et quam in bello acer et strenuus occubuerit, et quam sit æquum ab eo per testamentum constituta rata et firma esse. Ego vero, judices, tum ipsemet aio testamentum esse debere ratum et validum illud, quo quis de bonis suis constituerit; tum rursus nego debere illorum haberi rationem testamentorum, quibus aliena bona dilargiri qui scribant præsumant. Nego huic testamentorum generi perinde vim ullam atque auctoritatem esse, atque est alteri illi priori generi. Jam hæc hereditas de qua nunc agitur, ut nunc paret, non horum, sed nostra est. Quod si ergo ad hanc latebram excusationis receptum habuerit [Xenænetus] testiumque auctoritate planum faciat Aristarchum testamentum re-

liquisse quo ipse sit heres bonorum Aristarchi [senioris] scriptus, jubete eum docere Aristarcho disponendi potestatem fuisse eumque de bonis quæ ipsius propria et legitime parta essent disposuisse. Id enim justum et æquum est. Grave enim foret neque ferendum, si Cyronides et hi ex eo nati non solum Xenæneti [senioris] domum habeant [h. e. substantiam] quatuor talentis et ultra æstimatam, sed hanc Aristarchi quoque ceu mantissam auferant: ego vero matris meæ hereditatem adire prohibear, quam in hereditatem matri meæ jus est optimum atque luculentissimum quippe quæ sit ab eodem patre oriunda unde sunt Cyronides et ab eo nati, præsertim cum docere hi nequeant, a quonam acceperint istæc quæ tam diu usurpant bona. Atqui, judices, quemadmodum par est orta de fundis controversia possessorem illorum fundorum demonstrare sive eum a quo illos oppigneratos habeat sive eum a quo emerit, aut, alterutrum ni fecerit, pati fundos judicum sententia sibi abjudicari et causa se cadere, ita hos quoque decebat ex aliquo horum titulorum istæc bona sibi a judicibus adjudicanda curare, non autem indicta causa et nondum adeo in forum delata filiam Aristarchi, quæ mea mater est, e bonis paternis expellere. Verumenimvero Xenæneto satis non est, judices, Aristomenis substantiam scelerata prodigalitate in nefandos puerorum amores exhausisse, verum hanc quoque Aristarchi substantiam ut pari cum dedecore prodigat se decere censet. Ego vero, judices, honeste nunquam non pudiceque atque frugaliter vixi, ex angusta re familiari sorores tamen elocavi cum dotibus quas eis addere facultates sinebant, modestum atque temperantem me semper exhibui, imperata exsequor, in castris stipendia facio; quorum in compensationem, ut civis frugi atque probabilis, postulo vos hoc mihi jus concedere, ut matris meæ substantiam mihi per vim et nefas eripi ne sinatis. Demonstravi enim Cyronidem, qui horum [adversariorum meorum] pater est, ex Aristarchi patris sui domo fuisse emancipatum in eamque non redisse, tum demonstravi patrem Cyronidis atque matris meæ hereditatem suam alteri filio Demochari reliquisse, illoque Demochare sine prole defuncto hereditatem ejus ad sororem, quæ est mea mater, jure optimo fuisse devolutam.

ISÆI

DE HAGNIÆ HEREDITATE.

ARGUMENTUM.

Hagnias quidam affines multos habebat, Theopompum et fratrem ejus Stratoclem et Stratium et Eubulidem, hic jam moriturus sibi filiam adoptavit, in testamento mandans, si quid humanitus filiæ accideret, ut hereditas ad Glauconem, fratrem suum ex matre transiret. Postea eo mortuo, filia postquam hereditatem accepisset, obiit. Mortuo et Eubulide, ejusdem Eubulidis filia jure cum Glaucone certans facultatibus potita est. Postea mortuo Stratocle et Stratio solus Theopompus cum illa litem egit, et hereditatem consecutus est. Cum illo Stratoclis fratris filius litem habuit, cum eo vicissim cujusdam tutoris filius, dicens hereditatem æqualiter dividi inter Theopompum et filium fratris ejus convenire. Status causæ negotialis.

1. Leges ideo recitavi, judices, quoniam [adversarius] per primam earum asseverat puero [Stratoclis filio] semissem bonorum ab Hagnia relictorum competere, in quo veritatem haud habet sibi consentientem. Hagnias enim frater nobis non erat; lex autem illa, quæ de bonis a fratre relictis constituit, primum illis fratribus atque fratrum liberis adjudicat bona, qui fratres ab eodem patre procreati sint atque defunctus: hic enim primus est atque proximus consanguinitatis a defuncto gradus. Sin autem neque fratres adsint neque fratrum liberi, lex sorores eas earumque liberos ad hereditatem adeundam arcessit, quibus sororibus idem pater cum defuncto fuerit communis. Deficientibus his quoque, tum demum lex tertio gradui consanguinitatis tribuit proximitatem [h. e. jus in jura et bona defuncti ex titulo consanguinitatis succedendi], consobrinis puta ex parte patris [h. e. liberis eorum patrum, qui patres fuerint fratres illius patris, a quo procreatus fuit defunctus, cujus hereditas vacuata est] et horum consobrinorum liberis, non ulterius. Sin autem hic quoque gradus consanguinitatis defecerint, rursus redit legislator ad principium generis, et arbitros bonorum relictorum facit defuncti consobrinos a parte materna, eodem ordine quem modo in consanguineis paternis recensui, ut scilicet heredes defuncti fiant fratres cum liberis, tum sorores cum liberis, qui fratres et quæ sorores eadem quidem matre verum diverso patre fuissent usi usæve, et tandem si qui et si quæ supersint ejusmodi matris fratresve sororesve aut eorum earumve liberi. Propinquitates hasce solas dat legislator [h. e. admittit

ratasque vult esse], verbis ille quidem utens brevioribus atque rotundioribus quam ego; verum id, quod dico, voluit. Puero autem huic ex horum omnium quos commemoravi titulorum nullo est cum Hagnia propinquitas, sed est extra ejus cognationem. Quo autem certius atque liquidius intelligatis eam rem de qua judicium estis laturi, dicito hic [adversarius meus] omissis omnibus verborum ambagibus quodnam nomen eorum omnium nominum quæ commemoravi paulo ante huic puero conveniat, quo deprehendatur cum defuncto, unde hereditas profecta est, conjunctus in sanguine esse: quod si vel ex uno quopiam horum titulorum appareat defunctum ab hoc puero contingi, lubens ego ipsi de semisse hereditatis decedam. Sin autem prorsus nullum allegare poterit, ecqui non teneatur convictus hoc agi, ut commentitiis causationibus me vexet atque exagitet, vos autem, quæ est a legibus abhorrens audacia, decipiat? Jubebo igitur eum hoc in tribunal adscendere atque sic interrogabo, formula legis ante prælecta: hoc enim pacto intelligetis optime, num puero huic ulla pars hereditatis ab Hagnia relictæ ullo titulo competat, nec ne. Cape tu itaque [scriba] has leges, quas illis [judicibus] prælegas: tu autem [qui adversus me certas] huc ad respondendum mihi adscende; nam linguæ volubilitate polles cavillationumque atque conclusiuncularum tuarum ludibriis perturbare atque perplexas reddere mentes hominum legumque depravare sententiam nosti.

LEGES.

Insiste. Ego vero te [mi adversari] interrogabo. Puer hic estne frater Hagniæ? an est e fratre nepos? aut ex sorore nepos? aut consobrinus sive ex parte materna sive ex paterna? Quodnam huic nomen unum competit eorum nominum omnium, quibus lex propinquitatem attribuit? Nolim id a te mihi objectari, puerum hunc meum esse nepotem e sorore. Nunc enim non de mea agitur hereditate, qui adhucdum in vivis supersum. Sin autem ego decessissem, atque hic puer, partem bonorum meorum in jure petens, interrogaretur cujas esset, tum conveniret eum respondere se meum e sorore nepotem esse. Jam vero ais puero semissem hereditatis Hagniæ competere: atqui hoc aiens debes indicare quo gradu cognationis hic illum contingat. Nomen, amabo, his [judicibus] eloquere.

2. Percipitis vocem adversarii esse de cognatione mutam, qui alia omnia potius respondet quam id quod interrogatur et quod vos docendi estis. Atqui cui causa justa et æqua cepta sunt, eum haud convenit hæsitare, sed statim sine cunctatione expedite proloqui, neque hoc solummodo, sed etiam jurejurando affirmare generisque a se editi testimonia præstare, quo certiorem ei fidem adhi-

beatis. Jam vero, quibus in rebus interrogatus haud respondit, testes nullos produxit, jusjurandum non dixit, legem nullam allegavit, in iis sperat vos fidem sibi habituros aienti quæ vult, vos qui jurejurando spoponderitis e præcepto legum sententiam vos dicturos, et sic e titulo εἰσαγγελίας hujus qua me denunciavit me condemnaturos: tam impurus tam flagitiosus et impudens homo est. Ego contra ita me ut ille non geram, sed et cujas sim edam et quo titulo mihi hereditas competat, et planum faciam non hunc solummodo puerum, sed universe quicunque alii hac de hereditate contenderunt, eos extra propinquitatem cum Hagnia esse, ut vobis ipsis confitendum sit me vera disputare. Verum ordinem rei gestæ a principio inde necesse est me enarrare; unde intelligetis et meam cum Hagnia propinquitatem et his nullum esse jus hujus hereditatis petendæ.

3. Ego enim et Hagnias, judices, et Stratocles et Stratius, qui Stratius avunculus Hagniæ est, e consobrinis nati sumus: nam patres nostri erant consobrini et patres eorum fuerant fratres. Hagnias igitur, in procinctu stans cum nave ad legationem proficiscendi ejusmodi in causa unde reip. emolumentum sperabatur, non nobis genere proximis bona sua, si quid ei secius contingeret, reliquit, sed pro filia sibi adoptabat sororis suæ filiam; sin autem illa quoque a sinistro fato tolleretur, Glauconi bona sua delegabat, qui frater ei erat uterinus: et hæc in tabulis a se conscriptis ita constituebat. Tempore interjecto post vita excedit Eubulides, nec non puella ab Hagnia in filiæ locum adoptata; et sic e præscripto testamenti hereditatem adibat Glauco. Nos vero nondum censebamus adversus illud testamentum nobis esse super illa hereditate contendendum, sed putabamus testatoris voluntatem debere ratam esse. Constitutioni ejus itaque inhæsimus atque acquievimus. Eubulidis autem filia una cum aliis causam cum ea communem facientibus hereditatem a judicibus petit, atque auffert victis illis qui eam ex jure testamenti petierant, quanquam extra propinquitatem erat; verum sperabat illa—ut videtur—nos secum litem haud esse exorsuros, qui adversus testamentum nil essemus moliti. Nos autem, ego et Stratius et Stratocles, quia semel patefactus erat nunc locus proximis propinquis super hereditate in jure contendendi, parabamus nos omnes ad petendum: priusquam vero sortitiones fierent, moriebantur Stratius et Stratocles, et sic relinquebar ego solus superstes e gente consobrinorum Hagniæ a parte paterna; nam avus meus paternus frater fuerat patris Hagniæ, et sic soli mihi facta est legitima hujus hereditatis petitio, cæteris omnibus, quibus ex titulo consanguinitatis par erat jus petendi, vita defunctis. Quod autem mihi quidem titulus ἀγχιστείας seu propinquitatis et per illum titulum jus hereditatem petendi competat, minus autem

filiis illorum quos supra dicebam, competere mecum decreto, a morte præventos esse, quibus in filiis hic quoque puer est, quis docebit? Ipsa lex nempe. Apud omnes enim in confesso quidem est consobrinis et horum filiis, qua in classe ego sum, titulum ἀγχιστείας competere; num autem hunc eundem titulum jus civile secundum nos nostris quoque liberis tribuat, hoc jam est quærendum. Cape tu legem hanc et recita ipsis.

LEX.

Sin autem a parte patris nemo sit usque ad consobrinorum filios, bonorum arbitri sunto propinqui a parte matris eodem ordine.

Auditis, viri, legem sic pronuntiantem, si hereditas alicujus ad consobrinos ejus eorumque filios processerit, tum eam non ulterius ad horum quoque filios procedere, sed legem tum, cum nos consobrinorum paternorum filii desierimus esse, hereditatem defuncti propinquis a parte matris reddere, h. e. fratribus et sororibus defuncti et horum liberis et reliquis, prorsus eodem ordine atque modo dixi in propinquis a parte patris: nostros autem liberos lex a titulo propinquitatis excludit. Quibus autem lex post ipsum adeo decessum meum tamen hereditatis jus denegat, quo pacto hi me adhuc superstite et ex auctoritate legum hereditatem tenente sperant titulum propinquitatis sibi fore? Atqui si jus iis nullum est, quorum patres mecum jure pares erant, ne huic quidem puero pari modo jus ullum esse potest; cujus pater, dum viveret, in gradibus consanguinitatis eundem locum tenebat quem ego nunc teneo. Gravis itaque res est nec ferenda, quanquam leges verbis tam disertis hereditatem mihi addixerint, hos autem propinquitate excluserint, hunc tamen nihilominus audere criminationibus iniquis et ementitis quadruplatorum more me vexare. Causam hujus hereditatis me sortiente, necesse non ducebat jure mecum experiri, neque sacramentum propterea deponere, ubi debebat disceptari si quam habuisset æquam et veram prætensionem proferre; nunc autem, nomine hujus pueri abusus, negotia mihi molesta facessit rerumque mihi carissimarum atque summarum in discrimen me adducit: et de bonis quidem pueri, quæ ejus esse inter omnes constat, nil me incusant, eorumque partem ullam me intervertisse negant—quæ si ego cupide turpiterque administrassem, ut hic fecit, oportebat me ideo in jus vocari—, quæ autem vos, data volenti cuique facultate petendi atque super iis mecum certandi, mea esse pronunciavistis, ob hæc tanta mihi consciscunt pericula! tam sunt impudentes! hoccine parum acerbum sit parumque indignum!

4. Quæ adhuc disputavi, satis quidem vobis jam constare ex iis censeo, neque puerum ulla mea injuria læsum esse et ne minima

quidem ex parte criminationibus his me obnoxium esse quibus me obrutum esse: certius tamen adhuc atque subtilius e reliquis quæ mihi dicenda supersunt intelligetis, ni fallor, ubi audire juverit, quomodo facta sit mea hujus hereditatis petitio easque insecuta adjudicatio. Actionem hereditatis sortito me, judices, neque hic qui contra me nunc denuntiavit autumabat fas esse pro puero adversus me sacramentum deponere, neque Stratii liberi qui cum puero eodem gradu cognati sunt, neque ex titulo consanguinitatis neque ex titulo legationis testamentariæ, neque ulla alia de causa animum induxerunt mecum contendere, existimantes id sibi nefas esse: ne hic ipse quidem meus adversarius fecisset neque negotia mihi facessisset, si eum sissem bona pueri pro lubitu diripere neque me cupiditati atque rapacitati ejus opposuissem. Hi ergo, id quod occipiebam dicere, bene gnari extra propinquitatem se esse, nullam mihi moverunt hereditatis controversiam, sed quieverunt: qui autem causam filiæ Eubulidis agitabant, quæ filia Hagniam eodem cognationis gradu attingit, atque Stratii filius, nec non curatores matris Hagniæ parati erant mecum contendere. Verum in tantas incurrebant difficultates atque perplexitates, ut dubitarent quid in libello suo petitorio de propinquitate sua cum defuncto commemorarent. Mulier quidem de facto sortem nunc possidens, Eubulidis filia, ejusque patroni ad mendacium receptum habebant et de cognatione ejus falsa prodebant, ego vero facili negotio mendacium eorum refellebam: Hagniæ quidem mater eodem gradu cum eo cognata erat atque ego sum — est enim soror Stratii —, verum quia per legem ab adeunda filii hereditate excluditur, quæ lex præcipit, duo si sint, mas et fœmina, eadem de hereditate secum contendentes, eundem defunctum pari gradu cognationis attingentes, potiorem esse debere conditionem maris; hujus itaque fœminæ, matris Hagniæ, causam agentes, hunc urgere articulum de propinquitate cum Hagnia nil curabant, at hoc urgebant matrem defuncti esse. Est quidem utique, naturam rei si spectes, matris cum filio cognatio cognationum omnium arctissima; verum illius cognationis in gradibus consanguinitatis a lege constitutis nulla habetur ratio, de quo inter omnes constat. Deinde ego, cum eas in tabulas inferri filias consobrini curassem, docui quidem illas fœminas extra propinquitatem esse. Ad hunc modum, judices, hereditatem Hagniæ adeptus sum mihi adjudicatam, neque profuit illis quicquam, non alteri illi, quæ hereditatem jam possessum ierat et in usucapione habebat, hoc, quod eos qui hereditatem ex titulo testamenti petissent vicisset, neque huic alteri istud, quod mater esset ejus a quo relicta fuisset hereditas hæc in controversiam adducta; sed, qui tum sedebant judices, hi tanti faciebant jus æquum et jusjurandum a se dictum, ut litem secundum me darent qui hereditatem hanc titulo

juris a legibus constituti petissem. Atqui ego si has quidem mulieres [Eupolidis filiam et Hagniæ matrem] illo quo dixi modo in judicio vici, eo quod planum feci, secundum forensem, in judiciis obtinentem propinquitatem, necessitudinem ipsis cum Hagnia nullam intercedere, et hic [meus adversarius] si ausus tum non fuit pro hoc puero semissem hereditatis petere, atque Stratii liberi, qui in eodem sunt cum hoc puero gradu et juris et consanguinitatis cum Hagnia, si ad hoc diei ausi non sunt mecum hac de hereditate contendere, egoque ipse hanc hereditatem si teneo a vobis mihi legitime adjudicatam, et hunc si coarguo planumque facio non potuisse ad hoc diei demonstratum dare puero cum Hagnia cognationem esse, ecquid adhuc vos oportet discere? ecquid adhuc aliud hac de re cupitis audire? Nam ego equidem viros sapientes vos habeo, quibus a me disputata satis et super esse possint.

6. Hic autem [adversarius meus] facillime quicquid in buccam venerit nulla non de causa mentiens, nullumque sibi damnum ex improbitate sua sperans exstiturum, tum alia in me probra atque crimina conjectat, de quibus fortasseau postmodum mentionem faciam; tum hoc quoque jactat, Stratoclem et me collatis inter nos clandestinis consultationibus de dividenda inter nos hereditate, uter nostrum tandem causam victurus esset, depectos fuisse, cum in eo essemus ut actiones has de hereditate sortiremur. Atqui si quibus aliis licuit hac de hereditate certamen inter se compromittere, nobis solis id non licuit. Nam Eubolidis quidem filia et Hagniæ mater, quod inter se non ex eodem juris titulo certarent, poterant illæ quidem secum decidere atque clanculum depecisci, utra vinceret, ut alteram victam in portionem hereditatis venire sineret: cadiscus enim [seu urnula] earum unicuique sua seorsim ponenda erat. Nostra autem non eadem erat conditio; contendebamus enim ambo nos ex eodem titulo cognationis, verum unusquisque nostrum seorsim pro se singulari actione semissem hereditatis petebat. Petentibus autem idem et ex eodem titulo una solummodo ponitur urna, et tum non potest alter vincere, alter vinci, sed ambobus idem imminet periculum. Quapropter negatum nobis erat inter nos depecisci aut communionem partitionemve inter nos constituere hujus hereditatis. Verum quia Stratocles vita prius decessit quam nostrum unusquisque suam seorsim actionem de semisse hereditatis sortiretur, eoque pacto interempta Stratocli erat ejus participatio parique modo filio isti per legem, sed hereditas ex asse ex titulo propinquitatis ad unum me, si vicissem possessores, deventura erat, tum demum [adversarius meus] ista sibi comminiscitur et machinatur, sperans facile sibi futurum ut ejusmodi commentis vos decipiat. Nihil autem horum fieri potuisse, sed unumquodque momentum causarum ad hereditates pertinentium a legibus distincte subtiliter

que definitum esse, facile id est e legibus cognoscere. Cape tu istoc, et recita ipsis.

LEX.

Videturne vobis lex facultatem dare communionis [vel partitionis inter duas partes de hereditate litigantes clam condicendæ]? annon potius e contrario, etiamsi antea fuisset communio, edicit unumquemque suam portionem petere et eadem de re eodemque ex titulo litigantibus unum poni cadiscum et ad hunc modum facere adjudicationem hereditatum? Et nihilominus tamen hic [adversarius], tametsi leges hæc edicant et tametsi communicatio [inter me et Stratoclem] locum habere nullum potuerit, ausus tamen est tam temere mendacium tam pudendum comminisci.

6. Verum non hoc solum ausus est, verum etiam res jactare eum nil puduit inter se repugnantissimas. Attendite modo, judices, animum. Pollicitum me ait esse puero, tenentes hereditatem si vicero, semissem ejus me ipsi impertiturum esse. Atqui si puero jus hereditatis erat — id quod hi aiunt esse — ex titulo cognationis, quid opus erat ut hanc a me sponsionem exigeret? Nam vera si sunt ea quæ prætendunt, erat ipsi quoque jus non deterius atque mihi est hereditatem in jure petendi. Sin autem a propinquitate ejusque juribus exclusi prorsus erant, eccur ego reciperem illis partem hereditatis impertiturum, legibus mihi soli hereditatem ex asse addicentibus? At eratne forsitan mihi negatum, nisi hos mihi conciliassem, hereditatem petere? Atqui lex volenti cuique veniam ejus rei dat; quapropter hac quidem uti causatione illis non licet. At erat forsitan penes illos aliquod documentum aut testimonium, quo carens ego adjudicationem hereditatis adipisci non poteram? Atqui ex titulo cognationis petebam, non ex titulo legationis testamentariæ. Quo ergo testes?

7. Atqui si, donec superfuit Stratocles, mihi non licuit clandestinum de partiendis bonis pactum inire, neque pater ipsi [puero Stratoclis filio] horum [controversorum Hagniæ bonorum] quicquam reliquit, sententia judicum sibi adjudicatum adeptus, neque probabile est me pollicitum ipsi [puero] esse quicquam de restituenda semisse hereditatis, adjudicate denuo vos mihi hanc hereditatem. Sin autem neque sortiti sunt de iisdem actionem in me neque æquum judicarunt esse mecum certare, qui par sit vos horum prædicationibus fidem habere? Ego equidem arbitror par id non esse. Jam vos merito miremini, cur illo tempore hi de semisse hereditatis certare omiserint. Cui dubitationi vestræ quo occurrat hic, comminiscitur, quominus actionem in istos [reliquos cognatos Hagniæ] ipsi instituissent, in causa me fuisse qui de reddenda semisse spopondissem, et propterea se sacramentum non deposuisse;

quo minus autem ipsi me actione persequerentur leges intercessisse, per quas pupillis haud liceat actiones forenses in suos tutores intentare: verumenimvero vel hoc quoque veritati parum est consentaneum. Neque enim legem habeat ullam proferre, quæ vetet ipsum pro pupillo mecum in jure agere pœnasque injuriarum factarum si quæ factæ fuissent repetere; nulla enim est hujusmodi lex quæ id agere volenti obstet, sed ut lex in me, si pupillum lædam cujus tutor sim, majestatis actionem dat, ita multo magis vult locum esse privatis quoque inter me pupillumque actionibus: neque rursus verum hoc est quod aiunt, a contentione cum illis quibus hereditas competit ideo se destitisse, quod ego ipsis promisissem me semissem hereditatis cum ipsis communicaturum; non hæc est vera causa, sed quod conscii sibi erant jus in hæc bona sibi nullum esse. Verumenimvero, si vel maxime veniam huic puero dedissem hereditatis semissem a me in jure petendi, atque, ubi eam a judicibus sibi adjudicatam impetrasset, exigendi, certus tamen sum eos nunquam passuros fuisse id in animum sibi venire ut facerent: profecto ne conati quidem essent, bene gnari, si tenerent aliquam solummodo partem bonorum ad se nil attinentium cum essent extra propinquitatem, proximos cognatos cito illam partem rursus ereptum itutos facilique negotio erepturos esse. Nam, id quod iterum atque iterum dico, lex liberis nostris post excessum nostrum propinquitatis titulum non amplius facit reliquum, sed adimit, eumque protinus ad consanguineos a parte matris transfert. Veniet itaque istæc ab eo repetitum, hinc Glauco Hagniæ frater — adversus quem non solummodo meliorem cognationis titulum allegare non possent, sed ne ullum quidem, quippe qui extra propinquitatem sint —, illinc mater Hagniæ Glauconique communis, si vellet, quippe cui ipsi quoque titulus cognationis cum filio suo competit; quo futurum esset ut, si mater contentionem cum iis iniret qui Hagniam cognatione prorsus nulla attingunt, semissem ea sit vobis, judices, procul omni dubio ablatura, quippe quam ei et leges et ipsa dat æquitas. Has igitur ob causas actionem in me sortitus tum non fuit [adversarius], non autem [ut nunc præ se fert] ideo quod esset a me aut a legibus impeditus, sed per hos prætextus quos ipse sibi commentus est, ad has quas in me jactat nefarias criminationes grassatur, quibus accusationem majestatis inædificavit, per quam me sperat a se apud vos in invidiam atque suspicionem adductum eoque a tutela pueri depulsum iri. Quo facto bona pueri sperat in potestatem suam perventura, videturque sibi per has machinationes viri imprimis callidi partes acturus: nam, si conatus minus prospere succedat, se nil utique perditurum autumat; sin autem ex animi sui sententia rem gerat, sibi licitum fore pupilli quoque bona impune dissipare.

8. Quare vos decet, judices, ad hujus hominis cavillationes haud attendere, neque committere ut hic mos in republica gliscat atque invalescat, quibus de rebus leges judicia privata constituunt, eas res ad causas capitales pertrahendi. Simplex omnino jus notumque omnibus in hac causa constitutum est; quod ubi ego vobis ad mentem tribus verbis revocavero vestræque memoriæ tanquam fidecommissum sancte servandum demandavero, ad refutanda quæ supersunt reliqua meæ accusationis capita progrediar. Ecquod igitur illud est, quod dico, jus? et quanam ego distinctione rem hanc definio? Pupillo si ait [adversarius] competere jus ad hereditatem Hagniæ ex titulo propinquitatis, semissem ab archonte petito; quam si vos ei, judices, sententia vestra addixeritis, capito, habeto: sic enim fieri leges præcipiunt. Sin autem ex hoc titulo petere recusans, asseverabit me pupillo partem dimidiam promisisse impertiendam, jure mecum experitor; quo facto, ubi me negantem id a me promissum esse coarguerit, omnino me eam in formulam condixisse, tum demum semissem hereditatis a me condictam exigito: sic enim æquum et justum est. Sin autem pupillo negat actionem in me esse neque ex titulo hereditatis neque ex titulo male gestæ tutelæ, legem indicato id vetantem, et indicare si habuerit, etiam hoc pacto licebit semissem hereditatis a me ut auferat. Sin autem pupillum decere negabit ut sive hereditatis semissem in jure petat sive privata lite mecum de non servato promisso contendat, sed niet universa Hagniæ bona ipsius de jure esse, adito ad archontem eique auctor esto ut bona Hagniæ in indicem bonorum hujus pueri inferat, eique elocet qui bona pueri mercede conducta habet, tum ad me hic conductor locaris aufferendi causa venito. Plana hæc sunt et luculenta postulata, cum æquissimo jure consentientia validoque stringentia. Hæc a legibus impetratur, neutiquam autem, ita medius fidius, quibus de rebus actiones privatas esse legislator voluit, eas publicis commutare, neque me majestatis accusare neque in discrimen capitis et fortunarum omnium deducere, ideo quod pupillo huic ea nolo impertire, quæ ego a vobis, judices, adjudicata mihi possideo, posteaquam priores possessores causa vici: bonorum pupilli si quid ego haberem atque retinerem quod ejus esse constaret inter omnes idque male administrarem, ita ut fortunæ ejus deteriorem in locum deducerentur, tum opportunum et æquum fuisset hanc majestatis causam mihi intentari, non autem profecto, si mea mihi servo[illegible]

9. Adversarium itaque neque hac in re juris æqui observantem fuisse neque in cæteris veritatis in prædicando, sed omnia cupiditate valde actum esse machinatum quo me apud vos in invidiam quamcumque adduceret, pravamque ad sententiam leges deterrimas summumque per nefas studere neque vosque circumvenire, neminem

vestrum, ita me dii ament, arbitror esse qui ignoret, sed perinde nostis omnes; quapropter causæ nil video cur hic de rebus plura disputem. Sed video eum [adversarium] orationem plurimam in rationibus substantiæ tum ejus quæ pupillo est tum alterius quæ mihi exponendis consumere, et pupillum quidem plane nudum fortunis omnibus oratione facere et ad inopiam redactum, mihi autem copias nescio quam ingentes verbis adstruere, animumque affingere tam degenerem tam sordidum tam flagitiosum denique atrumque, ut Stratoclis filiarum, quæ numero sunt quatuor, nulli dotem quodunque pacto contribuam, quamvis bona fratris earum habeam mihique arrogaverim; id enim ille verbis tantummodo jactat. Consultum itaque duco a me hunc quoque nodum expediri. Sperat enim se his orationis præstigiis hoc consecuturum, ut sinistra de me opinione repleti animisque a me abalienati suspectum me vobis exosumque habeatis mihique invideatis ut homini præter meritum et per nefas bonis alienis saginato, liberorum Stratoclis autem miseratio vos incessat, si culpa mea egeni et mendici facti vobis videantur esse. Committendum itaque mihi non est ut vos hæc ignoretis, sed opera potius danda ut hæc quoque probe teneatis, quæ certi sitis eum hæc quoque mentitum esse, pariter atque reliqua omnia mentitus est. Ego profecto, judices, haud recusem hominum omnium pessimus haberi, si, Stratocle in re domestica afflicta extincto, ita me immemorem ejus itaque gererem inhumanum ut ipse copiis rerum omnium abundans liberos ejus egere rebus omnibus paterer pensique eos haud facerem. Sin autem Stratocles liberis facultates reliquit et ampliores quam sunt meæ et certiores, easque tantas ut et filiæ cum dote luculenta possint elocari, et filius cum iis, quæ ab elocatione sororum ipsi supersunt, nihilominus tamen in locupletibus haberi, egoque si bona illa sic administro ut multo etiam magis amplificentur, tum merito caream reprehensione, rem meam familiarem illorum rei adjicere nolens, et, quod rem illorum non tuear modo sed amplificem quoque accessionibus haud pœnitendis, ex eo vel laudem quoque merito. Rem autem ita se, ut aio, habere, facile demonstratu est.

10. Primum itaque ipsa de substantia Stratoclis exponam, tum quæque me recte postulare ut tutela pupilli penes me impostorum quoque maneat. Stratocli patrimonium erat perinde atque mihi est modicum ejusmodi ut munera quidem non edentibus sufficiat, edendis autem muniis nequaquam par sit. Documentum dabo: ambo nos cum uxore quisque sua vicenas minas tulimus in dotem, cujusmodi dos non facile in domum locupletem detur [sed duplo triplove et ultra major]. Sed contigit Stratocli ut patrimonio hereditatem duum talentorum cum semisse adjungeret. Theophon enim ejus uxoris frater moribundus ex ejus filiabus unam sibi pro filia

adoptabat, eique per testamentum donabat prædium Eleusine duo talenta valens, nec non sexaginta oves, centum capellas, supellectilem domesticam, equum splendidum cui insidens [Theophon] phylarchum [seu tribunum turmæ equestris] egerat, et omne reliquum instrumentum; quarum omnium rerum ille [Stratocles] potitus per novennium reliquit substantiam quinque talenta et semis valentem connumerato patrimonio, sed exclusa hereditate illa quam Theophon ipsius filiæ donaverat: reliquit enim Stratocles prædium Thriasium duo talenta cum dimidio valens, domum [in vico] Melite triginta minis emptam, aliam Eleusine quinque minis emptam. Bona hæc sunt immobilia a Stratocle relicta, quorum annua vectigalia hæc sunt: prædii minæ denæ binæ, domuum autem ternæ, in summa denæ quinæ in annum minæ; pecuniæ fœnori elocatæ quadraginta circiter minæ, quarum quæstus annuus septingentæ sunt atque viginti drachmæ [mina quaque in mensem sesquidrachmam merente]. Quas 720. drachmas si addis illis superioribus 15. minis, habes minas quæstus annui 22. et super. Præterea reliquit supellectilem, oves, grana, vinum, fructus autumnales, quibus venditis redactum est ad quadraginta atque novem minas. Paratæ pecuniæ denique in arca depositæ novem minas. Adde ex eranis redacta debita, paulo minus quam decem minas, quas mater pupilli coram testibus confessa in tabulas curavit inferri. Mentionem faciens nullam eorum, quæ Stratocles reliquit quidem, hi vero [pupilli mater, et adversarius meus eorumque consortes] celant, tantum in propatulo posita commemoro et ea quæ hi ipsi confitentur. Cita tu mihi testes a me dictorum.

TESTES.

Erat itaque Stratocli substantia hæc quam dixi, et vel amplior quoque atque spissior: deinde vero nonnulla furto decerpta sunt, de quibus paulo post mentionem faciam. Mea vero res familiaris quantula est! Agellus in Œnea quinquaginta agellusque Prospaltius triginta et domus in urbe viginti minas valens, tum hereditas ab Hagnia mihi relicta duum admodum talentorum; neque enim norim unde majorem substantiam extuderit. Summa est tria talenta et quadraginta minæ, decem adeo et centum minis minor quam pupilli res familiaris est. Et in his ipsis complector adeo facultates filii emancipati; pupilli autem in bonis haud numero substantiam Theophontis, duo talenta cum dimidio valentem, quam Theophon pupilli sorori, suæ ex sorore nepti, a se pro filia adoptatæ legavit: nam, si bona Theophontis ad illa Stratoclis propria addantur, facile substantia corrotundetur octo talentorum, quæ istorum est; quanquam nonnullæ particulæ inde decerptæ sunt. Præterea sors quidem ab Hagnia mihi relicta certa et secura non est; actiones enim falso-

rum testium exhibitorum in me coortæ sunt, et lex quidem, si quis falsi dicti testimonii convictus fuerit, judices hac de causa de integro sortiri jubet: Stratocles autem filio, huic pupillo, bona sua certa et omnium confessione ipsi propria atque omni controversiæ exempta reliquit. Hæc autem, quæ mea esse dixi, quod mea sint, hilo non plura, et quod hoc ipso numero complexus ea sim, quæ mei filii, illius emancipati, propria sunt, et quod actiones de falsis exhibitis testibus super hac hereditate Hagniæ exspectem mihi occursuras, ut constet, cape tu hæc testimonia atque recita.

TESTIMONIA.

11. Videturne jam vobis substantiæ meæ conditio dissimillima conditioni substantiæ hujus pupilli esse? annon tanta inter nos est ratione sortium nostrarum discrepantia, ut sors mea ad sortem illius pæne nulla videatur esse? Verum haud decet vos hujus hominis orationi fidem adhibere, qui tametsi pupillo tam ampla res familiaris esset relicta, quo me tamen invisum redderet, ausus est tam enormia de me mendacia spargere; recensens tres hereditates quas me ait adeptum esse, neque verbis solummodo divitias exaggerans, quas oratione mihi ingerit, sed fraudis quoque me insimulans, ac si eas celem neque apud ærarium indicaverim, quo tributis vos defraudarem inde dependendis earumque fructum vos perciperetis quam minimum. Scilicet, qui vera et æqua quæ dicant non habent, hi necessario mendacia comminiscuntur, quo invidiam creent infamatis et hac arte adversarios evertant. Mihi vero vos omnes testes estis, Chæreleum et Macartatum, uxoris meæ fratres, non fuisse in numero civium sumptuosa munera sustinentium, sed eorum quibus res domi est angusta. Macartatus quidem, id quod vos omnes nostis, agello vendito triremem emit in eaque viris et armis instructa in Cretam evectus est: neque enim in occulto id agebatur, sed tam palam ut etiam locum daret mentioni ejus rei in concione factæ, verentibus quibusdam ne Lacedæmonii, illo auso pacem nuper factam prætendentes violatam esse, bellum denuo renovarent. Chæreleos autem agellum Prospaltium reliquit, qui si veneat, pluris certe quam triginta minis haud veneat. Agellum hunc qui relinquebat, ei contingebat ante Macartatum mori: Macartato autem fatale erat ut universa cum substantia sua, cum qua ex hoc portu solverat, periret; nam et triremem perdidit in bello et ipse periit. Agello itaque Prospaltio ad uxorem meam devòluto, quæ est Macartati et Chærelei soror, ab illa persuasus alterum filiorum Marcartato pro filio subrogavi, non quo muniis fungeremur, agello hoc ad facultates meas accedente, neque enim ideo minus fuissem muniis publicis functus, si filium Marcartato non subrogassem: non enim solum-

modo muniis fungebar, sed etiam in numero conferentium vobis omniaque imperata strenue facientium eram. Hic autem [adversarius meus] mei infamandi causa de me ita loquitur, ac si dives quidem at vobis tamen inutilis civis essem. Ego vero summam universæ causæ dicam, quæ vobis quoque videbitur æquissima esse. Commisceri meam substantiam cum substantia pupilli volo, quæcunque illa mea est sive ampla sive exigua, et sic ambabus unam in massam conglobatis unusquisque nostrum semissem capito, quo neuter altero plus habeat quam convenit. At certus sum eum hanc conditionem esse recusaturum.

DINARCHI

INTERPRETATIO LATINA.

DINARCHI

CONTRA DEMOSTHENEM.

1. Iste quidem magistratus vester, Athenienses, cum ipse capitis sese condemnarit si quicquam ab Harpalo accepisse convinceretur, adeo manifeste convictus est acceptorum ab iis munerum, quibus se hactenus adversari est professus: cum autem Stratocles multa verba fecerit et pleraque crimina jam occupata sint, ac senatus Areopagiticus ipsius indicii æquas et veras rationes attulerit, de iis vero quæ restabant Stratocles sit locutus et decreta jam quæ ad rem pertinebant recitarit, relinquitur nobis, Athenienses, tantam præsertim causam agentibus quanta nulla unquam oblata est reipublicæ, uti vos ex æquo omnes hortemur primum ut nobis reliquis veniam detis, si forte in quædam ab aliis allata in medium inciderimus — nec enim eo repetemus eadem uti vos obtundamus, sed ut ad majorem iracundiam concitemini —, deinde ne commune jus totius civitatis negligatis, nec salutem publicam cum rei eloquentia commutetis. Illud enim videtis, Athenienses, apud vos quidem de Demosthene fieri judicium, apud alios autem de vobis: qui observant quemadmodum patriæ commodis studeatis, atque utrum privatas istorum sordes et improbitatem in vos recipiatis, an vero mortalibus omnibus declaraturi sitis vestrum in eos odium qui largitionibus in reipublicæ fraudem corrumpuntur, neque vos inquisitionem istam senatui Areopagitico mandasse ut delatos absolveretis, sed ut, ejus indicio cognito, vos illos ut eorum facinora merentur ulciscaremini. Id igitur nunc vobis in manu est. Nam cum justum plebiscitum factum sit, omnesque cives investigare cupiant quinam oratores isti sint qui cum ignominia et periculo reipublicæ pecuniam ab Harpalo accipere non dubitarint, prætereaque tu ipse Demosthenes ac multi alii decreto hac de re inquiri jusseritis a senatu, instituto majorum, num qui aurum ab Harpalo acceperint, inquirit Senatus; neque vero is ex istis cohortationibus jus illud didicit, neque veritatem et fidem suam in tua causa perdere voluit, sed, ut et ipsi Areopagitæ dixerunt, eo quod senatus istorum vires ac tum verbis faciendis [tum rebus gerendis potentiam prospexit, neque committendum censuit, ut ullius contra se jaciendi maledicti metu patriæ

suæ ullum crimen aut periculum crearetur. Hæc cum populi judicio recte atque utiliter acta essent, nunc querelæ, provocationes atque calumniæ a Demosthene afferuntur, posteaquam indicatum est eum viginti auri talenta accepisse: is ergo senatus, cujus gravis est auctoritas in vere pervestigandis et recte dijudicandis cædibus consulto factis, qui potestatem habet tum de corpore et vita cujusque civis pronunciandi tum violenta morte peremptis opitulandi, eos autem qui aliquid interdictum legibus in urbe commiserunt vel ejiciendi vel capite plectendi, is ergo nunc indicio de pecunia contra Demosthenem facto jus suum atque auctoritatem amittet?

2. Quid ni? falso enim præjudicio senatus Demosthenem oppressit. Et quid addi queat ad istam impudentiam? Te scilicet ac Demadem mendacio oppressit? in quos, ut res declarat, nec vera dicere tutum est? qui prius multa publica negotia ei inquirenda mandastis factasque inquisitiones laudastis? et quos universa civitas cogere non potest ut ea quæ æqua sunt faciant, contra eos senatus falsum indicium fecit? O Jupiter. Cur ergo in concione capite dare pœnas non recusabas Demosthenes, si te senatus detulisset? Cur tu multos sustulisti indiciis senatus nitens? Quo se nunc populus convertat aut quibus inquisitionem obscurorum et magnorum facinorum mandet ad comperiendam veritatem? Nam id concilium, quod prius fide dignum habitum est, tu qui te popularem perhiberi postulas evertis, cujus fidei populus vitam civium commisit, cui rempublicam et libertatem sæpe custodiendam tradidit, quod tuum corpus ut se nunc conviciis incesseres scilicet defendit sæpe — ut tu ais — insidiis appetitum, quod arcana pacta conservat, in quibus sita est salus reipublicæ.

3. At jure hoc, jure quodammodo accidit concilio: nec enim dissimulabo sententiam meam. Decuit enim eos, aut prius de trecentis talentis a rege Persarum allatis inquirere, quemadmodum populus constituerat, ut tum ista bellua supplicio affecta, et iis qui pecuniam illam partiti erant cognitis, et proditione qua Thebanos iste perdidit in lucem prolata, isto populi duce liberati essemus pro merito mulctato: aut, si vos ista condemnare Demosthenem voluissetis quo multi in urbe exsisterent qui contra vos munera caperent, hanc indicatæ jam pecuniæ inquisitionem non suscipere, ut qui prius quibus animis essetis periculum fecissent; quippe cum indicio nunc adeo recte et juste contra istum et cæteros facto senatus Areopagiticus neque Demosthenis neque Demadis opes formidarit, sed majorem æquitatis et veritatis rationem habuerit, nihilominus Demosthenes circumeat et senatum insectans et semetipsum jactans iis verbis quibus fortasse apud vos statim utetur decipiendi gratia, cum dicet Se effecisse ut Thebani societatem vobiscum inirent. Non: sed id quod æque civitati utrique expediebat tu

corrupisti, Demosthenes. Se omnes ad Chæroneam in aciem eduxisse. Non: sed solus illic acie excessisti. Se multas pro vobis legationes obiisse. Quibus elatus equidem nescio quid egisset aut quæ verba fecisset, si consilia ejus successum habuissent, qui ad tales calamitates et tanta mala conflanda totum orbem terrarum peragrarit; et tamen præmia sibi maxima decerni postulat, ut et in patriæ fraudem munera capiat et contra populum quidvis et dicat et faciat impune. Ac Timotheo quidem qui Peloponnesum classe circumvectus est quique Lacedæmonios navali ad Corcyram prælio superavit, qui Cononis filius fuit a quo Græcis libertas restituta est, a quo capta Samus, Methone, Pydna, Potidæa et præter has aliæ viginti urbes, nihil apud vos ista profuerunt, neque talia beneficia cum judicio tum constituto et jurejurando, quo dato suffragia ferebatis, commutastis, sed centum talentis mulctastis, quod ipse fatebatur se a Chiis et Rhodiis pecuniam accepisse: impurum autem istum Scytham — nec enim temperare mihi queo — quem non unus vir sed totus ex Areopago senatus facta inquisitione pecuniam contra vos habere indicavit, quem esse mercenarium et captatorem munerum contra rempublicam declaravit et harum rerum convicit, eum non ulciscemini? in eum exempla non edetis? quem non modo regium aurum accepisse constat, sed rempublicam esse depeculatum, et nunc ne ab Harpalo quidem allata pecunia abstinuisse. Enimvero quam meritorum Timothei partem constituunt Demosthenis legationes Thebis obitæ? aut quis non derideat vos qui audire ista non gravemini, si conferat eas actiones quibus iste gloriatur cum Timothei et Cononis beneficiis? Sed non decet cum quisquiliis istis eos comparari qui res pro vobis et republica nostra et majoribus dignas gesserunt. Quare senatusconsulto de Timotheo exhibito revertar ad orationem de isto institutam. Recita.

SENATUSCONSULTUM.

Talis fuit ille civis, Demosthenes, qui jure et veniam et gratiam invenisset a suis civibus, qui non dictis sed factis multa officia reipublicæ præstitit, qui idem semper institutum usque ad obitum tenuit, non ut tu crebris mutationibus cœlum terræ miscuit, neque tantas remunerationes a populo flagitavit ut superior esset legibus, neque postulavit ut qui jurarunt se ex legibus pronunciaturos pietate supersedendum esset, sed et condemnari voluit, si judicibus visum esset, qui non excusationes temporum attulit, neque aliud sensit aliud pro concione dixit.

4. Non occidetis, Athenienses, sceleratum istum hominem, qui præter alia multa et magna peccata etiam Thebanorum urbem everti passus est, cum a rege Persarum trecenta talenta ad eorum conser-

vationem accepisset? nam cum Arcades in Isthmum venissent atque Antipatri legatos re infecta dimisissent, et infelicium Thebanorum admisissent, qui mari segre ad eos pervenerant, supplices et caduceos oleaginos — ut aiebant — gestantes, dicturi apud Arcades Thebanos non eo animo res novas moliri quod Græcorum amicitiam desertam vellent, aut Græcis adversaturi essent, sed quod Macedonum in suam urbem violentiam diutius tolerare non possent, neque perpeti servitutem, neque intueri contumelias quæ hominibus ingenuis factæ sunt. Quibus cum opem ferre Arcades parati essent, adductique essent misericordia malorum in quibus versabantur, ac declarassent se corporibus Alexandrum propter tempora sequi coactos, voluntatibus autem cum Thebanis et Græcorum libertate fuisse conjunctos, eorumque dux Astylus venalis esset — ut et Stratocles narravit — et decem talenta postularet ob adducenda Thebanis auxilia, ac legati ad istum venissent, quem aurum regium habere scirent, et orarent atque obtestarentur ut pecuniam illam ad civitatis suæ salutem conferret, recusavit nefarius iste atque impius et sordidus de magna pecunia quam habebat decem tantum talenta dare, cum quidem videret tantam spem salutis Thebanorum affulgere, nec obstitit quo minus alii darent illud argentum — ut et Stratocles dixit — quo Arcadica expeditio domum reverteretur nec opem ferret Thebanis. Nunquid videtur vobis parvorum malorum ac vulgarium universæ Græciæ auctor exstitisse Demosthenes et ejus avaritia? num deberi ei venia a vobis his factis, ac non potius ultimum supplicium ob injurias tam recentes quam veteres illas? Audient judicium, Athenienses, hoc die a vobis factum: omnes homines spectabunt vos, judices, quo pacto tractaveritis hominem tam facinorosum. Vos estis qui ob delicta istius injuriis multo leviora magna supplicia nullis mitigati deprecationibus inflixeritis. Vos Menonem molitorem occidistis, quod ingenuum puerum Pellenæum in pistrino habuisset: vos Themistium Aphidnæum, quod initiis Eleusiniis Rhodiam citharistriam violasset, capite mulctastis: Euthymachum item, quod puellam Olynthiam prostituisset. Ob istum vero proditorem liberi et uxores Thebanorum in tabernacula barbarorum sunt distributæ, urbs finitima et fœderata e media Græcia est abrepta, aratur et conseritur urbs Thebanorum qui nobiscum una bellum Philippo intulerunt. Aratur, inquam, et conseritur; nec misertus, inquam, est impurus iste civitatis adeo miserabiliter pereuntis, in quam legatus a vobis missus est, cujus sacris et mensis sæpe interfuit, quam ipse ait sua opera sociam vobis esse factam. Verum ad quos rebus secundis sæpe est profectus, eos rebus adversis deseruit. Illi — ut seniores narrant — abrogata nostra libertate et Thrasybulo exsules colligente ad Phylen occupandam, quamvis Lacedæmonii rerum potirentur et quamquam Atheniensium

recipi vetarent aut dimitti, tamen adjutores populo fuerunt ad patriam recuperandam et sæpe recitatum apud vos decretum fecerunt, non esse connivendum si quis armatus regionem Atheniensium transiret: iste autem qui, ut mox gloriabitur, se communem præbet sociis nihil simile fecit, neque quicquam ejus pecuniæ quam ad illorum salutem procurandam acceperat amittere voluit. Quorum vos, judices, recordati, præsertim cum quæ mala proditionis sint in Olynthiorum et Thebanorum calamitatibus spectaveritis, vestræ incolumitati nunc ipsi recte consulite, ac largitionum contra patriam avidis e medio sublatis in vobis ipsis et diis immortalibus spem salutis collocate. Sola enim hac ratione, Athenienses, sola hac ratione alios etiam corrigetis, si principes improborum convictos ita puniveritis ut eorum meretur improbitas. Nam si qui vulgares rei condemnentur, id nemo resciscit neque etiam scire avet quid eis acciderit: de illustribus autem omnes sciscitantur et laudant judices, ubi jus et æquum reorum gloriæ non condonarint. Recita decretum Thebanorum. Dic testimonia. Lege literas.

DECRETUM. TESTIMONIA. LITERÆ.

5. Mercenarius iste est, Athenienses, mercenarius iste est jam olim. Iste est qui legationem a Philippo proficiscentem ad nos Thebis vocarit, et primi belli deponendi auctor fuerit: iste cum Philocrate consilia contulit qui pacem decrevit cum Philippo faciendam, ob quam vos illum ejecistis, et bigas legatis conduxit qui cum Antipatro huc profecti erant, et excepit eos et Macedonibus assentandi consuetudinem primus in urbem introduxit. Ne absolvite, Athenienses, ne dimittite impunitum hominem cujus nomine urbis cæterorumque Græcorum clades sunt inscriptæ, palam convictum acceptorum contra rempublicam munerum, neque cum vos fortunæ benignitas in melius provehat, atque alteram patriæ pestem urbe ejecerit, istum autem vobis occidendum tradiderit, omnibus utilitatis rationibus adversamini, sed omen actionum urbis avertite, atque in istos duces eventus adversos convertite. Ad quod enim tempus reponetis istum, quo eum vobis usui futurum existimetis? Aut ne vestrum aut circumstantis coronæ quisquam qui dicere possit, quæ iste vel privata vel publica negotia, ubi tractanda suscepit, non everterit? Nonne, iste Aristarchi domum ingressus, initis consiliis cum eo qui Nicodemi cædes — ut nostis omnes — crimini dabatur, Aristarchum maxima cum infamia urbe ejecit? Is igitur tali amico usus est Demosthene, ut existimet istius accessum non aliud fuisse quam malum quendam genium et ortarum calamitatum ducem atque auctorem. Nonne, cum populo suadere cœpit, quod utinam nunquam factum esset — nam privata ejus acta omittam: tempus enim prolixitatem orationis non patitur —, boni quidem ut

omnino dicam reipublicæ nihil contigit, in periculis vero et malis et ignominia tota Græcia, non tantum nostra urbs, versata est? et, cum plurimæ ei dum conciones habuit occasiones oblatæ fuerint, omnes nobis utiles occasiones neglexit? quibus porro temporibus bonus civis et reipublicæ studiosus aliquid gerendum suscepisset, iis tantum abfuit ut magistratus iste qui se mox vobis utilem fuisse dicet actionem aliquam proferret, ut eos etiam qui aliquid quod e re vestra esset gerebant sua fortuna oppleverit. Proficiscebatur Charidemus ad Persarum regem, cum quidem prodesse vobis non verbis sed re ipsa cuperet, et privato suo periculo vestram et reliquorum Græcorum salutem procuraret: cum autem iste in foro obambulans verba faceret seque rerum gerendarum socium adsciscere; sic eas fortuna invertit ut contraria eorum quæ exspectabantur evenirent. Solvit hinc Ephialtes, ac oderat ille quidem istum, sed tamen actionum socium habere cogebatur: etiam hunc ademit fortuna reipublicæ. Euthydicus populi commodis inservire decreverat: huic se amicum esse Demosthenes professus est: is periit. Quæ cum vos videatis et sciatis multo melius quam ego, non consideratis, non cogitatis ipsi vobiscum, de præteritis futura conjectantes, nullum istius esse usum nisi ut inimicis adjumento sit ad aliquid aliud mali contra rempublicam comparandum quale illud fuit apud Capram, cum et Lacedæmonii omnes cum exercitu exissent, et Achæi atque Elei sè cum eis conjunxissent, et decem M. peregrinorum militum in procincto essent, et Alexander in India esse diceretur, et Græcia universa ob singularum urbium proditores iniquo animo rerum illarum statum patiens aliquod urgentium malorum remedium optaret. Quid tum postea? Iis temporibus Demosthenes quis fuit, consulendi decernendique auctoritate præditus qui statim dicet hunc statum odio esse dignum? nam omitto cætera discrimina. Numquid aliquid decrevisti de his discriminibus? consuluisti? pecuniam suppeditasti? ullam vel parvam operam iis navasti qui communem salutem defensuri erant? Nihil penitus, sed circumibas nugigerulos instruens. Et tuopte ingenio literas confingebas. Et cum reipublicæ infamia iis de digitis suspensis obambulabat, delicias faciens in publicis malis, et lectica deferebatur via Pirræensi, pauperibus inopiam opprobrans. Et iste vobis ad futuras occasiones utilis erit, qui omnes superiorum temporum neglexit occasiones? Utinam, o Domina Minerva et Servator Jupiter, hujusmodi consultores et duces civitatis hostibus contigissent, et nunquam meliores.

6. Non in memoriam revocabitis res gestas majorum? qui, cum multa magnaque pericula urbem oppressissent, e dignitate patriæ et suæ libertatis et honestæ opinionis pro publica utilitate dimicarunt? Quorum veteres illos commemorare prolixum fuerit, ut

Aristidem et Themistoclem, qui mœnia civitatis erexerunt et tributa in arcem retulerunt quæ Græci sponte et volentes conferebant: sed ea quæ paulum supra nostram ætatem a Cephalo oratore gesta sunt et Thrasone Erchiensi et Helio Phormisio atque aliis viris præstantibus, quorum etiamnum quidam in vivis sunt. Nam horum alii, cum Cadmea præsidio Laconico teneretur, auxiliati exsulibus Thebas revertentibus suis periculis urbem finitimam et longo jam tempore servientem liberarunt, alii persuaserunt nostris majoribus ut expeditionem susciperent, senatusconsulto a Cephalo facto, qui non perterritus Lacedæmoniorum potentia, neque ratione habita incerti expeditionum eventus et periculosæ pro republica decernendi aleæ, jussit Athenienses suppetias ire exsulibus qui Thebas occuparant: egressis igitur illuc patribus vestris intra paucos dies Laconici præsidii dux ejectus est, Thebanis libertas restituta, urbs vestra rem gessit majoribus dignam. Illi fuerunt Athenienses, illi fuerunt digni vobis et populo senatores atque duces: non medius fidius istiusmodi vulpeculæ, qui cum pro utilitate reipublicæ neque egerint neque acturi sint quicquam, sed securitati suæ consulant atque undique argentum faciant, remque publicam sese ipsis reddiderint obscuriorem, nunc acceptæ contra vos pecuniæ comperti vos decipiunt, atque his rebus gestis suam avaritiam laudi ac præsidio sibi esse oportere censent. Quos quidem occidi oportet ex ipsorum decreto, cum olim talia perpetrarint.

7. Non pudet vos existimare, Athenienses, ex solis verbis nostris judicium esse de Demosthene faciendum? Non scitis ipsi eum esse captatorem munerum et peculatorem et amicorum proditorem, et urbe indignum tum ipsum tum fortunam ejus exstitisse? De quibus iste decretis, de quibus legibus, nummos non accepit? Sunt quidam in prætorio qui in trecentorum numero fuerant, cum legem ferret trierarchicam? Non dicetis assessoribus vestris ut tribus talentis acceptis eam transcripserit et reconcinnarit singulis concionibus, atque alia vendiderit accepto pretio, alia cum vendidisset non confirmarit? Dicite mihi per Deos, num putetis eum Diphilo gratis victum in Curia decrevisse, et statuam in foro collocandam? aut vobis auctorem fuisse donandæ civitatis Chariphilo, Phidoni, Pamphilo, Philippo, atque iterum Epigeni et Cononi mensariis? aut æreæ statuæ, in foro erigendæ Birisadi Satyroque et Gorgippo odiosissimis tyrannis? a quibus ei quotannis mille frumenti modii mittuntur, qui statim se nullum habere confugium dicet? aut Tauros thenem fecisse Atheniensem, qui et cives suos servitute oppressit, et totam Eubœam Philippo cum fratre suo Callia prodidit? quem leges agrum Atheniensium ingredi non patiuntur; aut eadem teneri pœna jubent qua eum, qui a senatu Areopagitico actus in exsilium in urbem revertitur. Et hunc popularis iste homo vestrum

civem esse jussit. Harum ergo rerum testes vobis sunt citandi, uti de cæteris quos iste hospites et Athenienses esse jussit? Nunquid, proh divum fidem, putatis eum qui argento accipiendo delectetur auri viginti talenta repudiasse? aut minuta munuscula acceptasse, tantam pecuniæ vim esse aspernatum? aut Areopagiticum senatum post semestrem inquisitionem nomina Demosthenis et Demadis et Cephisophontis per injuriam ad vos detulisse?

8. Multi, judices, multi civium et aliorum Græcorum — ut et prius dixi — observant vos quo pacto hanc causam disceptaturi, atque utrum aliorum etiam corruptelas in judicium adducturi, an vero sine metu accipiendi munera contra vos potestatem daturi sitis, an ea quæ prius firma et rata putabantur nunc ob Demosthenis hanc causæ dictionem auctoritatem omnem sint amissura, quem ob alias administrationes suas periisse oportebat, qui caput suum omnibus exsecrationibus quæ in urbe factæ sunt obstrinxit, qui Furiarum numen cæterorumque deorum quos in Areopago obtestari moris est perjurio violavit, qui singulis concionibus diris est devotus, qui munera cepisse contra rempublicam est compertus, qui et populo et senatui verba dedit contra exsecrationem cum alia sentiat alia dicat, qui privatim Aristarcho atrocia et contraria legibus consilia dedit, pro quibus — si qua est justa in perjuros et sceleratos vindicta, sicut est — pœnas iste dabit easque hoc ipso die. Audite, judices, exsecrationem.

EXSECRATIO.

Tamen Demosthenes ad mentiendum et absurdissima quæque dicenda ita paratus est, adeo frontem perfricuit nec demonstratæ veritatis nec exsecrationis ullius rationem habens, ut de me quoque dicere non dubitabit ut audio, me quoque prius ab hoc senatu condemnatum; remque facere omnium absurdissimam, ut ipse ait, qui prius contra senatus hujus indicium causam dixerim, nunc vero ei patrociner, seque accusem de facto isto indicio: in quo ille rem non factam concinnat, et apud quosdam mentiri audet. Ut igitur, ubi se ad istam orationem converterit, non patiamini, sed certo sciatis senatum meum nomen non detulisse neque delaturum fuisse, sed ab uno homine improbo et apud vos pœna affecto injuriam mihi esse factam, paucis me audite: post iterum istum aggrediar.

9. Necesse habet Senatus Areopagiticus duobus indicia omnia referre modis. Quibus istis? vel suopte consilio facta inquisitione, vel ex mandato populi. Præter hos nullus alius est. Quod si tu, nefaria bellua, dicis, populo mandante Senatum inquisisse ac detulisse nomen meum, ostendito plebiscitum, et qui mei fuerint accusatores delatione facta, quemadmodum nunc utrumque factum est, tum decretum quo inquisivit Senatus, tum accusatores delecti a po-

pulo, e quibus nunc judices maleficia audiunt. Quæ si vera fuerint, mori non recuso. Sin Senatum ipsum suopte consilio me detulisse dicis, testes producito ipsos Areopagitas, quemadmodum ego eos producam ut constet me non esse delatum. Eum autem hominem atque improbum proditorem, qui per mendatium, ut tu quoque, et me et Senatum violavit, læsæ majestatis reum feci, et apud quingentos et bismille cives convici eum opera sua Timocli contra me locata id fecisse, atque ultus sum ope illius temporis judicum. Cape tu mihi testimonium, quod prius etiam in judicio cum causa ageretur exhibui judicibus neque id quisquam criminatus est tanquam falsum, id ergo proferam. Recita testimonium.

TESTIMONIUM.

Num vero grave non est, Athenienses, si, eo quod unus vir Pistias ex Areopagitarum numero me perperam egisse dixit, cum et contra me et contra se natum mentiretur, mendacium veritatem superasset, atque ob imbecillitatem eo tempore et solitudinem meam falsæ illæ contra me machinationes valuissent: nunc, cum rei veritas apud omnes Areopagitas in confesso sit, et constet Demosthenem viginti auri talenta in fraudem vestram accepisse eoque facto deliquisse, et magistratum illum, in quo quidam spem collocatam habent, evidenter deprehensum sit corrumpi largitionibus, instituta illius concilii et veritas eloquentiæ Demosthenis cedent, et calumnia quam contra senatum illum Demosthenes afferet veritate plus valebit? dicet enim senatum detulisse multos ut in populum injurios, qui in judicio sint absoluti, ac senatum in quibusdam quintam suffragiorum partem non tulisse. Hoc vero quo pacto fiat, facile omnes cognoscetis. Senatus inquirit ea quæ mandata sunt a vobis et apud se commissa facinora, non ut vos — neque vero mihi irascamini — dijudicare interdum soletis, misericordiæ potius quam justitiæ rationem habentes, sed simpliciter eum defert qui inquisitione tenetur et quomodocunque patria instituta violavit, existimans fore ut is qui parvis in rebus delinquere assueverit facile ad majora facinora impelletur. Eaque de causa collegam suum, qui portitorem naulo fraudarat, mulctatum apud vos detulit: rursus eum etiam, qui quinque drachmas nomine absentis postularat, apud vos detulit; eum item, qui portionem Areopagiticam contra majorum morem vendere non dubitarat, eodem modo mulctatum ejecit. Eos vos causa cognita absolvistis, non quo mendacii senatum argueretis, sed quia humanitatis potius quam summi juris rationem ducebatis, quodque supplicium admisso a reis facinore gravius putabatis. Numquid ergo, Demosthenes, falsum indicium fecit senatus? Non utique. Hos igitur et alios similes ut injurios a senatu delatos vos absolvistis. Polyeuctum

porro Cydanthidem, cum populus inquirere senatum jussisset, utrum Megara se ad exsules conferret, atque re explorata deferre apud vos, indicavit rem ita se habere. Accusatores delegistis ex legibus, in judicium venit, vos absolvistis, quamvis confiteretur Polyeuctus se itare Megara ad Nicophanem; cui mater sua nupta esset. Nihil igitur vobis absurdum aut grave committere visus fuit, si cum matris suæ marito colloqueretur calamitate conflictato et patria privatum pro sua virili parte sublevaret. Hoc, Demosthenes, senatus indicium non est falsitatis convictum, sed cum verum esset, tamen judicibus placuit absolvere Polyeuctum: nam senatui quidem mandatum fuerat exquirere verum, id vero judices venia dignum esse censuerunt. Propterea igitur senatui de factis indiciis non est credendum, posteaquam te et gregales tuos aurum habere indicavit? Iniquum profecto fuerit. Ostendito enim tu Demosthenes in hac causa eorum qui deliquerunt facinus aliquod tuis esse simile injuriis, aut venia dignum esse capere munera contra patriam, eoque te jure ab istis absolutum iri? Verum leges in aliis pecuniariæ rationis injuriis duplum rependere jubent; in eos autem qui largitionibus corrupti sunt duas duntaxat mulctas constituerunt, vel mortem, ut hoc supplicio nummarius ille affectus aliis exemplo sit, aut decuplam accepti muneris mulctam, ut ea res iis qui ab illo facinore non abhorrerent nihil emolumenti afferret.

10. An vero hoc quidem dicere non institues, sed illud sic accidisse, ut cæteri omnes ea confiterentur qui a senatu delati essent rectam fuisse inquisitionem, tu vero solus eandem refelleres? At tu vero solus eorum omnium qui unquam delati sunt ultro postulasti hos judices et quæsitores, et ipse contra te decretum scripsisti, et populum fecisti testem pactionis tuæ, et capitale in te supplicium statuisti, si retulisset senatus te quicquam ejus pecuniæ accepisse quam Harpalus in nostram regionem attulisset. Enimvero prius scripsisti tu, Demosthenes, auctoritatem habere senatum Areopagiticum contra hos et cæteros Athenienses patriis legibus puniendi ejus qui patria instituta violasset: atque etiam commisisti huic senatui et tradidisti totam civitatem, quem statim dices esse oligarchicum: atque ex senatusconsulto tuo cives duo sunt interfecti, pater et filius, traditi ei qui fossæ præest: ex edicto tuo unus ex Harmodiana familia in vincula est conjectus: torserunt Antiphontem et occiderunt hi senatus indicio adducti: tu Archinum civitate ejecisti proditionis insimulatum ex senatus indicio et pœna. Contra te vero, idque cum ipse decretum scripseris, id decretum abrogas. Atqui ubi ista æqua aut usitata sunt?

11. Testabor severas deas, Athenienses, et locum quem illæ tenent, et heroes nostræ regionis, et Minervam Urbanam, cæterosque deos qui regionem nostram et urbem sortiti sunt, quod cum

a populo vobis traditum esset de eo pœnam capere, qui contra patriam aliquid accepit, qui violavit et corrupit urbis felicitatem, qui suis consiliis effecit ut quasi hostili vallo patria circumdaretur, quem inimici et malevoli patriæ vivere vellent, exitio fore patriæ existimantes, qui vero vestris rebus consultum volunt, et mutata fortuna sperant res civitatis fore meliores, persoluto factis digno supplicio perditum cupiunt, et hoc a diis immortalibus votis exoptant: cum quibus ego una vota facio ut patriam conservent, quam in periculo versari video salutis, liberum, uxorum, existimationis, bonorum cæterorum omnium. Quid enim dicemus, Athenienses, ad eos qui circumstant, egressi prætorio, si — quod absit — istius præstigiis fueritis decepti? quibus quisque vestrum oculis domum reversus patrios lares audebit intueri, si et proditorem qui primus in suas ædes intulit aurum ex corruptela acceptum absolveritis, et id concilium quod apud omnes mortales gravissimum habetur nihil veri vel exquirere vel invenire statueritis? Quam vero — cogitate ipsi vobiscum — quam spem habituri sumus, si quod periculum patriam invaserit, ubi munerum contra patriam acceptationem tutam feceritis, id vero concilium cui patriæ salus in ejusmodi periculis committitur auctoritate privaveritis? Quid vero — ponamus enim hæc — si ex decreto Demosthenis missis legatis Alexander aurum ab Harpalo in nostram regionem allatum repetiverit, et præter factum jam senatus indicium servos ad vos miserit qui nunc ad eum se contulerunt, atque ex iis postularit vos audire veritatem? quid per Deos dicturi sumus? Tu bellum scilicet decernes, Demosthenes, quando superiora quoque bella rite administrasti? Utrum porro æquius est, si idem cæteris etiam Atheniensibus visum fuerit, nos habere præter cætera etiam id aurum quod penes te est ad bellum, an ut alii de suis quisque possessionibus tributum conferant, et mundum muliebrem conflent, et pocula, et omnia nostræ ditionis donaria, id quod te in decreto tuo positurum aiebas, cum ipse de ædibus in Piræeo atque in urbe tuis quinquaginta drachmas contuleris? cum enim priore exactione tantum pependeris, viginti talenta habes. An vero bellum non decernes, sed ex decreto tuo allatum aurum Alexandro reddi jubebis? ergo pro te reddere populum oportebit. Atqui ubi istud justum aut æquum aut populare est, ut ii qui opus faciunt conferant, tu rapias? ut alii manifestas opes possideant eque iis conferant, tu vero ultra centum quinquaginta talenta, partim ex Persicis, partim ex Alexandri negotiis, acceperis, nihil tamen manifesti in urbe possideas, sed tuas opes a populo removeris ut qui actis tuis diffidas? Cum leges et oratori et imperatori edicant, si fidem a populo haberi sibi velit, ut liberos suscipiat, ut fundum intra limites possideat, omnibus æquis pignoribus depositis sic demum præsse

populo instituat: ut tu patrios fundos vendideris, et non natos tibi liberos contra leges adoptes propter ea sacramenta quæ in judiciis exiguntur, ut alios militare jubeas, cum communes ipse ordines deserueris?

12. Qua de causa putatis, Athenienses, urbes alias secundis rebus alias adversis uti? Nihil reperietis aliud quam senatores et imperatores. Intuemini Thebanorum civitatem. Fuit urbs, fuit maxima, at quales duces quales imperatores? Omnes sane fateantur seniores — e quibus et ego hæc quæ refero audivi —, cum Pelopidas, ut aiunt, sacræ cohortis dux esset et Epaminondas imperator eorumque collegæ, tum Leuctricam pugnam vicit urbs Thebanorum, tum in agrum Lacedemoniorum qui vastari posse non putabatur impressionem fecerunt, illis temporibus multa egregia facinora ediderunt, Messenam quadringentesimo anno post excidium instaurarunt, Arcades in libertatem vindicarunt, apud omnes gloria floruerunt. Quando rursus humiliter et non ut eorum animi magnitudinem decebat se gesserunt? Cum munera captaret ac pecuniam acciperet a Philippo Timolaus istius amicus, et peregrinis militibus adversus Amphissam conscriptis Proxenus proditor ille præesset, et dux phalangis creatus esset Theagenes, homo infelix et corruptus ut iste. Tum per tres homines quos dixi universa civitas una cum Græcis omnibus periit atque interiit. Neque enim falsum sed nimis verum est duces causam esse civibus omnium et bonorum et adversorum. Spectate idem in nostra quoque civitate, eodemque modo inquirite. Urbs nostra fuit magna et illustris apud Græcos et digna majoribus, post antiqua illa facinora, cum Conon, ut seniores noverunt, navali ad Cnidum prælio vicisset, cum Iphicrates Lacedæmoniorum legionem cecidisset, cum Chabrias Lacedæmoniorum triremes ad Naxum superasset, cum Timotheus navali pugna Corcyræ victor exstitisset. Tum, Athenienses, tum Lacedæmonii, qui prius ob duces splendidi fuerant illorumque moribus educati, humiles ad urbem nostram venerunt salutem a majoribus nostris expetentes, populus autem ab illis abrogatus per eos qui tum civitati nostræ consulebant iterum dux Græcorum factus est, jure — opinor — quippe qui et tales duces esset nactus quales modo dixi, et senatores haberet Archinum et Cephalum Colyttensem. Sola enim hæc et civitatis et gentis salus est, bonos puta duces cordatosque senatores habere. Quamobrem, Athenienses, hæc vos intuentes et considerantes decet non mehercule diutius Demosthenis sordes et infelicitatem perpeti, neque in eo spem habere salutis, aut putare vos penuria bonorum virorum et cordatorum senatorum laboraturos, sed sumpta majorum vestrorum iracundia eo, qui evidenter compertus est peculatus et proditionis, qui pecuniis in urbem allatis non abstinet, qui in gravissimas calamitates urbem conjecit, occisu,

Græciæ pestem urbe exterminare, ac pati fortunam urbis immutari, atque exspectare si hæc fiant fore ut melius cum republica agatur.

13. Audite, Athenienses, illud etiam decretum scriptum a Demosthene, quod turbata republica post Chæronensem pugnam fecit popularis iste, et oraculum quod allatum est Dodona a Dodonæo Jove: perspicue namque vobis olim prædixit, cavendos esse duces et senatores. Recita oraculum in primis.

ORACULUM.

Recita ergo pulcrum decretum istius.

DECRETI PARS.

Popularis nimirum est qui se, semper virum fortem et animosum, inter armatos referat, quos vero civium ipse improbarit, ad optus faciendum abire jubeat, et si quid aliud ipsi facto commodum videatur, id scribat esse faciendum. Recita reliqua.

RELIQUUM DECRETI.

Auditis judices. Abire jubet decretum delectos legatos. Postquam autem iste audivit post Chæronensem pugnam Philippum in agrum nostrum impressionem facturum, ipse sibi legationem decrevit, ut ex urbe aufugeret, octo talentis publicæ pecuniæ convexatis, nullaque habita ratione inopiæ tum urgentis, cum cæteri omnes de suo largirentur ad tuendam salutem vestram. Talis est consiliarius iste vester, ac duas has solas peregrinationes per omnem ætatem suscepit, post pugnam cum ex urbe aufugit, et nunc ad Olympiam, posteaquam cum Nicanore fretus festi solennitate colloqui voluit. Consultum profecto fuerit hujus fidei urbem credere et committere vos periculum adituros, qui, quando cum reliquis contra hostes pugnandum fuit, ordinibus desertis domum refugit, quando autem domi pugnandum fuit una cum cæteris, ipse suo suffragio legatus designatus excessit atque ex urbe aufugit, cum porro legatio de pace obeunda esset, negavit se vel altero pede urbe excessurum, cum autem Alexander exsules revocare diceretur et Nicanor Olympiam venisset, legatum sacrificulum senatui sese obtulit. Talis iste est, in præliis custos sedium, inter eos qui domi manent legatus, inter legatos fugitivus est.

14. Recita, etiam decretum de investigatione pecuniarum, quod retulit Demosthenes senatui Areopagitico de sese et vobis, ut iis inter se collatis videatis Demosthenis desperationem.

DECRETUM.

Tune istud scripsisti, Demosthenes? Scripsisti: inficias ire non potes. Data est senatui auctoritas ex edicto tuo? Data est.

Perempti sunt homines cives? Perempti sunt. Ratum contra illos decretum tuum fuit? Refragari nullo modo potes.

15. Age denuo id recita quod Demosthenes contra Demosthenem scripsit. Animadvertite Athenienses.

DECRETUM.

Senatus reum invenit Demosthenem. Quid multis verbis est opus? Detulit eum, Athenienses. Id igitur jus in seipsum statuit ut statim occideretur: postquam autem in vestras manus venit, qui pro populo convenistis, qui vos legibus et plebiscitis obtempetaturos jurastis, quid facietis? Negligetis deorum immortalium religionem et ea quæ a mortalibus omnibus sacrosancta habentur? Absit, Athenienses, absit: turpe enim fuerit atque iniquum, cum alii per Demosthenis decreta, nihilo isto deteriores neque tot facinoribus constricti, perierint, istum, qui et vos et leges contemnit, indemnem in urbe obambulare a semetipso et decretis suis condemnatum. Hoc concilium, Athenienses, hic ipse locus, hæc ipsa jura, idem iste orator et illis auctor fuit malorum illorum et eorum quæ deinceps contingent. Idem ipse pro concione huic concilio judicium de se permisit, vobis testibus adhibitis. Pactum fecit cum populo, scripto senatusconsulto contra sese, idque apud Matrem deorum deposuit, quæ omnia jura in literas relata custodit reipublicæ. Quare nefas vobis erit id pactum abolere, aut cum deorum nemen in hoc judicio juraveritis contrarium ipsis deorum actis ferre suffragium. Neptunus judicio victus in causa Halirrhothii contra Martem acquievit: severæ deæ ipsæ apud factam in hoc concilio contra Orestem cognitionem ejusque veritatem habitare deinceps voluerunt. Vos autem quid agetis, qui vos omnium religiosissimos perhiberi vultis? Concilii sententiam irritam facietis, secuti Demosthenis improbitatem? Non, si sapitis, Athenienses: neque enim parvis aut vulgaribus hodie de rebus judicatis, sed de salute totius civitatis atque etiam de sordibus, prava consuetudine et re vobis perniciosa quæque mortalibus omnibus exitio fuit. Quod si, quantum potestis, urbe ejicietis et coercebitis eos qui temere contra vos munera acceptant, incolumes erimus diis volentibus: sin oratoribus permittetis ut vosmetipsos vendant, per vestram incuriam urbs ab eis evertetur.

16. Ipse Demosthenes pro concione auctor fuit, quasi res justa esset, pecuniæ cum Harpalo in Atticam allatæ Alexandro custodiendæ. Sic ergo, dic mihi, vir optime, eam custodiemus, si tu privatim viginti talenta teneas, alius quindecim, Demades sexies mille stateres aureos, alii tantum, quantum ex indicio relatum est? Nam talenta sexagintaquatuor jam comperta sunt, quorum culpam in istos conferendam censetis. Utrum porro honestius est, atque etiam æquius, omnia in ærario asservari, donec populus id statuat

quod æquum sit, an ut oratores et ducum quidam ea directa teneant? Ego enim existimo constare inter omnes æquum esse ut publice custodiantur, nemini autem rectum videri ut ab istis teneantur.

17. Multa iste dicet, judices, et varia, nec unquam eadem. Videt enim vos omni tempore spe vana et falsis orationibus a se fuisse deceptos, et tantisper pollicitationum meminisse dum dicuntur. Verum si urbem adhuc Demosthenis improbitate atque infelicitate frui oportet, ut diutius iratos deos habeamus — neque enim aliud quod dicam reperio —, boni consulendum erit quicquid evenerit; sin patriam adhuc curamus atque improbos et largitionibus inhiantes odimus et adversæ fortunæ augurio avertere ac mutare volumus, non committendum est, Athenienses, ut vosmet ipsos nefarii istius impostoris deprecationibus dedatis, nec admittendæ sunt querelæ et fuci istius; satis enim et dicta et facta et fortunam ejus periclitati estis. Et quis vestrum adeo confidens est, Athenienses, quis adeo incogitans, quis adeo rudis rerum et ante et modo gestarum, uti speret eum per quem ex tanta felicitate ad tantam infamiam urbs dejecta est, quacunque de causa aut casu — omitto enim hoc —, nunc postquam præter cæteras difficultates et urgentia nos pericula etiam urbanæ corruptelæ accesserunt, et turpi crimine omnes conflictamur ut ne eam pecuniam quæ privatim penes quosdam est populus habere putetur, tum demum istum suis consiliis et administratione vos conservaturum? Nam præterea cætera quæ inconstanter agendo et imprudenter concionando perfecit, dum alias scribit et vetat ne quem deum existimemus præter eos qui sunt nobis traditi a majoribus, alias dicit non debere populum contendere cum Alexandro de cœli honoribus, cum autem in judicium vestrum adducendum se prævidet, Callimedontem lesæ majestatis reum facit quasi is Megaris cum exsulibus colloquia habeat opprimendæ reipublicæ ergo, eamque actionem statim e vestigio tollit, in concione porro nuper convocata adduxit atque instruxit falsum delatorem quasi navalibus insidiæ fierent, cum quidem ea de re nihil decerneret, sed hujus judicii causa crimina conflaret: horum enim omnium vos ei testes estis. Præstigiator iste est, judices, et homo nefarius, neque natura civis neque rebus gestis ac actionibus suis. Nam quæ triremes sunt ab isto ædificatæ civitati, ut sub Eubulo? aut quæ navalia isto rempublicam gubernante facta sunt? quando iste vel senatusconsulto vel lege ordinem equestrem emendavit? quas copias vel pedestres vel navales comparavit, cum quidem post pugnam ad Chæroneam commissam talia tempora inciderent? quis ornatus Minervæ in arcem ab isto est allatus? quod ædificium Demosthenes exstruxit vel in mercatu vestro vel in urbe vel alibi in regione? Nemo certe usquam ostendat. Eum ergo qui bellicis in rebus fidem non servavit, qui in urbanis administrationibus nullam

operam navavit, qui non obstitit quo minus adversarii civitatis omnia confecerint quæ voluerunt, qui esse immutavit et populi causam deseruit, cum vos conservabitis? Nos, si sani eritis et recte tum vobis tum reipublicæ consuletis: amplectimini potius bonam fortunam, quæ vobis alciscendæ obtulit oratores qui suis sordibus urbem humilem reddiderunt, et cavete — quemadmodum vos deorum immortalium oracula sæpe monuerunt — tales duces et senatores. Audite ipsum oraculum. Recita oraculum.

ORACULUM.

18. Quomodo igitur eodem animo futuri sumus, Athanienses? quomodo consentiemus omnes de reipublicæ commodis, si duces et magistratus accepta pecunia patriæ utilitatem neglexerint, et vos quidem et populus universus in periculum adducetur de solo civitatis et aris atque focis et uxoribus ac liberis, isti autem inter se reconciliati in concionibus quidem alii alios conviciis proscindent ac de industria exagitabunt, privatim autem agent eadem decipientes vos qui verbis eorum facillime creditis? Quid enim est oratoris popularis et infesti iis, qui rempublicam concionibus et decretis oppugnant? aut quid aiunt ætate vestra superiores, Demosthenes et Polyeucte, studio perpetuo habuisse? idque cum eo tempore nulla clades rempublicam urgeret? non se mutuo accusasse? non majestatis læsæ criminatos esse? non violatarum legum fecisse reos? Et vero horum quicquam quod feceritis vos, qui vos curare populum profitemini, qui salutem vestram in horum suffragio dicitis esse collocatam? Scripsisti tu decretum, Demosthenes, cum multa atrocia et contraria legibus Demades decrevisset? prohibuisti aliquam actionem quam ille susceptam contra populum administravit? Nullam penitus. Majestatis reum fecisti eum qui contra plebiscitum et leges multa perpetravit? Nunquam prorsus; sed ærea ei statuam in foro erigi passus es et pari honore vietus in curia cum Harmodii et Aristogitonis posteris frui. Deinde ubi populus benevolentiæ tuæ periculum fecit, aut ubi oratoris auxilium et vim declaratam vidimus? An ibi vos disertos esse dicetis, ubi hos deseperitis, cum subinde dicatis non licere vobis egredi patria, non vobis ullum esse confugium nisi ad horum benevolentiam? Oportebat vos aperte dictis et factis adversatos decretis contra populum scriptis, sic demum postulare vobis fidem haberi ab his, cum dicitis vobis nullam salutis spem esse reliquam extra populi auxilium. At vos in exteris spem habetis, cum contentione quadam assentationis adversus eos qui se Alexandri negotium agere confitentur, et dona ab iisdem accepistis ob quæ senatus modo vos detulit, atque tu cum eorum omnibus Græcis cum Nicanore ais collocatus et Olympiæ quibus de rebus voluisti responsa acceperis, nunc miserabilem te facis homo

proditor et corruptus, quasi isti rationem habituri sint tuæ improbitatis, tuque pœnas non daturus sis eorum facinorum in quibus es deprehensus, tanto Demade audacior, quod ille cum jam explicuisset pro concione mores suos atque desperationem, ne profiteretur se et accipere et accepturum esse, tamen faciem eis suam ostendere non ausus fuit, neque senatus delationi contradicendum putavit: tametsi ille se auctoritati senatus per decretum non commisit, neque pœnam capitis in se statuit, si ut qui pecuniam accepisset a senatu deferretur. Tu vero usque adeo fretus fuisti eloquentia tua et horum benignitatem contempsisti, ut te persuasurum putares judicibus, concilium contra te solum dixisse falsum ac te solum detexisse cum aurum non accoperis. Et quis iste credat?

19. Videte, Athenienses, quid facturi sitis. Accepistis a populo rem jam confectam; Demosthenes supplicii causa in eos qui delatione tenentur constituti primus in judicium adducitur. Nos accusavimus, jure publico nemini condonato. Utrum neglectis iis quæ acta sunt omnibus dimittetis eum qui primus ad vos ingressus est, et quæ tum populo tum Areopagitico senatui tum omnibus hominibus æqua visa sunt, ea vos quorum omnis est auctoritas tolletis, atque ipsi improbitatem iisdem in vos recipietis? an vero mortalibus omnibus commune exemplum proponetis vestri in proditores odii atque in eos qui pecuniæ causa utilitatem populi neglexerunt? Hæc enim omnia nunc penes vos sunt, vos mille quingenti numero totiens civitatis salutem in manibus habetis, hæc dies vestrumque suffragium aut in magna securitate rempublicam collocabit, si ita ut æquum est pronunciare voletis, aut efficietis ut spem omnes malam concipiant, si tales mores introduxeritis.

20. Non percelli debetis, Athenienses, neque commiseratione Demosthenis, si sapitis, communis et æqua urbis nostræ defensio est amittenda. Nemo enim vestrum coegit istum pecuniam alienam in vestram fraudem accipere, qui per vos pecunia plus satis possidet, neque causam dicere de confessis criminibus, cum suo decreto se capitis condemnarit: sed superioris ejus vitæ insitæ sordes et improbitas hæc in caput ejus converterunt. Nolite igitur moveri ploratu ejus et lamentationibus: multo enim æquius fuerit misereri regionis nostræ, quam iste his factis in pericula conjicit, quæ vos ex se natos obsecrat, liberis atque uxoribus vestris productis, ut et proditorem ulciscamini et se tueamini, pro qua majores nostri multis egregiis præliis commissis eam vobis liberam tradiderunt, in qua multa illustria exempla relicta sunt virtutis defunctorum. Hanc intuentes, Athenienses, et patria quæ in hac fiunt sacrificia et monumenta majorum cordatos judices suffragia ferre decet. Et cum Demosthenes vos decepturus et seducturus commiserationem movebit et lacrymabit, vos urbis corpus intuentes et partam ei olim gloriam

conferte, utrum urbs per istum facta sit miserabilior, an vero per urbem Demosthenes? Reperietis enim istum ex quo ad rempublicam accessit splendidum esse factum, et pro scriptore orationum et Ctesippi ac Phormionis causidico multis aliis civibus locupletiorem, ex obscuro et nulla patria majorum gloria ornato illustrem; urbem autem aliter affectam quam pro dignitate sua et gloria majorum. Itaque repudiata misericordia et imposturis istius sanctum et justum ferte suffragium, et quid patriæ, non quid Demostheni, conducat considerate: hoc enim est bonorum judicum officium.

21. Quod si quis adscenderit Demostheni patrocinaturus, cogitate eum hominem, si non sit obnoxius futuris delationibus, male velle reipublicæ, qui nec contra populum munera acceptantes pœnas dare sinat, et communem corporum vestrorum custodiam, quæ Areopagitico est concilio commissa, abrogari velit, et confundi totius juris civitatis: sin orator aut imperator, ex iis qui exspectatum contra se indicium fide carere volunt, ei patrocinabuntur, non vobis auscultandum erit illorum orationi, sed sciendum ab omnibus istis mutuas tradi operas in Harpalo et recipiendo et dimittendo. Existimantes igitur, Athenienses, contra vos istos omnes adscendere atque communes hostes esse legum et totius civitatis, ne approbetis eos, sed accusationis capita diluere jubetote; neque etiam istius ipsius insaniam, qui eloquentia sua magnopere fretus est; quem ubi constiterit vobis acceptare munera, quo magis vobis fucum fecit, eo magis eum pro dignitate vestra et urbis ulciscimini: alioqui uno suffragio unoque judicio omnibus iis qui vel delati vel deferendi sunt absolutis, in vosmetipsos et populum corruptelam eorum transferetis, ac post eos qui absolverunt accusabitis, cum accusando nihil proficietis.

22. Ego, quantum ad meam accusationis partem attinet, opem tuli, cæteris rebus neglectis omnibus, præter jus et utilitatem vestram. Reipublicæ non defui, non plus gratiæ tribui quam a populo decreto mihi muneri. Quo eodem animo ut et vos sitis peto, atque aliis accusatoribus aquam trado.

DINARCHI

CONTRA ARISTOGITONEM.

1. Omnia, uti par est, Athenienses, consideranda sunt et auditu et visu in latis sententiis circumspicere: illud vero maxime admirandum, ut mihi quidem videtur, quod recens gestum. Scelestissimus enim in urbe, hoc amplius omnium etiam hominum, Aristogiton concilium Areopagitarum in jus vocaturus advenit verene et juste pronunciarint, et senatus auctor sententiæ in majus nunc incidit periculum quam qui in vobis dona recepisset et justorum dicendi libertatem viginti minis vendidisset. Isti quidem novum nihil, nihil indignum, si cum condemnato legibus paciscetur; multa quidem alia ultimo supplicio digna perpetravit, et in vinculis plus temporis quam foris consumpsit, et carnifici obnoxius contra bona quæ in tutela juris legumque servabantur, quod illi non licebat, calamo invectus est, aliaque multa eaque gravia commisit, quæ vos quam ego melius cognoscitis: huic autem concilio falsa contra Aristogitonem opinari ostendere eumque apud vos suscepisse justiora dicere turpissimum et improbissimum est. Quapropter, Athenienses, ille mihi videtur, litem suam firmam tutamque existimans, sententias vestras exploraturus venisse. Sæpias enim omnia ei mala contigerunt, si mortem excipias: quam, si deus volet et vos prudentes vos gesseritis, hodierna die subibit. Non enim Hercule si nunc veniam concedatis meliorem futurum exspectandum, neque in posterum dona contra vos accipere desiturum, si nunc eum absolvatis. Malum enim nascens facile quis in illud animadvertens prohibere potest, senescens vero quod debitas pœnas gustarit non facile tolli posse asserunt. Quare si malum perimbutum ipsa in urbe germinare cupitis, vos Aristogitonem tutari convenit, et permittere quodcunque aliquis voluerit in civitate perpetranda: si vero improbos et scelestos homines odio prosequimini estque vobis ira et memoria eorum quæ antea ab ipso commissa sunt, illum occidite, qui ab Harpalo aurum accipere ausus est, quem sensum est ad circumveniendam civitatem vestram advenisse, et tergiversationes illusionesque ei persecindite; quibus fretus ad vos accessit.

2. An ignoratis molesto Harpali adventu illud urbi commodi

accessisse, quando egregie tentavit iis quæ mutuo data sunt in argento et auro ipsis urbis hostibus prodesse? Nolite ignave agere, Athenienses, neque improbos punire recusare, sed, quoad ejus fieri potest, urbem munerum corruptela purgate. Neque e meis quæ jam audistis verbis, sed ex iis quæ in præsentia vestra factis, ex accusationibus a concilio pronuntiatis, inquirite. Vel propter rei majores et istius moderationem, et quia vos multis præclaris beneficiis publice privatimque affecit, ei parcere dignum est? An ignoratis non indigere vos oratione contra latam sententiam? Utrum concilii sententia, si nos decem accusatores aquam omnem absumpserimus et exclamaverimus quam grave sit dimittere qui ab ipso publico expilatore dona in patriæ perniciem acceperint, vera et æqua contra Aristogitonem sententia erit; contra vero si unus e nobis, ut omnia probe novistis æque ac nos jura de his contentionibus, paucis absolvens descendat, falsa, et nullus isti veluti ab Areopagis profectæ fidem habebit? Vel hoc ipsum dona accipere in proditionem patriæ salutis an nescitis quod scelestissimum est et eorum qui plurima contra civitates machinantur?

3. Sed, mediusfidius hic ille reus moderatus moribus, et bonis ortus majoribus, multaque in vos publice privatimque conferens, quapropter dignum sit ab eo abstinere? Et quis vestrum non audivit sæpius, Cydimachum Aristogitonis patrem capitis supplicio addictum et ex hac civitate profugum, ingenuus vero filius genitorem suum sprevit tum vivum ipsis necessariis indigentem tum mortuum legitimis orbatum officiis, quæ ipsum non raro testimoniis convictum percelluerunt: hunc vero ipsum cum in carcerem primo abductus est — multoties enim sane illud factum scitote —, talia in animo inducentem eos facere, ita eos suffragiis absolvere et neque ignem isti accendere neque cum alio convivari neque factis sacris communicare? Verum, Athenienses, quis credat sanam obtinere mentem, qui propter improbitatem in carcerem incidit, ibi vero existens inter alios quæstioni subjectos facinorosos homines penditus adeo apparuit, ut neque par ipsis ab aliis videretur, sed furem illum — ut aiebant — apud eos captum, proinde si quis alius nequior esset locus, fures enim ex carcere abigere velle, in eum monstrum illud conjicerent? Et ista quæ jam dicebam, quis non videt Aristogitonem omnino percellere? propterea fori curam gerens, nonne a judicibus qui tunc magistratum inibant reprobatus est? Vos ipsi igitur dissimulate, quique sententiam dicturi estis Aristogitonis miseremini, qui patris sui inediæ pessime expositi nullo modo misertus est? Denique a nobis iterumne vultis de Aristogitonis supplicio verba nobis fieri, quem scitis juste accurateque tam ex anteacta vita quam ex eis jam recens ab eo perpetratis ultimam hanc animadversionem consecutum? Nonne hic est Aristogiton, Athenien-

ses, qui contra Dianæ Brauroniæ sacra et ministros illius de talibus accusans mentitus est, unde vos postquàm veritatem ex adversariis partibus quæsistis, quinque talentorum mulctam isti imposuistis, quanta ab accusatoribus irrogata erat? Heus tu, prius pœnas dare istud calumnians actorem vestrum dicendo scribendoque in populo traduxit, omnia supplicia nihili pendens quæ contra sceleratos in legibus scripto sancita continentur. Numquid tandem convictus ille a Lycurgo, et ignominiosus deprehensus dicere ei permissum erit, et secundum leges undecemviris traditus, coram tribunalia adveniens et in concilio virorum principum quinquaginta considebit?

4. Deinde, Athenienses, quem leges vobis totiès tradiderunt civiumque jam suffragiis condemnatum convictumque, servare vero neque undecemviri neque claustra possunt, tali vos consiliario fortunas vestras committere desideratis? Et lex quidem rogatum præconem jubet magna cum gratia, ita a vobis hoc statutum de negotiis tradi: vos vero nefarium hunc ergaque omnes improbum maximeque erga parentem suum nuper effectum, hunc vobiscum et cum domesticis vestris propinquisque versari patiemini? Et Demadem quidem et Demosthenem nullam oportere veniam consequi arbitrabamini, quia contra vos dona accipere deprehensi sunt, sed supplicio affecistis, et recte, a quibus quidem si non omnia certe commoda multa profecta cognoscitis: istum vero sacrilegum, qui bonum quidem nihil unquam ex quo ad rempublicam accessit in vos congessit, malum vero quantum potuit, absolvetis? Et quis vobiscum non litigaverit sustinentibus tam egregium monitorem? Si enim homo planus vulgatusque et notissimam apud omnes cives improbitatem habens in suggestum conscendat, tunc circumfusa multitudo vos auditores omnino admiratur, utrum præstantiores consiliarios non habetis, an etiam tales audiendo exsultatis? Convenit vero, Athenienses, quemadmodum primi illi legislatores de iis qui in populo dicerent majoribus nostris constituerunt, ita et vos quærere audire, unde optimos quosque causarum actores vobis paretis. Quomodo igitur illi de his ipsis cognoverunt? Primum quidem per unamquamque diras imprecationes contra improbos facientes, si quis dona recipiens posthæc dicat cognoscatque pro negotiis reipublicæ, omnino exitiosum esse; horum e numero Aristogiton est: postea in legibus de donariorum accusationibus statuentes, hujusque solius ob crimina decuplam restitutionem mulctæ loco irrogantes, rati eum qui honorem verba faciendi in populo reciperet, istum non pro vulgi commodis sed pro utilitate necessariarum rerum verba facere; Aristogitonem igitur concilium exhibuit: ad hæc igitur qui designatos rerumpublicarum principes postulant reprehendere, quis erit hujus privatæ consuetudinis, si parentibus benefaciat, si bella pro civitate gerat, si patria sacra

existant, si mysteria perficiantur; quorum quod nihil habeat contingens Aristogiton ipsi ostendo. Loco enim, quo parentibus suis benefaceret, ille genitorem suum pessime excepit: quando vero in prælio vos omnes desudabatis, ille in vinculis delitescebat: talem vero, Athenienses, sui memoriam parenti suo habere permisit, ut neque in Eretria genitore suo morte absumpto isthic ei justa curaverit: aliis vero Atheniensibus tributum ex propriis facultatibus persolventibus, ille ne ex publicis quidem hisque obnoxius argentum omne persolvit. Ut clarius dicam, contrarias omnino res legibus universis perfecit, eumque solum quod ex Areopago concilium his qui inquirebant noverantque exhibuit: neque enim vos ab eo interrogati improbum istum injustumque esse cognoscitis, sed unusquisque vestrum istius nequitiam penitus novit. Ita ut istud antea vere dictum iterum dicendum est, vos sententiam de illo quidem laturos, de vobis vero circumfusa multitudo cæterique omnes.

5. Quare et prudentum est judicum, Athenienses, neque sibi ipsis repugnans decretum neque omnibus aliis Atheniensibus pronuntiare, sed pari consensu omnes sententiis vestris condemnatos iis ad id munus constitutis morte mulctandos tradere, neque etiam deserere neque negligere sanctam recteque juratam sententiam, memores uti eum concilium damnavit eo quod contra vos dona receperit, ita eum pater suus vivus moriensque injustum esse pronuntiavit, sed quid mitioribus utor verbis? istum morte dignum æstimans vobis ad plectendum populus tradidit. Ille qui multa pessime perpetrans in talibus injustorum negotiis nunc deprehensus est, in quibus ignominiosum vobis esset sententiam laturis impunitum illum dimittere. Qua igitur ratione, Athenienses, de aliis rei quæsitæ probationibus sententiam feretis? et quomodo tergiversationes eorum qui accusati sunt dijudicabitis? vel per quid hoc quod concilium quidem exhibuit auri receptores serio manifestetis, vel jam ex alio indicio condemnatos existentes puniatis? Porro neque singulares hasce quæstiones contra eos solos qui nunc pro judicio damnati sunt esse arbitramini, sed communes adversus alios mortales. Et vero munerum largitio proditioque hodie apud vos dijudicanda duorum alterum præstabit, vel alios in auro accipiendo contra vos audaciores utpote pœnam non daturos, vel verentes accipere criminum: videlicet pœna accipientibus constituta. An nescitis, quia et nunc vestri timor secum super hæc statuentes aurumque contra vos advenienus adhibeat facitque non raro a muneribus et sordibus abhorrere? Et populi decretum, quod concilium de illis auri muneribus inquirere postulat, nonne aurum in regionem advehentes fateri compulit? Pulcre porro, Athenienses, pulcre majores nostri super hæc deliberantes columnam in arcem transtulerunt, quia Arthmium Pythonactis Zeleutensem aurum inquirebant in

corruptelam Græcorum ex Medis adducere. Prius igitur accipere aliquos dareque consuetudinis experimentum, fugam autem auri vectoris cognoscentes, eum ex tota regione proscripserunt. Posteaque, ut dixi, in arce æream columnam inscriptionem addentes constituerunt, exemplum vobis posteris suis statuentes, rati etiam aurum temere admittentem non de civitate sed de corruptore comitia acturum. Soli etiam illi causam adscripserunt ob quam populus eum de civitate exturbasset, scribentes palam, Arthmium Pythonactis Zeleutensem hostem populi et commilitonum exsistere, ipsum prosapiamque, et Athenis profugere quia ex Medis aurum in Peloponnesum advexerat. Quare cum aurum in Peloponneso plurimorum instrumentum malorum Græcis populus existimet, quamobrem segniter agere conveniat, invalescentium nunc rum corruptelam in hac civitate conspicientes? Mecum etiam columnam hanc attente considerate.

COLUMNA.

Verum, O Athenienses, quid viros illos facturos arbitramini accipientes sive militem sive oratorem civem suum citra patriæ commodum domi corruptum, qui Græciæ externum hominem et genere et natura tam juste prudenterque ex universa Peloponneso expulerunt? Quocirca de urbe et de majoribus digne apud barbarum periclitati sunt.

DINARCHI

CONTRA PHILOCLEM.

1. Quid per deos immortales de hujusmodi homine dicere convenit, vel quomodo in improbitatem istius inquiritis? qui non semel sed tertio convictus ab Areopagi senatu — uti novistis omnes et nunc in populo intellexistis —, mentitusque universorum Atheniensium totiusque circumfusæ multitudinis, adversarium Harpalum quominus in Piræeum navibus appelleret se prohibiturum asseverans, militum præfectus in Munychiam navaliaque a vobis designatus, et dona contra vos omnes et regionem et uxores liberosque accipere præsumpsit, abjuratusque inter mensam et sedile quod juraverat juramentum; decretumque contra seipsum conscribens, et morte condemnans si auri quippiam ejus quod in provinciam Harpalus advexerat suscepisset, vestrum in conspectum convictum sese illisque omnibus obnoxium effectum dare non dubitavit, seque ipsum ostendere, non justitia fretus — quid enim illi cum justitia? — sed audacia et impudentia, qua prius quidem usus jura civitatis vosque parvipendens aurum accipere dignatus est, nunc vero quasi nihil eorum perpetrasset pro se dicturus advenit: adeo socordiam vestram nihili æstimat. Et communis quidem urbis lex, si quis adversario civium spondens aliquid transgrediatur, eum injustitiæ obnoxium esse jubet: hic vero omnes Athenienses decipiens, et auctoritatem fidemque prodens quam apud vos indignus collegit, omnia denique in civitate evertens, ille ad defensionem proponendam adveniet de quæstione contra eum adornata? Ego vero, viri, verum dicere si conveniat — ut certe convenit —, non præjudicia discutienda censeo, utrumne vera sint an falsa quæ contra Philoclem facta; sed de supplicio in decreto conscripto disceptare vos oportet, an auro mulctare conveniat talia tam injuste contra civitatem perpetrantem, vel morti addicentes, uti ille in decreto contra se sanxit, facultatem ex talibus sordibus collectam fisco addicere.

2. Anne nunc primum improbum illum per istud aurum factum esse arbitramini, vel nunc primum contra vos munerum largitiones admisisse? Non ita est, sed talis pridem cum esset ignotus vobis fuit, et belle egistis, quia non in majoribus occasionibus mentis ipsius turpitudinem audiebatis: etenim deterius homine nihil est

improbitatem suam ignorante. Nonne, Athenienses, uno consensu eum interficitis, qui in talem turpitudinem et nequitiam tam multos impellit, ipsum recepti auri auctorem totamque civitatem in controversia collocantem? Sed illi qui tanta contra vos molitus est auscultare pergitis, quia nimirum Areopagitarum curia falsa præjudicia confecit, et quia justus ille et frugi et a muneribus abhorrens, conciliumque Areopagi universa illa lucri et favoris gratia conficit? Anne novistis quod qui in aliis criminibus accuratissime inquisiverunt, cum magna quiete oporteat et verum expendere, ita injustis supplicium constituere, in publicis vero et apud omnes ex confessione cognitis proditionibus iram primum irrogare pœnamque ei congenitam? Quid enim istum universæ civitatis studiosissimum vendidisse non existimamini, quando vos ut justum illum fidelemque custodem constituistis? quales non triremes ex iis quæ sunt in navalibus prodidisse? vel qualem non præpecturum carcerem, sperantem effringere et duplum accepturum auri, cujus nunc partem accepit? Nihil, O viri, nihil est quod non ille perpetraverit. Ille enim aurum argentumque pro majore apud vos fide accipit, neque etiam juramenti nec turpitudinis nec æqui majorem rationem habet quam ut illud auferat, ille Munychiam quantum ad se divendet, emptorem si reperiat, ille contra vos signum hostibus transmittet, ille pedestrem maritimamque potentiam proditione delebit.

3. Non igitur, Athenienses, de perpetratis solum a Philocle criminibus judicium factum iri existimamini, sed etiam aliis quibus conficiendis ille tanquam caput præfuit. Et diis quidem gratiam habebitis eo quod nihil isto deterius patiemini, illum qualis sit cognoscentes: digne igitur vobis ipsis et facinorosi hominis improbitate in ipsum animadvertite; qui ter quaterve, Athenienses, equitum præfectus virorum præstantium optimorumque, frequentius vero puta decies dux militum a vobis constitutus, indignus tamen, ambitiosus et invidus propter hanc quæ apud vos est fidem et auctoritatem imperii nostri dignitatem vendidit prodiditque, et in hoc seipsum Aristogitoni præposuit, et ex militum imperatore in mercenarium ac proditorem degeneravit. Denique quid vobis necessarium est contra hujusmodi hominem contentionem remittere, et injustos pudore non suffundere, qui talia contra vos aliosque moliri non puduit? Neque hujusmodi homines recte, Athenienses, apud vos venia donarentur; minime: sed qui a Philocle decepti, si quam ille multarum divitiarum sumpsit occasionem. In quibus et sinus maris et maritima sunt litora navaliaque, quæ majores nostri comparantes vobis reliquerunt. Quorum vos, Athenienses, recordantes circa jam lata a concilio præjudicia frigide agere non oportet, sed consentanee iis quæ jam antea judicata sunt: turpe enim est

civitatis proditores jam supplicio addictos absolvere, et injustorum ac nefariorum hominum quosdam pertransire, quando vobis ad puniendum eos immortales dii detexerunt, universum populum istius adversarium factum esse conspicientes.

4. At ego, per Jovem servatorem, pudore suffundor, dum cohortatos vos et a nobis incitatos oportet ad judicium suppliciumque morti jam addicti accedere, et nonne vos ipsi commissorum ab eo criminum inspectores; et omnis quidem populus neque tutum neque justum esse existimans filios suos curandos ei tradere cum ephebornm cura abrogarunt, vos vero popularis potentiæ ac legum custodes, quibus judicandi facultatem sors fortunaque in populo detulit, talium rerum machinatori veniam dabitis, quique universarum civitatis legum finem tenetis, impunitum largitorem munerum omnium pessime perpetratarum rerum auctorem dimittetis, qui — ut paulo ante dicebam — tertio non semel omnium improborum caput solus enunciatus est, tertioque jam pridem secundum hoc suum decretum morti addictus? Quid igitur exspectatis, Athenienses? et qualia quæque alia majora iis quæ dicta sunt quæritis intelligere? Nonne vos estis et majores vestri qui Timotheum qui Peloponnesum circumnavigarat et navali prælio Lacedæmonios ad Corcyram vicerat, qui filius erat Cononis qui Græcis libertatem peperit, et Samum et Methonem et Pydnam Potidæamque aliasque insuper viginti urbes ceperat, neque istorum gratia eum exeusastis? neque ejus temporis judicio quoque obstricti jurejurando sententiam fertis tot prætulistis beneficia, verum, quia pecuniam eum a Chiis Rhodiisque Aristophon accepisse inquiebat, centum talentis mulctastis? Hunc vero scelestum hominem ac proditorem, quem non unus vir sed universus Areopagi senatus habita quæstione munera pecuniamque contra vos accepisse declaravit et convicit, qui multas possidens opes et mascula carens prole, ac rei nullius indigus quorum opus habere potuerit, non ob oblatas contra patriam largitiones sese abstinuit insitamque improbitatem non celavit, sed natam illi apud vos fidem omnino perdidit, iisque quibus antea emulari dicebam, contra illos sese opposuit, ac simulatam suam probitatem cum esset falsa pro vera ostentavit.

5. Quæ cum animis vestris perpendentes memoresque, Athenienses, præsentium temporum, quæ fide non munerum corruptela indigent, odisse improbos taliaque e republica monstra perturbare vos convenit, et omnibus ostendere hominibus quod non hæc populi multitudo una cum quibusdam oratoribus ac militum præfectis corrupta sit, neque servire gloriæ, scientes quod justitia mutuaque concordia facile, diis faventibus, si qui nobis injuste opponantur, ulciscimur; munerum verò corruptelis ac proditionibus atque istis similibus malis, quæ illis ipsis hominibus insunt, nulla civitas servari

potuerit. Nullas igitur preces, Athenienses, neque miserationis erga illos sensum in vos admittentes, neque vero ipsis ex operibus ac veritate ostensam vobis contra reos nequitiam irritam facientes, reipublicæ legibus patriæque auxiliamini: hæc enim utraque cum istius improbitate in judicium vocantur. De universa provincia, Athenienses, sententiam laturi estis, de exstructis in ea templis et antiquis legum sanctionibus, de tradita a majoribus vestris politia, non de Philocle solum: ille enim jampridem seipsum morte damnavit. Hæc vos ego supplicans æquiorem multo petitionem peto quam ii qui talia moliti sunt, neque ulterius permittere convenit a quibus majores nostri plurima pericula perpessi sunt, neque in fœdam aliquam labem urbis dignitatem conjicere, neque etiam ob ipsorum gratiam aucupandam leges et populi curiæque præjudicia immutare istisque indulgere. Certo enim scitote, Athenienses, certo inquam, vobis apud omnes e factis illis de auro quæstionibus laudem parari maximam; hi vero, qui contra suam ipsorum patriam dona suscepisse convicti sunt, nequam et injusti publicoque odio digni censendi, amare vos præ se ferentes urbisque studere commodis, et per vos clari effecti.

LATINÆ INTERPRETATIONIS AD DINARCHUM

FINIS.

LYCURGI
INTERPRETATIO LATINA.

LYCURGI

CONTRA LEOCRATEM.

ARGUMENTUM.

Post tolerata Chæronea pericula decretum facit Atheniensium populus, ut nemo ex urbe alio se conferret neque aut liberos aut uxores in alium locum traduceret. Leocrates igitur quispiam urbem egressus, Rhodum accessit, dein Megara pervenit, tandem Athenas rediit: atque quum isthic cum fiducia ageret, accusationem adversus eum ceu proditorem Lycurgus instituit. Status est finitio non simplex, sed repugnans instituto actoris: fatetur enim Leocrates se reliquisse quidem urbem, sed haudquaquam prodidisse tamen. Alii dicunt conjecturam esse a consilio, ceu ejus qui profectum quidem se ex urbe haud infitietur, de cujus tamen instituto haud satis constet, qua mentis sententia sit egressus, proditionisne an negotiationis causa. Alii intentionem dicunt: affirmat enim se non proditionis, sed negotiationis, causa reliquisse urbem. Est autem idem hujus orationis argumentum cum ea, quam adversus Autolycum scripsit.

1. JUSTUM, Athenienses, et pium et pro nostra et deorum causa exordium accusationis Leocratis rei sum facturus. Precor enim Minervam aliosque deos et heroas, per urbem passim et regionem constitutos, ut, si ad judicium vocaverim juste Leocratem, accusemque eum prodidisse et delubra et sedes deorum immortalium et lucos nec non legibus instituta sacra a vestris majoribus tradita, me dignum hodierno die Leocratis scelerum accusatorem faciant, quod et populo et urbi est commodum, vos autem ceu pro parentibus et liberis et uxoribus et patria et sacris deliberantes, habentes item sub judicio proditorem horum omnium, faxint inexorabiles judices [qui non detis veniam] et nunc et in reliquum tempus adeo graviter et flagitiose delinquentibus: sin vero neque eum patriam prodidisse neque deseruisse urbem et sacra hoc certamine evicero, servatum iri ipsum a periculo et a diis et vobis judicibus efflagito.

2. Optarim autem, viri, quemadmodum utile est urbi esse judices in hac scelerate agentium, sic et humanum apud plerosque existimatum fuisset: jam vero eo res rediit, ut per sese periculum subiens ac pro publicis rebus odio expositus non patriæ amans sed curiosus esse videatur, neque jure neque civitatis aliquo emolumento. Tria enim sunt maxima, quæ custodiunt atque conservant statum

popularem urbisque felicitatem: primum quidem legum ordinatio, secundum judicum calculus, tertium vero his judicibus agnoscere concedens delicta judicium. Lex enim solet quæ non deceat agere præscribere, accusator autem denunciare eos qui sint legum censuræ obnoxii, judex denique punire ab utrisque hisce demonstratos, quare neque lex neque judicum suffragium, nisi ipsis injuste agentes tradantur, quicquam valet. Ego vero, Athenienses, compertum habens Leocratem fugisse pericula quæ pro patriæ defensione tolerarent, deseruisse suos cives, prodidisse quoque omnem vestram potentiam, omniumque lege expressarum pœnarum reum, hanc ad judices ejus accusationem institui, neque inimicitia ulla neque contentione quadam adductus hoc certamen suscepi, verum turpe existimans hunc sinere foro inferre sese ac communium sacrorum participem esse, qui sit patriæ dedecus omniumque vestrum turpitudo. Justi enim est civis non ob privatas inimicitias ad publica judicia deferre eos qui nulla in re urbem injuria affecerint, eamve læserint, verum eos qui in patriam quidquam committunt, suos hostes esse reputare, ac publica crimina publicas etiam occasiones cur ab iis dissideamus habere.

3. Operæ pretium est itaque vos arbitrari universas publicas actiones esse ingentes, potissimum vero hanc super qua nunc calculum estis vestrum laturi. Etenim, quando sententiarum legibus repugnantium causas judicatis, hoc tantummodo corrigitis idque solum cavetis, quatenus istud decretum offendat urbem: at quod nunc præ manibus est certamen haud exiguam quandam partem rerum urbicarum continet nec ad modicum temporis curriculum, sed pro tota patria perque omne ævum nunquam non memorandum relinquet posteris judicium. Adeo enim dirum est patratum scelus, tam grande commissum facinus, ut neque accusationem neque supplicium liceat invenire dignum, neque legibus definita sit ultio sceleribus respondens. Quo enim supplicii genere afficiendus est qui patriam deseruit? neque opem tulit patriis sacris? majorumque suorum reliquit tumulos? universam autem urbem subjugatam hostibus prodidit? Siquidem maximum et novissimum suppliciorum, mors, necessaria est ex legibus mulcta, Leocratis autem facinoribus improbis par non exstat. Prætermitti autem super ejusmodi criminibus pœnam contigit, judices, non per socordiam eorum qui tum sancivere leges, cæterum, quod prioribus temporibus nihil ejusmodi acciderit et quia non putarint tale quiddam futuris temporibus eventurum, factum est ut neque accusatio neque supplicium possit haveniri dignum. Proinde et maxime, viri, operæ pretium est vos esse non solum præsentis flagitii judices, verum etiam legislatores, quæcunque enim scelera lex quæpiam definivit, facile est secundum hanc regulam accommodatam punire delinquentes: quæcunque

autem non admodum comprehendit, uno nomine appellans generatim nimirum, majora autem quam legibus explicetur quisquam designavit, omnibusque legibus ex æquo obnoxius est, necessarium est vestrum judicium relinqui exemplum posteris. Bene autem novistis, viri, quod non solum hunc etiamnum punietis sententia vestra condemnantes, verumetiam juniores omnes ad virtutem adhortabimini. Duo enim sunt quæ erudiunt juvenes, nempe injuste agentium supplicium et quæ bonis viris datur gratia: ad utrumque autem horum respicientes, hoc quidem propter metum defugiunt, illam vero propter gloriam concupiscunt.

4. Quocirca opus est vos, viri, advertere mentem huic certamini neque quicquam anteferre justo. Faciam autem et ego accusationem justam, neque comminiscens quidquam neque extra rem dicens. Plurimi autem eorum qui ad vos adeunt oratores omnium absurdissimum faciunt: aut enim deliberant hic de publicis rebus, aut accusant et calumniantur omnia potius quam de quo sententiam dicturi estis. Atqui neutrum horum difficile est, neque de iis sententiam exponere, quod vos judices non vultis, neque eorum, quorum nemo defensionem suscipiet, accusationem invenire. At non est æquum vos quidem contendere justum calculum ferre, istos autem haud justam accusationem facere. Harum autem rerum vos auctores estis, viri: potestatem enim dedistis huc ingressis oratoribus hanc, quum tamen pulcherrimum Græcorum exemplum vobis in promptu sit Areopagi concilium, quod in tantum ab aliis discrepat dicasteriis, ut et apud ipsos condemnatis constet justum exhiberi judicium. Ad quod respicientes vos operæ pretium est haud permittere ut quidnam a causa alienum patroni causarum dicant. Ita enim futurum est ut reis citra calumniam certamen peragatur autoribusque minime sycophantis esse liceat vosque fidelissimum firmissimumque calculum feratis. Fieri enim non potest ut sine oratione, non juste edocti, justum feratis suffragium.

5. Opus est autem, judices, neque hoc latere vos, quod non sit idem certamen de hoc aliisque ex vulgo reis. De incognito enim Græcis homine in vestro videbatur situm esse arbitratu aut bene aut male sententiam tulisse: de hoc vero quicquid consulueritis omnium Græcorum ore feretur. Celebris enim est nominis tum ob professionem suam qua hinc in Rhodum insulam enavigavit, tum propter nuncium quem de vobis fecit et ad urbem Rhodiorum et ad mercatores qui illic sunt advenæ, qui universum terrarum orbem circumnavigantes quæstus causa disseminarunt de urbe simul quæ ex Leocrate audiverunt; qui majorum vestrorum facta noverunt longe contraria hisce quæ ab hoc transacta sunt. Plurimi ergo faciendum est recte de eo statuere. Probe enim vobis exploratum est, Athenienses, quod quanto amplius differatis ab aliis hominibus, eo quod

erga deos religiose, erga parentes pie, erga patriam vos honeste geratis, tanto negligentiores videamini, si vestrum hic evaserit supplicium. Quæso autem vos, Athenienses, ut accusationem hanc meam ad finem usque patienti animo audiatis, nec ægre feratis si exordium sumam ab iis rebus quæ tum urbi contigerunt, sed causis potius indignemini et iis propter quos cogor hæc ipsa ad memoriam revocare.

6. Commisso enim apud Chæronæam prælio factoque omnium vestrum ad concionem concursu decrevit populus liberos et uxores ex agris ad mœnia transferre, imperatores autem ordinare ad excubias quosvis Atheniensium aliorumque demorantium Athenis, quatenus ipsis videretur. Leocrates autem, horum nihil plane curans, omnes quæ habebat facultates collectas veluti in sarcinas cum famulis suis domesticis in lembum transtulit, navi jam circa litus exeunte, atque circa crepusculum vespertinum ipse cum amica Eirenide juxta medium litus per portulam egressus ad navim adnavigavit abiitque fugiens, neque portum urbis misertus, e quibus in altum abducebatur, neque mœnia patriæ reveritus, quorum custodiam desertam pro virili sua parte reliquit, neque arcem ac delubrum Jovis Servatoris et Minervæ Servatricis respiciens et prodens exterritus est, quos actutum e periculis sibi servatores invocabit. Deductus autem et perveniens in insulam Rhodum, ceu patriæ suæ ingentem felicitatem oblatam prædicans, commemoravit quod arcem civitatis captam reliquerit, Piræei obsessum emporium, se solum conservatum evasisse affirmans: nec erubuit patriæ infortunium suam salutem appellare. Adeo autem valde hæc crediderunt Rhodii, ut triremes implentes navigia deduxerint, atque mercatores et gubernatores instructi huc navigare, ibi suum frumentum vi amiserint aliasque res propter ipsum hunc. Et quod hæc vera dicam, leget vobis testimonia omnium, primum quidem vicinorum et in loco hoc commorantium, qui hunc noverunt in bello fuisse transfugam atque Athenis enavigasse, deinde eorum qui Rhodi erant, quando Leocrates hæc renunciabat, post hæc audietis Phyrcini quidem testimonium, quem et vestrum [noverunt] plerique accusasse hunc apud populum, quod fuisset etiam admodum socius damni quod datum est reipublicæ in defraudatione vectigalis quinquagesimæ. Priusquam autem adscendant huc testes, paucis cupio dissertare vobiscum.

7. Non sunt clam vobis, judices, neque apparatus judicatorum neque preces exorantium, verum accurate nostis quod pecuniarum causa et ex favore plerisque testium persuasum est aut esse immemores aut non venire ad judicium aut aliam occasionem invenire. Jubete proinde testes adscendere neque reputes esse in patefacienda veritate neque pluris facere favorem et beneficia quam vos et urbem hanc ipsam, cæterum præcipite eis reddere patriæ ea quæ vera et justa sunt, neque relinquant ordinem hunc ita ut imitentur

Leocratem, aut curate ut acceptis sacris secundum legem jurejurando affirment se nihil quod vero repugnet acturos aut dicturos. Sin neutrum horum fecerint pro vobis legibusque et republ., vocabimus eos in judicium. Recita testimonia.

TESTIMONIA.

8. Contigit post hæc, judices, ut naves Athenis appellerent Rhodum; patefacto igitur quod nihil periculi aut horrendi obvenisset urbi, perterrefactus rursum e Rhodo solvens Megara adiit, habitavitque Megaris ultra quinquennium patronum habens Megarensem, neque confinia regionis reveritus, verum apud vicinos patriæ quæ eum aluerat educaveratque peregrinus manens. Atque adeo suam perpetuam statuebat fugam, intelligens se contra patriam consulto egisse, ut accersiverit hinc Amyntam qui sororem suam grandiorem natu habebat, et amicorum Antigenem e tribu Xypete, precatusque affinem suum ut ab se emeret mancipia domumque venderet talento, de eo mandarit creditoribus persolvi debita, sumptus in commune amicorum convivium instituendum erogari, quod super esset sibi reddendum jusserit. Persecutus hæc omnia Amyntas ipse rursus divendit mancipia triginta quinque minis Timochari Acharnensi qui minorem hujus natu sororem uxorem tenebat: quum autem non haberet quod daret argentum Timochares, facto fœdere depositoque cum Lysicle, minam pro fœnore solvebat Amyntæ. Ne autem existimetis verba esse sola quæ proloquor, sed veritatem esse sciatis, legentur et horum vobis testimonia. Quod si adhuc vitali aura frueretur ac viveret Amyntas, illum ipsum vobis exhiberem: nunc vero accerso ejus facinoris conscios. Recita proinde mihi hoc testimonium, quomodo nimirum emerit ab Leocrate Megaris mancipia Amyntas et ædes.

TESTIMONIUM.

Audite qui etiam acceperit quadraginta minas ab Amynta Philomelus Cholargensis et Menelaus is qui legatione ad regem functus est.

TESTIMONIUM.

Age jam accipite testimonium Timocharis ementis mancipia ab Amynta triginta quinque minis, et pacta.

TESTIMONIUM. PACTA.

Testes quidem audivistis, judices: est autem æquum vos succensere Leocrati atque eum odisse ob ea quæ etiamnum dicturus sum. Haud enim satis ei fuit corpus suum facultatesque subducere, verum etiam sacra patria, quæ vestris legitimis et patriis consuetudinibus majores vestri constituentes ipsi tradiderunt, hæc ipsa Megara accivit eque

regione evexit, neque appellationem patriorum sacrorum metuens quicquam, quod ex patria ea movens fugæ suæ consortia esse, relictis delubro et regione hac quam obtinebant, compulit, in extero et alieno solo ea collocans, ut essent peregrina regioni et legibus Megarensium urbi consuetis. Patres sane vestri urbem Athenas, deæ quæ regionem hanc obtinuit, Athenæ cognominem fecerunt, ut venerantes deam idem nominis obtinentem cum urbe illam ipsam non relinquerent: Leocrates vero neque lege constitutorum [neque] patriorum rituum neque sacrorum curam gerens, quantum in se fuit, a vobis deorum auxilium eduxit avexitque. Neque satis fuit ei tot, tantis, tam variis urbem hanc injuriis afficere, verum demorans Megaris, pecuniis quas a vobis asportavit fretus, ex continente a Cleopatra in Leucadem frumentum vexit indeque Corinthum. Quum tamen leges vestræ, judices, extrema supplicia decernant ad ejusmodi delictum, si quis Atheniensium alio quam ad vos frumenta divendenda transvehat. Proinde eum qui tempore belli proditor fuit, qui frumentum alio præter leges vestras transtulit, qui non habuit rationem neque sacrorum neque patriæ neque legum, hunc habentes vestræ sententiæ subjectum non occidetis, nec exemplum aliis facietis? Omnium itaque hominum ignavissimi eritis et minime ob gravissima scelera irascentes.

9. Considerate vero [simul] hæc, viri judices, quam justam de his omnibus ego explorationem fecerim. Non enim arbitror vos decere super adeo grandibus delictis divinantes sed veritatem contuentes sententiam ferre, atque adesse testes non qui daturi sunt testimonium sed qui dederunt. Accersivi enim eos, libellum de vocandis ad quæstionem super his omnibus scribens, par esse censens examinare tormentis hujus servos. Recita mihi hunc libellum.

LIBELLUS DE PROVOCANDIS TESTIBUS.

Auditis igitur, judices, provocationem. Hanc vero Leocrates haud recipiebat testabaturque de sese quod patriæ esset proditor: quum enim omnium consciorum denunciationem fugit, confessus est vera esse quorum causa in judicium est vocatus. Quis enim vestrum ignorat, omnium multo justissimum admodumque populare esse de rebus controversis, quando servi et servæ sciverint quæ inquiruntur, illos ipsos redarguere ac torquere, operibusque potius quam verbis adhibere fidem, de rebus præcipue communibus et arduis et conferentibus urbi? Ego itaque tantum abeum ab eo ut injustam accusationem adversus Leocratem instituerim, quantum malui privata pericula in Leocratis servis et ancillis tormentis examinatis confirmationem aut probationem esse, hic vero, quia sibi ipse mali conscius fuit, haud exspectavit sed aufugit. At vero, judices, multo citius

Leocratis servi et ancillæ eorum quæ confessuri erant quicquam inficiati fuissent quam ea quæ non essent contra dominum suum mentiti.

10. Ad hæc Leocrates vociferabitur actutum, quod expers eloquentiæ ipse ab oratoris et calumniatoris gravi oratione vi accipiatur. Ego autem puto omnibus vobis constare, quod orationis gravitate pollentium tentantiumque calumniari opus sit simul istud velle, atque itidem quærere locos hosce quibus fallacias adversus eos quibuscum certant intendere possint; eos vero, qui jure judicia instituant obnoxiosque diris demonstrent, videri diversa facere ab iis, perinde ac nos facimus. Sic autem cogitate de his apud vosmetipsos: quos impossibile erat vehementia apparatibusque orationis seducere? [Famulos.] Natura igitur tormentis examinati omnem veritatem de omnibus flagitiis dicturi erant et servi et ancillæ: sed hos Leocrates tradere devitavit, idque non alienos, sed suos. Quos autem possibile esse videtur verbis permovere humoremque ipsorum lenitatis lacrymis ad misericordiam provehere? Judices. Ad hos esse Leocrates patriæ proditor contulit, nihil aliud spectans quam metuens ne ex eadem domo et redarguentes opus ejus et redargutus convictusve ipse prodeant. Quid enim opus erat prætextibus aut verbis aut consideratione? Simplex est justitia, facilis res est veritas, brevis redargutio. Si fateatur ea, quorum causa accusatur, vera esse et sancta, cur non juxta legum expressam sententiam supplicio afficitur? sin hæc vera esse inficietur, cur non tradidit servos et ancillas? Decet enim proditionis insimulatum et tradere et tormentorum quæstionibus examinare servitia ac nullam accuratissimarum investigationum subterfugere. Sed nihil horum egit; enimvero testimonium de seipso perhibens, quod sit patriæ proditor et religionis et legum, dignum censebit et contendet ut vos contraria suis et confessionibus ac testimoniis decernatis. At qui justum est ut eum, qui defensionem sui et ex aliis plerisque et ex eo quod non acceperit justas conditiones abstulerit, sinatis vobis ipsis super apertis sceleribus imponere? de libello itaque quo servitia ad quæstionem citata sunt, et crimine quod manifestum sit, puto vos abunde, judices, didicisse.

11. Quibus autem temporibus et quantis periculis expositam urbem prodiderit, revocare vos ad memoriam volo. Sed heus accipe mihi, scriba, decretum Hyperidis, et lege.

DECRETUM.

Auditis decretum, judices, quod senatum, quingentos nimirum, descendere ad Piræeum, ut statueret de custodia Piræei, armatum placuit, utque instructus esset transigere quod videretur populo conducere. At vero, judices, si rudo donati, ut pro urbe consultarent,

in militum ordine perseverarunt, num vobis exigui et vulgares metus videntur tum urbem occupasse? In quibus Leocrates hic et ipse ex urbe fugiens transfuga abiit omnesque facultates exportavit sacraque patria accersivit, atque ad tantum proditionis crimen pervenit, ut secundum ipsius quidem institutum deserta fuissent templa ab sacris, desertæ fuissent etiam custodiæ murorum, relicta autem esset civitas et regio. Attamen illis temporibus, viri, quis non urbis misertus fuisset, non solum civis, verum etiam peregrinus qui prioribus temporibus ad nos advenerit? Quis vero erat adeo vel osor populi vel Atheniensium, qui potuisset seipsum inordinatum sustinere videre, quando victoriæ amissio et quod contigerat malum [populo] annunciabatur, arrecta autem erat civitas in iis quæ acciderant calamitatibus, spes autem salutis populo in iis qui ultra quinquaginta annos nati erant collocatæ fuerant; cum videre erat in januis uxores liberas trepidas et consternatas percontantesque num viverent, alias quidem de marito, alias de patre, alias de fratribus, contra dignitatem tam ipsarum quam urbis ita conspectas, viros autem, qui corporibus ad bellum idonei non erant et ætate grandævi et legum voluntate a militia dimissi, videre erat per totam urbem ipso senio perire, duplicibus palliis amictos connexosque? Quum autem pleraque tristia et horrenda fierent in urbe passim, civesque in universum omnes summa infelicitate premerentur, maxime tum quis doluisset ubertimque fudisset lacrymas super tantis urbis calamitatibus, quando videre erat populum decernentem servos debere esse liberos, peregrinos Athenienses, ignominia notatos fama integros: qui primum, quod indigena esset, plurimum sibi gloriæ vindicabat. In tantam autem permutationem est urbs adacta, ut quum prius pro aliorum Græcorum salute dimicaret, contenti jam essent, si pro sua ipsorum salute tuto dimicare possent. Et qui antehac magnæ barbarorum regioni dominarentur, tunc temporis adversus Macedonas pro sua terra periculis involverentur: et quem antehac populum Lacedæmonii, Peloponnesii, Asiamque incolentes Græci auxiliaturum implorabant, hic jam opus haberet ex Andro, Ceo, Trœzene et Epidauro auxilia sibi accersere. Proinde, judices, eum qui in ejusmodi terroribus, in tantis periculis, tanta turpitudine urbem dereliquerit, neque sese pro patria armaverit neque corpus suum præbuerit ad aciem imperatoribus, sed transfugerit atque populi salutem prodiderit, quisnam judex urbis amans aut pius esse volens sententia sua absolverit, aut quisnam orator huc accitus proditori urbis opem tulerit? qui neque super tantis patriæ calamitatibus una lugere ausus fuerit, neque quicquam contulerit ad urbis et populi salutem? At vero illis temporibus non est, quæ ætas non exhibuerit seipsam ad urbis salutem tuendam, quando regio hæc arbores contulit, mortui vero sepulcra, templa autem arma. Curam enim gerebant alii qui-

dem monium constructionis, alii sepulcrorum, alii valli: neque quisquam ex omnibus qui in urbe erant otiosus torpensve inveniebatur. At horum operum nulli corpus suum præbuit admovendum Leocrates. Quæ vos recordantes eum, qui neque conferre neque venire dignatus sit ad eos efferendos qui pro libertate populique salute in Chæronea occubuerunt, morte mulctare par est, tanquam; quod ad ipsum attinet, insepulti viri illi relicti sint; quorum neque hic tumulos præteriens erubuit octavo demum anno patriam ipsorum appellare.

12. De quibus, judices, paulo plura narrare constitui, vosque audire precor nec alienas putare tales a publicis contentiones; siquidem bonorum virorum præconia manifestum indicium de iis qui contraria moliuntur faciunt. Præterea justum laudem, quæ una præmium periculorum est bonis viris, hanc ipsam, quandoquidem et illi in communem salutem urbis animas suas effuderunt, in publicis et communibus certaminibus urbis haud prætermittere. Nam illi hostibus occurrerunt apud confinia Bœotiæ pro Græcorum libertate pugnaturi, non in mœnibus spem salutis habentes, neque terram populandam prodentes hostibus, cæterum suam fortitudinem propriam tutiorem esse munitionem putantes lapideis propugnaculis, meritoque pudefacti solum quod se educarit cernere vastari. Jure: quemadmodum enim erga naturales parentes et adoptativos non omnes æque sunt benevoli, ad hunc modum erga regiones, quæ natura nos non attingunt, sed post acquisitæ sunt, minus affecti sunt homines. Ejusmodi sententiis impulsi, cum optimis viris ex æquo periculorum consortes facti, non pari ratione participes sunt facti fortunæ: virtute namque non fruuntur cum viventibus, sed mortui gloriam reliquerunt, haud victi, sed mortui ubi in acie collocati fuere pro libertate dimicaturi. Quod si omnium longe admirabilissimum, verum autem, dicere oporteat, illi vincentes mortui sunt. Præmia enim belli bonis viris sunt libertas et virtus: hæc sane ambo defunctis vita præsto sunt. Neque fieri potest, ut illi dicantur amissæ victoriæ auctores, qui mentibus suis non trepidaverint ob imminentium malorum pavorem. Solos enim eos qui in bellis honeste moriuntur nemo victos esse jure dixerit: nam servitutem fugientes celebrem mortem seligunt. Declaravit porro istud horum virorum virtus: soli enim omnium Græciæ libertatem suis in corporibus habebant. Una enim illi vitam permutarunt resque Græcorum ad servitutem deciderunt; simul enim sepulta est cum horum corporibus reliquorum Græcorum libertas. Unde et perspicuum omnibus fecerunt se non privatim fecisse bellum, sed pro publica libertate tuenda sese præ aliis pericula subiisse. Quocirca haud puduerit me, judices, dicere coronam patriæ esse illorum animas. Quapropter, ex iis quæ recte gesserunt scitis, Athenienses, soli ex

Græcis bonos viros honoribus afficere : invenietis autem apud alios quidem in foro gladiatorum statuas positas, apud vos autem imperatorum bonorum et qui tyrannum occiderint. Ejusmodi autem viros ne ex universa quidem Græcia facile est invenire paucos; ubi autem, qui ludos aut certamina in quibus pro corona certatur vicerint, ex plerisque locis in proclivi est novisse. Ut igitur benefactoribus maximos honores tribuitis, sic justum est ut eos, qui patriam contumelia afficiunt eamque produnt, extremis suppliciis puniatis.

13. Considerate autem, judices, quod nihil liceat vobis revocare in Leocrate hoc, quum justa facitis. Scelus enim hoc jam judicatum est condemnatumque. Nam senatus in Areopago — neque mihi quisquam hic obstrepat, concilium enim Areopagiticum maxime tum fuisse urbi salutare judico — transfugas patriam deserentes ac hostibus prorsus dedentes arreptos occidit. Nec existimetis, Athenienses, eos, qui aliorum scelera quibus eadem commisere sanctissime judicant, in quendam civium adeo inique agere. At vero Autolycum quidem vos condemnastis, quum ipse tamen in periculis perstitisset, habuerit autem criminationem, quod filios et uxorem clam alio transportarit, eumque supplicio affecistis. Quod si eum qui insimulabatur, quod clam exponeret inutiles ad bellum, supplicio affecistis, quid illum pati convenit qui, quum vir sit, non fuerit patriæ suæ gratus pro educationis immensis beneficiis? Præterea gravem ratus esse rem populus decrevit reos esse proditionis si qui pro patria subire periculum detrectassent; dignos tales extremo supplicio censens. Quæ igitur conclusa sunt apud justissimum concilium, decreta a vobis sorte delectis ad sententiam ferendam, constat denique apud populum maximo digna esse supplicio, hiscene vos contraria decernetis? Omnium, si istud faciatis, futuri estis insipientissimi, paucissimosque habebitis qui pro vobis sese periculis aint objecturi. Quod itaque reus sit omnium quorum insimulatus est Leocrates, Athenienses, perspicuum exsistit.

14. Audio autem ipsum daturum operam ut vobis imponat dicendo quod mercator enavigaverit atque propter hanc negotiationem Rhodum commigrarit. Si igitur hæc dixerit, cogitate in animo quomodo facile ipsum in mendaciis deprehendatis. Primum enim non ex litore per portulam inscendunt navim qui ad mercatum navigant, sed ex portu, ab omnibus amicis visi et amandati : deinde non cum scortillo et ancillis, sed solus cum puero administro. Præterea quid opus erat Megaris Atheniensem ceu mercatorem quinquennium demorari et sacra patria transferre domumque hic vendere, nisi et agnovisset se prodidisse patriam et magna omnes injuria affecisse? Omnium proinde absurdissimum fuerit, de quibus sceleribus ipse exspectavit supplicia fieri, ea vos rescindatis, quum sitis domini judicii. Insuper non puto opertere ut admittatis hanc

defensionem. Qui enim non est horrendum eos, qui ad mercatum in peregrino consistunt solo, accelerare reditum ad patriæ auxilium: hunc autem solum istis temporibus pro quæstu transmittere maria, quando ne unus quidem quicquam lucrari quæsivit, sed parta tantummodo tueri? Lubens vero audirem, quam negotiationem adducens dicat sese urbi commodiorem fuisse quam si corpus in urbis salutem imperatoribus ordinandum præbuisset invadentesque in patriam arcuisset, vobiscum pugnans. Ego pæne nullum tantum auxilium esse video. Dignum autem est, ut ipsi non solum ob hoc facinus succenseatis, sed propter etiam hunc sermonem: palam enim mentiri ausus fuit. Neque enim prius unquam se huic quæstui dedidit, sed possederat ærarios; neque tum hinc solvens quicquam huc advexit, sex annos integros peregrinatus. Ad hæc quinquagesimæ vectigalis consors erat, qua haud relicta apud exteros ageret. Quare si quid de his dixerit, neque vos ipsi permissuros reor.

15. Sed fortasse ad illam rationem citato cursu perveniet, quam ipsi quidam patronorum suaserunt, quod non sit reus proditionis: neque enim se navalium esse dominum neque portarum neque exercituum neque ullius functionis quæ ad urbem pertinet. Atqui horum dominos censeo partem quandam potentiæ vestræ prodere, hunc autem totam deditiam facere civitatem. Ad hæc alii quidem proditores viventes tantummodo injuria afficiunt, hic autem et vita defunctos et hujus regionis sacra patriis legibus et jure privans. Atque ab illis proditam inhabitari contigisset servam factam hanc urbem, quo autem in modo hic ab ea excidit, inhabitabilem esse accidisset. Quinetiam civitates ex infelicitate ad meliorem statum transferri probabile est, sin omnino vastetur urbs, eandem communibus etiam spebus privari verisimile est. Ut enim homini viventi spes est ab infelicitate se tandem liberatum iri, defuncto autem vita simul auferuntur omnia per quæ quisquam felix esse queat; non dissimilem ad rationem cum civitatibus accidit ut finem malorum assequantur cum eversæ fuerint. Si enim verum dicere oporteat, civitatis est mors, eam sedibus pelli vastarive. Argumento autem maxime esse poterit, quod in nobis experti sumus: nostra enim urbs olim a tyrannis in servitutem est redacta, dehinc a Triginta et a Lacedæmoniis muri sunt diruti: et ab his tamen ambobus malis sumus liberati, Græcorumque salutis digni judicati sumus præsides fieri. Sed ejusmodi fortuna non obtigit unquam iis urbibus quotquot eversæ fuerunt. Vetustius equidem est quod dicturus sum, ad rem tamen præsentem facit: Trojam quis non audivit maximam tum urbium fuisse totique dominatam esse Asiæ, hæc ipsa tamen ut semel diruta fuit, perpetuo habitatoribus vacat? Idem confirmat, quod Messene quingentis post annis ex vulgaribus hominibus adeoque colluvie sit constructa?

16. At fortasse patronorum aliquis ipsi audebit dicere, rem ipsam extenuans, quod nihil horum fieri potuit per unum hominem; nec pudet illos ejusmodi defensionem facere apud vos, ob quam jure mori deberent. Si enim confiteantur patriam eum deseruisse, hoc permisso vos sinant de sceleris magnitudine adjudicare: sin nihil horum fecit, nonne insania jam hoc est, nimirum dicere, quod nihil urbi acciderit, etiamsi hic unus discesserit? Existimo autem ego, judices, diversum, dissentiens a patronis istius, nempe ab uno homine salutem pendere urbis. Siquidem urbs habitatur secundum propriam cujuslibet provinciam custodita: quum igitur hanc quispiam in uno neglexerit, ignorat sese in omnibus isthuc fecisse. Profecto facile est, judices, ad veterum legislatorum respicientes sententias, veritatem invenire. Non enim illi centum talenta suffuratum morte mulctarunt, decem vero drachmas sublegentem minore pœna affecerunt; neque eum qui ampla spolia e delubris deorum immortalium abstulerit, occiderunt, qui vero pauca spoliarit, minore supplicio puniebant; neque eum, qui servum occidisset, pecunia mulctabant, qui vero liberum, legibus cohibebant: verum in omnibus, etiam minimis, delictis, mortem decreverunt esse mulctam. Non enim ad propriam naturam patrati facinoris unusquisque respiciebat, neque exinde capiebat magnitudinem scelerum, verum isthuc considerabant, si natura comparatum est hoc facinus, si incrementum caperet, lædere humanum genus. Etenim absurdum est alio quodammodo de hoc examen facere. Agite enim, viri, si quis unam legem Metroum ingressus deleverit, deinde contenderit, quod nihil per hanc expunctam legem urbi mali eveniat, nonne occideretis eum? Ego sane vosb oc jure facere censerem, si modo cæteras conservare velitis. Ad eundem modum hic puniendus est, si alios cives meliores reddituri estis. Neque hoc cogitabitis, quod unus tantummodo sit homo, verum ad rem ipsam est spectandum. Ego enim existimo ejusmodi homines non multos fieri vestram felicitatem esse, atque hunc propterea majore supplicio dignum, quod solus ex aliis civibus non publicam sed privatam salutem quæsiverit.

17. Supra modum autem commoveor, viri, si audiam quendam eorum qui ab hujus partibus stant dicere, quod hoc non sit prodere, si quis ex urbe abiit: etenim majores nostri hac urbe relicta, quando adversus Xerxem gerebant bellum, Salamina transmigrarunt. Adeoque væsanus est omninoque vestri contemnens, ut pulcherrimum factum isthuc ad turpissimum conferre non erubescat. Ubi enim celebrata illorum virorum virtus non fuit? Quis adeo aut invidus est aut a virtutis et honoris cupiditate alienus, qui non optarit rerum ab illis ipsis gestarum consors esse? Non enim ab urbe excesserunt, sed locum permutarunt, adversus imminens periculum honesta deliberatione habita. Eteonicus enim Lacedæmonius et

Adimantus Corinthius, Eginetarumque classis sub nostrum salutem sibi quæsitam erant fuga: deserti itaque majores nostri ab omnibus Græcis alios etiam invitos liberarunt, cogentes eos apud Salamina secum adversum barbaros navali prælio decertare. Soli autem majores nostri utrosque superabant, et hostes et socios, ut utrosque superare decuit, socios beneficiis, hostes virtute. Similene est ergo majorum nostrorum factum fugienti patriam navigantique Rhodum quatuor dierum spatio? Ægre eorum aliquis sustinuisset ejusmodi opus, ac non statim lapidibus obruissent eum qui pudefaceret eorum præclarissimam operam. Adeo autem patriam diligebant omnes, ut ab Xerxe missum legatum Alexandrum, prius ipsis amicum, quando vero terram et aquam petiisset, propemodum lapidibus obruissent. Quod si tam de verbo supplicium sumendum censuerunt, nonne reipsa tradentem urbem hostibus magnis pœnis afficerent? Proinde talibus usi consiliis nonaginta quidem annos Græcorum duces constituti sunt, Phœnicen autem et Ciliciam populati sunt, ad Eurymedontem vero pedestribus copiis in terra belligerantes et navali prælio decertantes vicerunt, centum autem triremes barbarorum captivas ceperunt, universam autem Asiam diligentes circumpavigarunt, et quod summum est victoriæ, non tropæum Salamine statuere contenti, sed terminos barbaris figentes qui ad Græciæ libertatem pertinerent, hosque prohibentes transgredi, fœdera pepigerunt, ut longa quidem nave non navigarent intra Cyaneas insulas et Phaselidem amnem, Græci autem sui juris essent, ii etiam qui Asiam incolerent, non solum qui Europam. At vero arbitramini, si omnes Leocratis istius imbuti mente fugissent, horum aliquod factum egregiorum operum esse, aut hanc vos adhuc regionem habitare? Operæ pretium est ergo, judices, quemadmodum bonos commodatis et honore afficitis, sic et ignavos odisse et punire; maxime vero Leocratem, qui neque metuit neque vos est veritus.

16. Sane de his rebus qualiter statuistis, qualesque sint sententiæ vestræ, contemplamini. Dignum est enim eas etiam apud gnaros earundem pœnensere. Præconium enim, ita mihi Minerva faveat, urbis sunt veteres leges et consuetudines eorum qui hæc primum constituerunt, quibus si advertatis animum, justa facietis omnibusque hominibus honesti dignique urbe judicabimini esse. Vobis enim est jusjurandum, quod jurant omnes cives, postquam in album inserti fuerint, destinatum ephebis qui sui sint juris et patriorum bonorum administratores esse queant, quo cavetur, ne sacra arma pudefaciant neque stationem aut aciem deserant, patriam autem defendant et meliorem reddant. Quod si illo se jurejurando obstrinxit Leocrates, palam factus est perjurus, atque in deos impius fuit, non solum vos injuria affecit: si autem non juravit, statim

aperte indicat se ita paratum esse et nihil facia eorum quæ conveniant bonis viris, quocirca jure de eo tum vos tum deos vindicatam ultionem sumetis. Cupio autem vos audire jusjurandum. Recita scriba.

JUSJURANDUM.

Honestum sane, judices, et sanctum est jusjurandum. Ergo præter hoc omnia fecit Leocrates. Atqui qui quisquam poterit esse impurior aut magis esse patriæ proditor? Qua vero ratione arma quisquam majori ignominia affecerit, quam si accipere nolit hostesque juvare? quo autem æstimem suum et aciem non dereliquerit, qui non exhibuit corpus suum imperatori in aciem ordinandum? quo modo vero pro sanctis et sacris pugnavit, qui nihil periculi sustinuit? Qua autem majore patriam suam proditione prodere potuit, quam hac? quantum enim ad ipsum attinet, destituta sub hostium potestatem venit. Hunc ergo non occidetis omnium injuriarum reum? Equos igitur punietis? qui unum quoddam ex iis multis quorum iste reus est commisit? Facile ergo erit apud vos in magnis delinquere, si videmini ob minora delicta graviore irarum æstu fluctuare.

19. Hoc insuper vos discere opus est, viri, quod firmamentum status reipub. popularis est jusjurandum. Tria enim sunt per quæ respubl. consistit, princeps, judex, et privatus. Horum igitur quilibet hanc fidem dat. Merito: plerique enim qui hominibus imponunt latuere, nec a præsentibus periculis absoluti fuere, verum etiam alio tempore insontes ab delictis hisce permanent: deos autem neque pejerans aliquis fefellerit neque pœnam ab ipsis impendentem aut supplicium evaserit, at si non ipse, liberi ejus tamen et omne genus pejerantis in magna discrimina et infallicitatem incidit. Proinde, judices, hanc fidem firmarunt hocque se fœdere et jurejurando obstrinxerunt apud Platæas Græci, quando, junctis copiis pugnaturi erant contra Xerxis vim, non ab sese invenientes, sed imitantes consuetum apud vos jusjurandum. Quod auditu dignum est. etenim quum antiqua sint tuno temporis facta, exiliter tamen scriptis in literis illorum virtutem videre est. Lege ergo mihi ipsam.

JUSJURANDUM.

Haud anteferam vitam libertati, neque duces deseram neque viventes neque mortuos, sed socios qui in prælio occubuerint omnes tumulo condam. Ac si vicero prælio barbaros victoriamque obtinuero, earum urbium quæ pro Græcia discesserunt nullam sedibus pellam, eas vero quæ pro barbaro stare maluerunt omnes decimabo: templorumque a barbaris incensorum ac dejectorum nullum denuo exstruam omnino, sed monumentum posteris sinam relinqui barbarorum impietatis.

Adeo ergo fervepti studio, judices, in hac permanserunt omnes, ut et deorum benevolentiam secum habuerint adjutricem: atque,

quum omnes Græci viri bioni fuerint ad pericula, urbs vestra sit maxime probata. Unde isthæc omnium fuerit horribilissimum, majores vestros mori audere, ut ne urbem incelebrem redderent, vos autem non punire audere eos qui pudore hanc ipsam afficiant, sed negligere publicam multisque laboribus collectam celebritatem hanc per talium hominum scelus dissolvi.

20. Enimvero, judices, solis vobis Græcorum non licet quicquam horum posthabere. Volo autem pauca de veteribus vobis commemorare, ut eorum exemplis freti et de iis aliis rectius deliberetis. Istud enim urbs vestra maximum bonum habet, quod egregiorum factorum Græcis exemplum fuerit. Quanto enim tempore omnium est vetustissima, tanto majores nostri aliis hominibus virtute præstiterunt. Temporibus Codri regis Peloponnesensibus sterilitate frugum laborantibus, placuit ipsis bellum facere contra urbem nostram ac majoribus nostris sedibus suis pulsis distribuere regionem. Ac primum quidem Delphos legationem missa Apollinem interrogabant, nisi essent occupaturi Athenas; datoque oraculo, quod urbem essent capturi, nisi regem Athenaiensium Codrum interfecissent, belligerabant adversus Athenas. Cleomantis autem Delphicorum quispiam, audiens draconem, clanculum Atheniensibus enunciavit. Adeo majores nostri etiam exteros benevolos sibi continuo habebant. Impressionem itaque facientibus Peloponnesiensibus in Atticam, quid fecerunt progenitores nostri, judices? Non relicta terra, ut Leocrates, abiverunt, nec eam quæ se aluisset dediderunt nec delubra hostibus tradiderunt, sed pauci quum essent conclusi obsidebantur perseverabantque in patria. Adeoque fuere strenui qui tunc fuere reges, ut proponerent mori potius pro subditorum salute quam superstites alium commigrare terram. Aiunt itaque Codrum demandasse Atheniensibus, ut observarent quando vita defunctus esset, acceptoque porro mendici habitu ut hostes fallerent, per portas egressum sarmenta colligere ante urbem; quumque duo viri e castris ad eum accessissent scrutantes quid in urbe ageretur, alterum ipsorum in ipsum incidentem falce interimere, solutum alterum, exacerbatum adversus Codrum quem putaret mendicum esse, stricto ense occidisse Codrum. Hisce transactis, Athenienses, misso præcone petebant sibi regem suum dari ad sepulturam exponentes ipsis omnem veritatem: Peloponnenses vero eam dederunt, et cognito quod ipsis non sit possibile regionem obtinere, discesserunt. Cleomanti autem Delpho civitas et ipsi et soboli ejus perpetuum ex publico cibum in Prytaneo dederunt. Videte, num æqua ratione patriam cum Leocrate dilexerint qui tum sint sceptris potiti, qui statuerunt hostibus imponentes pro ipsa emori suamque animam pro publica salute permutare. Quare soli ex omnibus heroes, a quibus tribus agnominatæ sunt regionis istius,

æquales cum diis sunt nacti honores. Idque merito: cujus enim saluti adeo enixe studuerunt, etiam hanc non injuria vita defuncti hereditarunt. At vero Leocrates neque vivus neque mortuus jure ejus consors fuerit, sed solus ex omnibus jure exterminari quæst ejicive e terra hac quam hostibus relinquens discessit: neque enim honestum est eandem contegere virtute eximios et ignavissimum omnium mortalium.

21. Verum tentavit dicere, quod etiamnum fortasse ad vos dicet, quod nunquam id certaminis sustinuisset neque se judici obtulisset si alicujus sibi sceleris fuisset conscius: quasi nec omnes fures templorumque despoliatores idem argumentum obtenderent. Nec enim rei est signum, quod non fecerint, sed impudentiæ quam habent. Non enim hoc dicendum est quod ipsi proferunt, verum illud est dicendum Leocrati, quod hinc non enavigarit neque urbem deseruerit neque Megaris habitarit: hæc sunt indicia rei. Nam quod huc venerit, opinor, deorum aliquem ipsum ad hanc pœnam adduxisse, ut, postquam celebre periculum effugerit, incelebrem ingloriamque mortem assequatur, et quos prodidit, iis se subjectum constituat. In altero enim loco calamitatibus fractus non satis liqueret an propterea pœnam luat. Hic autem apud eos quos prodidit planum est, quod scelerum suorum hoc sustineat supplicium. Dii enim nihil prius faciunt, quam pravorum hominum mentem detorqueant: ac mihi quidem videntur priscorum nonnulli poetarum, veluti oracula scribentes posteris hos iambos reliquisse,

> Cum enim ira deorum aliquem læserit,
> Illud primum, ex sensibus auferunt
> Animum bonum, mentemque ad deteriorem partem
> Applicant, ut nihil eorum quæ peccaverit intelligat.

22. Quis enim non meminit e natu grandioribus aut e natu minoribus non audivit Callistratum, quem civitas morte mulctavit, hunc transfugam, quum Apollinem Delphis audisset, quod si rediret Athenas, consecuturum se leges, reversum ad aram duodecim deorum confugientem, nihilominus tamen urbis censura morti adjudicatum? Idque haud injuria: leges enim eos qui injuste egerunt assequi, est illos ipsos supplicio affici. Deus enim recte reddidit hoc injuriam passis, ut punirent auctorem injuriæ: esset enim grave et indignum, si eadem et piis et sceleratis a deo monstrarentur. Existimo, autem, viri, deorum providentiam omnes humanas actiones intueri, potissimum vero erga parentes, erga vita defunctos, ergaque ipsos pietatem. Idque haud immerito: a quibus enim principium vitæ accepimus plurimisque beneficiis aucti sumus, adversum hos non solum peccare, verum beneficium compensando non vitam suam impendere, summa est impietas.

23. Fertur in Sicilia — tametsi paulo fabulosius sit, conveniet

tamen vobis natu minoribus omnibus audire — ex Ilisso fluxus ignis fieri: hunc autem fluere aiunt ad alium terram, atque ad urbem quandam ex iis quæ isthic habitantur. Alios igitur celeriter arripuisse fugam, ut ita salutem suam quærerent: unum autem quendam ex junioribus, quum cerneret patrem suum grandævum adeo ut non posset discedere jamjamque corripiendum flamma, tollentem humeris asportasse. Onere autem, ut opinor, ingravescente cum patre isthic filius pæne correptus est. Unde jam etiam par est intueri animo numen, quod viris bonis clementiam suam impertit. Ferunt enim circum undique locum istum ignem circumfluxisse atque conservatos esse hos solos, a quibus locus iste hodieque appellatur Piorum locus: reliquos autem, qui celerem discessum fecerant suis parentibus isthic relictis omnibus, periisse. Proinde et vos hanc a diis sententiam habentes oportet unanimi sententia istum punire, omnibus maximis sceleribus quantum in ipso est obnoxium. Nam deos patriis honoribus suis privavit, parentes vero hostibus reliquit, vita defunctos justa sua non permisit assequi.

24. Ad hæc considerate, judices; haud enim a majoribus desistam: ob quæ enim illi memorabilia facta gloriabantur, hæc vos audientes non immerito accipere debetis. Aiunt enim Eumolpum Neptuni et Chiones filium cum Thracensibus venisse de regione hac contendentem; fuisse autem illis temporibus regem Erechthea, conjugemque habuisse Plaxitheam Cephisi filiam. Ingenti autem exercitu irruptionem facturo in regionem, Delphos profectus Erechtheus sciscitabatur deum, quid sibi opus sit facto ut victoriam ab hostibus reportet. Respondente autem ipsi deo, si filiam sacrificaret priusquam cum exercitu hostili conflictaretur, victoriam eum de hostibus obtenturum, deo morem gerens imperatum peregit eosque qui bellum inferebant ex hac terra ejecit. Propterea etiam jure quispiam Euripidem poetam laudaverit, quod et in cæteris poeta præclarus et hanc fabulam elegerit facere, pulcherrimum civibus exemplum esse ratus majorum res gestas, ad quas respicientes et contuentes assuefaciant animas suas ut patriam amore complectantur. Par est autem, judices, iambos audire, quos fingit matrem dicere de filia: videbitis enim in ipsis magnanimitatem et ingenuitatem dignam et urbe et filia Cephisi.

Beneficium quicunque generose præstat,
Id jucundius est inter mortales: qui vero præstant,
Sed tarde præstant, [præstant] minus generose.
Ego autem dabo meam filiam immolandam.
Multa autem in animo recolo: primum, civitatem
Non posse aliam hac præstantiorem habere,
Cui primum non genus alunde exsecta,
Sed indigena manet: cujus autem civitatis,

Calculorum ad instar temere jactorum solidum,
Alius ab aliis deducuntur.
Quicunque autem ab alia civitate aliam incolit,
Ille, tanquam juncturæ in ligno mala,
Verbis quidem est civis, re non item.
Deinde liberos libentius pariunt,
Ut deorum aras et patriam propugnarent.
Civitatis autem totius nomen quidem unum est, sed multi sunt qui eam
Habitant: has ut perdere fas sit,
Cum possim unam mactandam pro omnibus dare?
Si enim hominum novi et mihore
Major, illud quidem familiæ calamitas non magis videt
Quam calamitas totius civitatis, imo nec aquale.
Quod si fuisset in ædibus loco muliebris stirps
Mascula, et civitatem hostilis occuparet flamma,
Nonne ego eum emitterem ad bellum
Præ metu mortis? *nimo.* Mihi enim tali contingit proles,
Quæ et bella gerat et inter masculos excellat,
Non vana in urbis figura.
Matrum autem lacrymæ, cum mittant liberos,
Multos effeminarunt ad bellum proficiscentes.
Odi mulieres, quæ honesto
Vitæ liberorum prætulere et malæ sunt hortatrices:
Alios in bello cadentes una cum morte
Communem tumulum sunt nactæ et celebriorem sepulturam.
Sed meæ filiæ corona una uni soli
Pro hac urbe morituræ dabitur,
Et matrem duasque sorores
Servabit: quid horum non accipere opprobrio?
Filium non nemo nisi natalibus duobus
Immolandum pro patria. Nam si capiatur
Urbs, quid ad me pertinent liberi mei?
Omnia igitur mihi servabuntur:
Regent alii, hanccé ego servabo civitatem:
Jam id quod ad communem salutem maxime perficiet,
Non est me invita
Majorum antiqua instituta qui dejecerit:
Neque vice olex auræque Gorgonis
Tridentem erectam in urbis fundaminibus
Eumolpus aut Thracius dixerit populus
Coroibi, Pallas autem nequam honorabitur.
Frustrati, cives, meis puerperiis,
Salvi estote, vincite: præmio enim vitæ impia
Ego hanc civitatem servabo.
O patria, si omnes qui te incolunt
Ita te amarent uti ego, optime
Te incoleremus, et nihil acciperes mali.

25. Hæc, judices, docuit patres vestros. Quum enim natura sint amantes sobolis omnes matres, hanc finxit patriam majori amore prosecutam quam liberos, indicans per hoc, quod si mulierculæ hoc audeant facere, viros oportere incessu perculsi quadam benevolentia

erga patriam inflammatos esse, neque fugiendo ipsam derelinquere neque dedecorare apud omnes Græcos, perinde atque fecit Leocrates.

26. Volo autem et vobis Homeri quandam exhibere admonitionem. Adeo enim putarunt patres nostri honestum esse poetam, ut legem sanxerunt, per singula quinquennalia Panatheneorum festa solius hujus præ aliis omnibus poetæ carmina esse concinenda, Græcis ita argumentum præbentes ut pulcherrima opera seligerent. Idque merito: leges enim ob brevitatem suam non docent sed imperant quæ fieri oporteat; poetæ autem imitantes humanam vitam, præclarissimas res eligentes, cum ratione et demonstratione mortalibus persuadent. Hector namque, Trojanis mandans ut pro patria dimicent, hæc dixit,

> Verum pugnate ad muros conferti. Qui autem vestrum
> Vulneratus vel percussus mortem et fatum assecutus fuerit,
> Moriatur. Non ei indecorum pugnanti pro patria
> Mori; sed uxor salva et liberi in posterum,
> Et domus et patrimonium integrum, si Achivi
> Abeant cum navibus dilectum in patriam eorum.

27. Hæc carmina audientes, judices, majores vestri taliaque opera æmulantes ita sese gesserunt erga virtutem, ut non solum pro sua ipsi patria, verum etiam universa Græcia ceu communi, voluerint mori. In Atticæ itaque Marathone opponentes sese barbaris totius Asiæ exercitum vicerunt, propriis periculis communem securitatem omnibus Græcis comparantes, non ob nominis sui celebritatem sese attollentes, sed quod res gloria sua dignas peragerent, Græcorum quidem præsides, barbarorum autem dominos, sese constituentes: non enim verbo virtuti studebant, sed opere cunctis demonstrabant.

28. Proinde adeo fuerunt viri honestati dediti et publice et privatim urbem tum incolentes, ut fortissimis Lacedæmoniis prioribus temporibus bellum gerentibus adversum Messenios oraculum deus ediderit, quo jusserit ut a nobis ducem acciperent, victoriam ita de hostibus relaturi. Atqui, si iis qui ab Hercule descenderunt, qui semper regio fastigio fulgent apud Spartanos, eos qui a vobis propagati essent duces præstantiores deus judicavit, quomodo non inexuperabilem illorum virtutem oportet existimare? Quis enim ignorat Græcorum, quod Tyrtæum imperatorem acceperint ab hac urbe, cujus ope et hostes exsuperarunt atque juventutis suæ curam informationemque instituerunt, non solum ad præsens periculum verum in omne ævum recte deliberantes. Reliquit enim ipsis elegos quos composuit, quos audientes eruditur ad fortitudinem: atque aliorum vatum nullam rationem habentes, hunc tanto sunt studio amoreque vehementi prosecuti, ut legem tulerint, ut si

quando armati bellum facturi essent Lacedæmonii, ad tentorium regis vocarentur istic Tyrtæi poemata audituri omnes, existimantes eos ita maxime accendi ut pro patria minime gravarentur mori. Commodum autem fuerit et hæc elegiaca vos audire, ut sciatis qualia carmina pangentes poetæ probati fuerint apud illos.

Gloria magna viri est, qui primas ante phalangas
Occubuit, patriæ nomine bella gerens.
At miserum est, aliquis patria cum pulsus et agris
Mendicans victum quærit ubique suum,
Et cara cum matre, sene et genitore vagetur,
Uxorem juvenem et pignora parva trahens.
Namque odiosus erit quamcunque migrarit in urbem,
Ut qui pauperiem pergrave gestet onus,
Et genus infamat, et formæ turpat honorem,
Denique et anxietas et dolor omnis adest.
Atque viri tandem per tot discrimina tracti
Quis pudor aut quam animum tangere cura potest.
Hac nos pro patria et natis moriamur in armis,
Nec vitam metuat perdere quisque suam.
O juvenes, prope confecti maturis obite
Prælia, nec turpi vertite terga metu;
Audaces quin este animis et pectore forti,
Inter pugnandum nec sit obire grave:
At quos jam nec membra vigent, et quassa pedum vis,
In bello pudeat deserviisse senes.
Infame hoc et turpe nimis, juvenum ante catervas
In primis senior si cadat agminibus,
Canos jamque gerens barbæ capitisque capillos,
Exhalans animam pulveream per humum,
Atque tegens manibus resperso cruore pudenda
Cernenda ipsis non nisi luminibus.
Omnia persimilis juveni, conamine magno,
Ut pubertatis flos sibi detur, agit:
Ille hominum oculis gratus, dum vivit, habetur,
Stemmate ut primus cunctis in agminibus.
Progrediens aliquis maneat pede firmus utroque
In terra, stricte dente labella premens.

Pulcra sunt hæc, judices, commodaque volentibus huc animum attendere. Adeo ergo ad fortitudinem animabantur hæc carmina audientes, ut cum urbe nostra de imperio contenderent. Idque haud immerito: res enim pulcherrimæ ab utrisque peractæ erant. Siquidem majores nostri barbaros vicerunt, eos qui primi in Atticam invaserunt, ac planum fecerunt fortitudinem divitiis, virtutem autem multitudini, præstare: Lacedæmonii autem apud Thermopylas opponentes sese Persis, haud in dissimilem fortunam inciderunt, fortitudine autem longe omnibus præstantiores fuere. Quare apud vitæ terminos testimonia licet videre quæ de virtute ipsorum sunt perscripta eaque vera ad omnes Græcos, de iis

HOSPES NUNCIA LACEDÆMONIIS QUOD HIC
JACEAMUS EORUM PARENTES INSTITUTIS,

de vestris autem majoribus

PRO GRÆCIS PUGNANTES ATHENIENSES MARATHONE
MEDORUM AURO ORNATORUM PROFLIGARUNT POTENTIAM.

29. Hæc ad memoriam revocare, Athenienses, jucundum est, quinetiam rebus gestis laudem tribuunt atque urbi gloriam sempiternam præbent. Verum Leocrates secundum hæc sese haudquaquam gessit, sed sponte sua ex omni ævo collectam urbi gloriam dedecoravit. Si ipsum itaque occideritis, videbimini cunctis Græcis etiam vos ejusmodi opera odisse: sin minus, etiam progenitores vetere gloria orbabitis aliosque cives plurimum offendetis. Qui enim illos non demirantur, hunc tentabunt imitari, existimantes illa quidem apud hostes probari, apud vos autem impudentiam et proditionem et ignaviam judicari pulcherrimum quiddam esse.

30. Quod si a me doceri non possitis quomodo debeatis vos erga adeo sceleratos gerere, considerate illos majores nostros quomodo sumpserint de facinorosis supplicium: ut enim honesta opera noverunt provehere, sic et prava statuebant punire. Illi enim videte, judices, quam fuerint indignati proditoribus et publicos putaverint esse hostes civitatis. Phrynicho enim noctu jugulato apud fontem in saliceto ab Apollodoro et Thrasybulo, hisque captis et in carcerem repositis a Phrynichi amicis, sentiens populus id quod factum esset et mancipatos carceribus eduxit examinatosque per tormenta dijudicavit, quæsitque rem accuratius invenit Phrynichum quidem patriæ esse proditorem, eos autem qui ipsum interfecissent injuste custodiæ intrusos; fecitque decretum populus Critia dicente, quo statuit mortuum accusandum proditionis, ac si appareat, cum proditor esset, eum in Attica esse sepultum, ossaque ejus effodienda exterminandaque extra terram Atticam, ut ne in ea regione recubent vel ossa ejus qui regionem et urbem prodiderit. Decreverunt autem [quidam] quod si qui cæsum illum defenderint, si mortuus fuerit convictus, eisdem eos pœnis obnoxios esse debere: adeo neque opitulari eis qui alios desererent arbitrabantur justum esse, sed æqua ratione prodere urbem eum qui proditorem conservaret. Quapropter hunc in modum odio prosequentes flagitiosos talesque adversum eos pœnas decernentes tuto e periculis liberabantur. Accipe autem ipsis decretum, scriba, et recita.

DECRETUM.

Auditis, judices, hoc decretum. Deinde illi quidem proditoris ossa effodientes ex Attica ejecerunt, atque eos qui ipsum defenderant,

Aristarchum et Alexiclem, occiderunt, neque eos in terra hac sepeliri permiserunt: vos autem ipsum corpus, quod urbem prodidit, vivum judicioque vestro subjectum habentes impunitum dimittetis? ac tanto eritis majoribus vestris inferiores, quanto illi quidem eos, qui verbo tantum proditori tulissent opem, ultimis suppliciis sunt adorti, vos autem ipsum, qui non sermone sed opere populum deseruit, ceu nihil sceleris admiserit dimittetis? Ne sane, judices; vobis cum ita patrium sit, indigna et vobis et majoribus vestris statuite. Etenim si unum aliquod ejusmodi decretum factum fuisset, posset aliquis dicere, quod ob iram potius quam veritatem fecissent; quando vero de omnibus idem supplicium sumpserint, quomodo non est perspicuum, quod omnibus talibus facinoribus naturaliter restiterint eaque perpetuo impugnarint? Siquidem Hipparchum Timarchi filium non exspectantem proditionis apud populum judicium, sed certamen illud deserentem, morte mulctantes, postquam sceleris reum corpus ejus non acceperunt, imaginem ejus ex arce detrahentes et conflantes erigentesque columnam decreverunt in hanc perscribere calumniatores et proditores; atque ipse Hipparchus in hanc columnam perscriptus est, aliique proditores. Ac mihi accipe primum quidem decretum, per quod imago Hipparchi proditoris ex arce detracta est, deinde quod in columnam est perscriptum, deinde post hanc inscriptos porro proditores in hancce columnam; et recita scriba.

DECRETUM ET PERSCRIPTUM COLUMNÆ.

Quid videntur vobis, judices, majores vestri? Anne eadem vobiscum de sceleratis cognoscere? Nonne postquam corpus proditoris non potuerunt in sua habere potestate, statuam proditoria apprehensam ac detractam quibus potuerunt suppliciis affecerunt? non ut æream statuam conflarent, sed ut posteris exemplum in reliquum tempus ut poterant contra proditores relinquerent. Accipe porro et alterum decretum de iis qui Deceleam migraverant, quando populus a Lacedæmoniis obsideretur, ut sciant, de proditoribus majores nostri pares et consentaneas sibi pœnas fecisse. Recita scriba.

DECRETUM.

Auditis, judices, et hoc decretum, quo tempore belli transmigrantes Deceleam condemnarunt, decreveruntque, ut si quis ipsorum reversus deprehendatur, abducat cui libuerit Atheniensium ad thesmothetas, qui assumptum illum tradant præfecto fossæ. Proinde illi in regione hac transmigrantes hunc ad modum puniebant, vos autem eum, qui ex urbe et regione tempore belli transfugerit in insulam Rhodum atque prodiderit populum, non occidetis? Quo

puesto igitur videbimini orti esse ab illis viris? Dignum est preterea audire quod de eo qui in Salamine obiit factum est decretum, quem, quia solo sermone tentarit prodere urbem, senatus referens coronas sua manu occidit.

DECRETUM.

Preclarum est decretum, judices, dignumque vestris majoribus. Ac recte quidem: cognatas enim non solum animas, verum etiam flagitiosorum supplicia, possederunt. Quid igitur, judices? Videturne vobis imitari volentibus majores ex patrie more esse Leocratem non occidere? Quando enim illi deserte urbis solo verbo proditorem ea ratione occiderunt, quid vos convenit facere ei qui re et non verbo ab habitata defecit? Nonne nos excellere illos supplicio decet? et quum illi constos alios populari salute privare ita puniverunt, quid vos decet illi facere qui ipsius populi salutem prodidit? et quando illi pro celebritate famæ suæ tuenda reos ita supplicio afficiebant, quid vos pro patria operæ est pretium facere? Sufficerent hæc quidem ad cognoscendam majorum sententiam, qui sese erga delinquentes in urbem gessissent. Cupio tamen adhuc ut columnam audiatis, quæ in curia est erecta de proditoribus populum dissolventibus: nam multis vos exemplis informari facilem vobis judicationem constituit. Post triginta enim tyrannorum tempestatem patres vestri a civibus ea passi qualia nemo unquam Græcorum dignum judicasset, et ægre ad suam urbem et statum reipubl. reversi, omnes vias scelerum obstruxerunt, quum experti essent principia ac scirent aditus vel exordia eorum qui populum proderent. Decreverunt enim edito juramento, si quis tyrannidem affectaret aut urbem proderet aut popularem statum subverteret, ut is, qui isthuc perciperet atque reum flagitii occideret, a cæde purus esset. Satius enim visum est eis, ut qui suspicione tenerentur morerentur potius, quam ut experti revera ad servitutem redigerentur: omnino enim putabant oportere ita vivere cives, ut ne in suspicionem quisquam horum scelerum perveniret. Ac mihi recipe decretum.

DECRETUM.

Hæc, viri, scripserunt in columnam, hancque collocarunt in curiam monimentum in singulos dies convenientibus atque consultantibus pro patria senatoribus, quo admonerentur quomodo sese erga tales gerere deberent. Ac propterea, si quis sensisset tantum nonnullos horum quicquam facturos, occidere talem debere eos conjurarunt. Idque non immerito aliorum enim delictorum oportet posteriora esse supplicia, proditionis autem populique dissipationis priora. Nam si remiseritis id tempus quo sunt illi pravi quiddam adversus

patriam acturi, non est quod deinceps pœnam ab ipsis sceleratis sumatis: superiores enim redduntur quam ut ab iis quos læserunt supplicio affici possint.

31. Cogitate igitur in animo, judices, digne hac providentia et operibus nec tradite oblivioni in sententia vestra qualium virorum soboles sitis, verum adhortamini vos ipsos ut similia illis et consentanea hodierno die decernentes e foro egrediamini. Habetis autem monumenta et exempla illorum supplicii, majorum nempe vestrorum, quæ sunt in delinquentium decretis definita: dejerastis in decreto per Demophantum facto vos occisuros eum qui patriam proderet et verbo et opere et manu et judicio. Neque enim existimetis facultatum, quas majores vestri reliquerint, vos heredes esse: sacramentorum autem et fidei quam dantes patres nostri pro pignore diis immortalibus publicæ urbis felicitatis erant participes, hujus non esse heredes.

32. Non modo autem urbs vestra sic affecta fuit erga proditores, verum etiam Lacedæmonii. Neque mihi succensebitis, judices, si sæpius horum virorum mentionem fecero: honestum est enim urbis legibus bene constitutæ de iis quæ justa sunt exempla sumere. Tutius enim hoc pacto quilibet vestrum justam et firmam sententiam dixerit. Pausaniam enim regem suum prodentem Persæ Græciam capientes, ad templum Minervæ ubi confugisset, januam obstruentes et culmen destruentes circumque circa obsidentes non prius abierunt quam fame enecassent, omnibusque perspicuum supplicium fecissent, quod neque deorum auxilia proditoribus opem ferunt. Et merito: nihil enim citius delinquunt quam in deos sunt impii, patriis ritibus et cæremoniis legitimis seipsos privantes. Maximum autem rerum ab ipsis statutarum indicium est quod dicturus sum: legem enim tulerunt de omnibus nolentibus pro patria subire periculum, palam demandantem ut moriantur; ad illud ipsum pœnam statuentes, quod maxime metuunt, atque salutem, quam fugientes bellum quæsiverunt transfugæ, periculo cum probro subjecerunt. Ut autem sciatis me sermonem indemonstrabilem haud dixisse, sed exempla veritate confirmata, age recita ipsis legem.

LEX.

Expendite autem, quod bona sit lex, viri, et utilis non modo illis, verum etiam aliis hominibus. Metus enim civium cum strenuus sit, coget eos adversum hostes pericula sustinere. Quis enim cernens morte damnatum proditorem in periculis patriam deseret? aut quis præter commoditatem urbis vitam suam patriæ saluti anteferet, præsertim quum sciat sibi propositam pœnam? Nullam enim aliam timiditatis pœnam esse debet quam mortem: compertum enim habentes, quod duobus propositis discriminibus necessarium

sit alterius esse consortem, multo potius eligent id quod contra hostes quam quod contra leges ac cives.

33. Tanto autem rectius morietur iste quam qui ex exercitibus fugiunt, quanto illi quidem ad urbem veniunt ceu pro ea præliaturi aut publice cum aliis civibus passuri infelicitatem, atqui hic ex patria aufugit privatim salutem sibi comparans, ne proprio quidem pro lare certare ausus, sed solus e cunctis mortalibus et naturæ peculiaria et necessarii prodidit, quæ vacantibus etiam ratione belluis maxima sunt et gravissima. Alites itaque maxime ad celeritatem habiles sunt, quas tamen videre est pro suis pullis sponte mori: unde et poetarum quidam dixere,

> Neque silvestris ales, si nidum finxerit,
> In alio pullos progignere velit.

34. At Leocrates adeo modum transiliit metu, ut patriam hostibus reliquerit. Quare nulla civitas ei permisit apud se inquilinum esse aut habitare, sed plus quam homicidas expulit. Idque non injuria: cædis enim rei ad aliam migrantes exsulatum urbis non habent hostes eos a quibus recipiuntur, hunc autem quæ civitas susceperit? Qui enim suæ patriæ non tulit opem, ægre pro aliena quicquam periculi sustinuerit. Nam et illic et cives et hospites et privatim amici tales homines sunt, qui bonorum urbis consortes esse volent, in adverso autem rerum statu ne ullo quidem auxilio dignabuntur. At vero eum qui ab illis, quibus tamen nihil nocuit, odio habetur ejicitur que, quid opus est pati a vobis ab eo injuria affectis? Nonne extremum supplicium eum assequi decet? Ex omnibus porro, viri, qui unquam fuere proditoribus justissime Leocrates, si qua major esset morte pœna, hanc sustineret. Alii enim proditores injuriam illaturi, priusquam etiam intulerint, si capti fuerint, pœnam sustinent: hic autem solus peractis quæ instituit, cum urbem deseruerit, accusatur apud judices.

35. Admiror autem patrocinaturos ipsi, quare hunc dignum censeant evadere. Anne ob amicitiam quam cum illis contraxit? At eam ob rem videntur mihi jure non gratiam assequi, sed morti potius item adjudicandi, quod ejus familiaritate uti audeant. Priusquam enim Leocrates id committeret, qualesnam essent haud constabat, nunc vero omnibus perspicuum, quod iisdem moribus imbuti amicitiam cum illo conservent, quare multo potius pro sese primum est illis ratio reddenda quam hunc a vobis dimittendum exorent. Arbitror porro ego et patrem ipsi fato suo perfunctum — si quis sensus inest defunctis earum rerum quæ hic fiunt — omnium severissimum fore judicem, cujus æream imaginem hostibus expositam reliquit, ut eam in templo Jovis Servatoris deprædentur contumelioseque tractent, et quam ipse statuit monumentum moderationis suæ, hanc

ille ignominiosam reddidit: talis enim filii pater appellatur. Hanc ob rem non parum multi accesserunt me, judices, interrogantes cur etiam isthuc non inscripserim accusationi, quod nimirum prodiderit imaginem patris sui, in Jovis Servatoris delubro consecratam. Ego vero, viri, haud ignorabam hoc delictum ejus dignum maximo supplicio, sed non putabam oportere, quum ipsum proditionis nomine judicio sistam, nomen Jovis Servatoris inscribere accusationi. Obstupui autem vehementer super iis, qui neque genere neque amicitia ipsi conjuncti sunt, pro mercede autem conducti defensionem parant semper reis, si ignorent vos extrema erga ipsos indignatione justissime commoveri. Nam, quod pro sceleribus defensionem instituunt, argumentum est, quod et perpetratorum scelerum illi ipsi socii esse velint. Non enim contra vos gravem esse oportuit, sed pro vobis et legibus et statu reipub. populari. At vero nonnulli non oratione aut verbis vos decipere quærunt, sed ob sua in rempub. officia reos a vobis dimitti sibi contendent: ob quæ illis ego plurimum succenseo. Nam cum eorum officiorum fructum privatim domum retulere, publicas gratias a vobis reposcunt. Non enim, si quis equos aluit aut sumptum fecit in ludos scenicos præclare aut in alia non dissimilia quicquam impendit, dignus est tali tantaque a vobis gratia ornari — ob ejusmodi enim ministeria sua solus ipse coronatur, aliis nihil commodans —, sed, si quisquam triremium præfecturam splendide administravit aut mœnia patriæ firmavit aut in publicam salutem a suis facultatibus quicquam liberaliter contulit: hæc enim in commune vestri omnium emolumentum vergunt. Atque in his videre est virtutem eorum qui impertierunt, in illis autem copiam tantummodo qua in faciendis sumptibus exuberarunt. Arbitror autem neminem adeo ingenti beneficio urbem affecisse, ut hanc eximiam petat accipere gratiam a vobis, scilicet ut pœna proditoribus remittatur, neque quemquam adeo esse dementem ut gloriam urbis ambiat, huic autem opem ferat qui ipsius primum celebrem ambitionem et gloriam obscuravit: nisi medius fidius non eadem et patriæ et hisce sint utilia.

36. Oportebat itaque, viri, tametsi in nullo alio scelere lege sanctum sit liberos et uxores apud sese constituentes judices ipsos ita sententiam ferre, de proditione tamen judicantes, ita pium esse et sanctum hoc facere, ut quotquot periculi consortes fuerint, ante conspectum constituti et visi vobisque ad memoriam revocantes quod publica apud omnes misericordia digni habiti non fuissent, acerbiores cognitiones accuratioraque judicia de delinquente appararent. Quandoquidem autem non est legibus constitutum neque consuetum ut istud fiat, sed necessarium est ut pro illis judicio fungamini, supplicio itaque simulatque affeceritis Leocratem atque occideritis ipsum, denunciate vestris propriis liberis atque uxoribus, quod deprehensum atque captum proditorem ipso-

rum afferentia supplicio. Ac sane horrendum est et dolendum, si quando existimet Leocrates eundem debere habere et locum et honorem transfugam cum iis qui in urbe remanserint, et eum qui non sublerit pericula cum iis qui sese hosti opposuerunt, et enm qui non conservavit urbem cum iis qui tutati sint; sed venit jam sacrorum, fori, legum, reipublicæ status futuras secius, pro quibus omnibus ne disiparentur mille vestrorum civium in Chæronea sunt desiderati ac publice eos civitas sepulturæ mandavit. Quorum iste nec elegiaca carmina inscripta monumentis eorum reversus in urbem reveritus est, sed adeo impudenter adhuc ante ora illorum, qui horum calamitates luxere, putat opostere sese versari. Ac valde vos rogabit actutum, ut audiatis ipsum defensionem sui facturum juxta leges. Vos autem quærite ex ipso, qualesnam? num quos deserens abierit? Et sinetis ipsum morari in mœnibus patriæ eorum civium, cum quibus ea non asservavit? Et invocabit deos servatores ipsum e periculis? Quosnam? nonne quorum delubra et sedes et lucos prodidit? Et precabitur et supplicabit, ut misericordiam sibi impertiant? Quibus vero supplicabit? nonne iis, cum quibus symbolam ad salutem conferre noluerit? Rhodiis supplicet: securitatem enim in ipsorum urbe potius quam in sua ipsius patria censuerit esse. Qualis autem ætas hujus jure misereatur? Natum grandiorum? At neque ut in senio suo alerentur neque in libero patriæ solo tumularentur quantum in ipso fuit concessit. At natu minorum? Ecquis revocatis ad memoriam æqualibus, qui in Chæronea secum hostibus se opposuerant atque eadem pericula participarunt, servaverit hunc qui sepulcra eorum prodiderit, atque eodem judicio eos, qui pro libertate oppetierunt mortem, dementiæ condemnaverit, desserentem vero patriam, ceu bene affectum rectoque sentientem, innocentem dimittet? Potestatem ergo dabitis volenti et verbo et opere tum populo tum vobis malefaciendi? Non enim hoc solum tempore transfugæ redeunt, quando is qui patriam deserit, ac profugus, ipse seipsum condemnavit, Megaris habitavit apud patronum suum ultra quinque aut sex annos, in terra hac et urbe versatur; verum etiam qui solitudinem Atticam esse aperto suffragio condemnavit, hic in hac regione vicinus noster nobis cohabitabit.

37. Dehinc ubi pauca quædam ad vos dixero, descendere volo, atque ubi decretum populi quod de pietate fecit exhibuero: commodum enim id vobis est sententiam laturis. Recita ergo mihi idem decretum.

DECRETUM.

Ego igitur ad vos defero qui estis domini, ut istum qui hæc omnia delevit puniatis; vestrum autem est et vestro nomine ac deorum

supplicio afficere Leocratem. Delicta enim, tantisper dum non judicata fuerint, apud auctores suos manent; simul ac vero de iis judicium factum fuerit, apud eos manent qui non jure illa ipsa ulciscuntur. Bene autem novistis, judices, quod etiam clanculum unusquisque secum decernit de scelesto hoc, perspicuam tamen sententiam suam faciet diis. Arbitror autem, viri, de omnibus maximis et gravissimis delictis unam vos sententiam hodierno die ferre; quibus omnibus Leocratem esse obnoxium licet videre, de proditione quidem quod desertam urbem hostibus subjecerit, de populi autem dissolutione quia non sustinuit pro libertate periculum, de impietate quia quod luci desecarentur delubraque suffoderentur quantum in ipso fuit auctor exstitit, de parentum autem afflictione quod monumenta ipsorum obscurarit et legitimis ea privarit ceremoniis, de desertione aciei et ignavia in militia quippe qui corpus suum non obtulerit ordinandum imperatoribus. Quis ergo ab his absolvet istum? quis ignoscet flagitiis hisce e proposito commissis? ecquis adeo est mentis expers, ut hunc servans salutem suam prodat desertoribus patriæ? et ut hujus misertus ipse misericordiam nullam impetrans ab hostibus perire statuat? proditorique patriæ gratificans obnoxius sit divinæ vindictæ? Ego itaque et patriæ opem ferens et sacris et legibus confeci certamen et recte et juste, neque aliam istius vitam calumnians neque extra rem quicquam accusans: vestrum autem unumquemlibet oportet reputare quod, qui Leocratem a morte liberat suffragio suo, patriam morti et servituti adjudicet, ac duabus suffragiorum urnis propositis, alteram quidem proditionis alteram salutis causa calculos recipere, hos quidem pro desertione patriæ, illos vero pro securitate et felicitate urbis. Si Leocratem absolveritis, prodere urbem et sacra et naves decernetis: sin hunc occideritis, custodire conservareque patriam et vectigalia et felicitatem adhortabimini. Arbitrantes igitur, Athenienses, supplicare vobis regionem et arbores, orare portus, navalia et mœnia urbis, contendere autem et naves et delubra deorum ut sibi opitulemini, in exemplum aliis statuite Leocratem, recordati ea quæ accusavimus, et quod non pluris valeat apud vos misericordia neque lacrymæ, quam in qua leges et populus conservatur salus.

DEMADIS

INTERPRETATIO LATINA.

DEMADIS

DE DUODECENNALI.

(1.) Eorum qui in reatu ac sordibus versantur, Athenienses, vitæ et necis postestatem per leges accepistis: (2.) enimvero neque prudenter medicus laborantibus potest succurrere, si causam morbi penitus non agnoverit, neque judex sanctum judicium ferre, nisi in judicii causis assiduus fuerit assectator. (3.) Ipse autem qui in mediam oratorum contentionem incidi, ut a diis immortalibus, sic a vobis auxilium imploro. Vitæ meæ detrahunt, existimantes quæ dicturus sum minime a vobis credita fore. (4.) Ego vero seu vivus seu mortuus nihil sum: quid enim Atheniensibus, quod nihili homo Demades? (5.) Meum enim interitum neque miles deplorabit — qui enim, quem bellum quidem auxit, pax non alat —, sed qui regionem excolit, mare navigat, et omnis qui quietam vitam in deliciis habet, cui Attica munita, montes non lapidibus circumdati, sed civium præsidio. (6.) At multis fortassis, judices, eorum qui subsellia compleverunt vafri quippiam subesse videtur. Sicut enim oculorum ægritudo vitalem videndi functionem confundit et quominus clare objecta conspiciantur impedit, ita incomposita peroratio, sententiis judicum sese exponens, veritatem sine bile conspici non patitur. (7.) Quare etiam convenit vos in causa citatorum et eorum qui in periculis versantur maxime circumspicere: illi enim, qualem cupiunt, talem a præcedenti actione judicem obtinent; hi contra irritatos judices ipsam animam objicere compelluntur. (8.) Igitur si in tantis periculis constitutis socius criminis videar, quid faciendum sit, jubete, nec parcite; non enim deprecor: possem quidem jure et legibus publicamque ob utilitatem sejunctus a reis reperiri, sed non frustrate me tam insigni actorum crudelitate. (9.) Si autem omnino moriendum sit, re aliqua publicæ saluti consulam, ut illi affirmant, alacriter occumbam: pulcrum est enim propria morte publicam conciliare benevolentiam, si patriæ commodum, sed non eorum sermo jam vindicias tulerit. (10.) Permittite per deos immortales, Athenienses, permittite tandem mihi vobiscum de justitia, quemadmodum exopto patrocinari. (11.) Sat enim virium suppetere existimo ad mihi aliisque patrocinandum: in his

autem metus orationem meam interturbat. (12.) Cæterum non timeo negotii reprehensionem, sed criminationem tantum adversariorum, quæ non injuriam facientes judicio persequitur, sed e re eorum est qui loqui vel facere præ se ferunt. (13.) Spes vero apud vos justa est: hac si potitus sum, omnes insidias confringam; absque illa vero neque oratio neque leges neque negotiorum integritas servare poterit injuste judicio condemnatum. (14.) An nescitis uti quondam multi reorum ex crimine verissima sæpius proferre visi sunt, defensione autem in medium allata ipsi sycophantæ reperti sunt; quod aliquando et nunc in illis ut intendo consequar certus sum, vestrum est ad proponenda benevolas aures aperire.

(15.) Quoniam autem et alterius reipub. me criminari studuerunt, pauca de illa dicere exopto; et ita postquam ad reliquam causæ meæ defensionem procedere, ne vos impostores illi fugiant. (16.) Natus enim sum, Athenienses, patre Demade, sicuti seniores inter vos noverunt, isto quidem tempore ut poteram vivebam, neque publice populum fraudans neque privatim in civitate cuiquam nocens, proprio labore miseriam hujus vitæ propellere contendens. (17.) Paupertas namque inutile forsan et difficile quiddam annexum habet, ab infamia tamen sejuncta est, quum indigentia, ut puto, in multis non morum improbitatem sed fortunæ injuriam arguat. (18.) Ad rempub. autem accedens non in criminalibus causis neque conscribendarum forensium causarum exercitatione operam posui, sed in libertate pro concione dicendi, quæ quidem perorantibus periculosam parit vitam, illis vero omnia accurate pensantibus magnam ad emendationem tribuit auctoritatem: in dicendis enim gratia salutem patriæ constituere non necessarium est. (19.) Mille Atheniensium monumenta testes sunt mihi, etiam ipsis adversariorum manibus constructa, quæ militaribus cæsis amicitiæ gratia posui. (20.) Rerum administrationi imminens illic pacem scripto firmavi: fateor. Scripsi et Philippo laudes: non nego. Mancipia enim bis mille absque ullo captivitatis pretio civiumque mille corpora sine præcone Oropumque sine legatione recipiens vobis ista conscripsi. (21.) Neque vero munerum oblatio Macedonum scribentis manum occupavit, ut hi fingendo asserunt, sed tempus, necessitas, patriæ commodum, regisque perhumanus animus. (22.) Adiens enim periculum contentionum hostis, amicus evasi, præmium devictorum calamitosis ostendens. (23.) Rursum igitur alia civitati occasio oblata est, ut inter pericula libens delitescam: et omnes quidem Græciam incolentes Alexandrum ad principatum extulerunt, et decreta facientes majorem fastum juveni avidoque gloriæ imposuerunt; (24.) nos vero et Lacedæmonii reliquum eramus publicæ salutis columen, habentes non auri multitudinem, non armorum apparatum,

neque copias peditum, sed ingens desiderium, potentiam vero afflictam et depressam. (25.) Quorum quidem robur ad Leuctra periculum concussit, qui prius quidem inexpertus cum esset hostilis tubæ, Eurotas in Laconica Bœotos castrametatos habuit: Thebanus autem Spartæ florem juventutis attundit, et juvenum Laconicos præscriptos terminos cineribus conclusos. (26.) Nostros vero apparatus bellum consumpsit, et spem superstitum mortuorum jactura labefactavit. (27.) Thebani vero maximum vinculum, præsidium scilicet Macedonum obtinebant, quo non solum manus adstrinxerant, sed etiam dicendi libertatem auferebant: Thebanorum enim robur tempus una cum Epaminondæ corpus sepelivit. (28.) Macedones vero corporibus floruerunt, quos etiam spe ad thesauros et Persarum sceptra fortuna transmittebat. (29.) Tunc similiter Demosthenes bellum comprobavit, nominibus quidem speciosum, rebus vero non salutare consilium tribuens: (30.) sicut vero in propinquo. Atticæ stabat, regioque intra urbem continebatur, et civitas illa digna certamine et inter omnes admiranda bobus omnibusque et aliis pecoribus stabuli instar complebatur, auxilii vero spes nulla ex parte affulgebat, pacem conscripsi. (31.) Fateor, idque me apte utiliterque præstitisse assero: incubantem enim vitasse nubem præstat quam vehementi abripi torrente. (32.) Quare consentaneum est, Athenienses, nullam mihi ex illis rebus reliquam per vos succrescere inimicitiam. Non enim ego fortunam supero, ut fortuna vitam, per quam in periculo constituitur. (33.) Consilium vero decet, ut medicum, non morbi causam exsistere, sed salutis gratiam rependere. (34.) De externis igitur causis certas sententias pronuntiantes, leviter per meas res nudam esse rempub. conspicietis. (35.) Post hæc iterum tertium omniumque difficillimum periculum civitati injiciebatur, non amplius a fortuna immissum, sed ab oratoribus eo ipso tempore comparatum. (36.) Mecum etiam rerum gestarum recordamini, quando Demosthenes et Lycurgus Macedones oratione in acie collocarunt, qui in Triballis vincebant, (37.) solum vero in suggestu mortuum Alexandrum sub conspectum non constituerunt, in populo vero præsentes Thebanos commodis verbis mulcentes, exsulum animos per spem libertatis acuerunt, me vero tristem et mœrore confectum esse profitebar, con consentientem * * *

SOPHISTARUM

LESBONACTIS HERODIS ANTISTHENIS ALCIDAMANTIS GORGIÆ

INTERPRETATIO LATINA.

LESBONACTIS

POLITICA

DE BELLO CORINTHIORUM.

Quandoquidem videbam consilia vobis suggerentes, viri Athenienses, optima quæque civitati consuldisse, qui etiam interrogantes adierant scientes quosque de his rebus probe consulere, sententiam ut poteram clam indicabam: nunc vero conspicions Thebanos urbis præfectos per sententiam suam optima conscribentes, et vos de reipub. commodis nihil sollicitos ne verbum quidem in medium proferre, tum demum de præsenti bello accessi vos instructurus, eosque, qui inter vos semper dicere consueverunt, quid in hac re facto opus esset. Thebani quidem antea civitati nostræ parebant neque hostili erga nos animo afficiebantur; qui etsi contra majores nostros multa et gravia gesserint vobisque omni tempore hostes extiterint, quæ peccarunt hactenus parvipendens tanquam de aliis verba faciam. Quis vero, quis, inquam, nunc ignorat quod primum post Lacedæmonios et alios Peloponnesi incolas, in perniciem nostram conspirantes, vastitatem nobis inferre studuerunt, nisi per fortunam eis et robur et consilium defecisset? deinde cum barbaro coalescentes eique in bello socii effecti, qui totis viribus ad nos nostraque omnia evertenda venerat, adversarii constituti consiliis et prudentiæ nostræ, fortissimi milites a paucis victi sunt? post hæc iterum in belli societatem cum inimicis nostris convenientes agros nostros populabundi invaserunt qui protectores illis non raro fuerant, et illam urbem, ubi ipsi servi et mancipia salutem toties fuerunt consecuti, jam diripere festinabant? Omni vero tempore tunc cum Lacedæmoniis in nos conspirantes, alias belli socios a nobis avocantes, semper illi sese contra nos hostiliter atque inimico animo gesserunt. Nunc quando tandem Platæaeas vastationes perfecerunt, nobis si et viribus et animo conjuncti fuerint, semper et eorum et nostra civitas bene habebunt, et nobiscum soli pro totius Græciæ libertate contra barbarum decertantes tropæa erigere non dubitabunt. Quamobrem si consentaneum est vos iratos gregatim cum armis excurrere, et Thebanis debitam irrogare supplicium, quod hi in socios nostros

crudelissime commiserunt. Dignum igitur sentio eos, qui vos a sententia mea dehortantur, sententiam suam mihi exponere, et suadere cum Thebanis in bello societatem non esse ineundam: quod si fieri non possit, sententiam dicentes nihil in vos deliquerunt.

HORTATORIA EJUSDEM.

1. Cum hostes adsunt, milites, quorum causa factus est omnis apparatus; tum res divinæ, a quibus est incipiendum, utroque modo recte se habent: nam et exta contigere fausta et jus a nobis est. Reliqua igitur spes in vobis est, si fortes vos præbueritis. Ac me quidem ea quæ scio vos decet monere, vos autem quæ dicam attendere, et quemadmodum auditis verba, sic res ipsas, de quibus verba fiunt, videre vos præsentes credere: si quidem hac ratione quid expediat cognoveritis facillime.

2. Atque hoc vobis est considerandum, quantum in eo sit commodi, si hostes prælio vincatis. Etenim primum urbem conservatis et regionem in qua estis educati, quamque vobis a se munitam et multo sudore defensam majores non perdendam sed servandam reliquerunt; quam nisi liberam, ut accepistis, tenere pergatis, admodum turpe sit. Neque vero, quia periculum timeatis ac majus quam sit existimetis, et vestram abjicite fortitudinem et alienam comparate vobis ignaviam. Templa præterea vobis a se constructa, sacellis, aris, statuis, ac multis præclaris ornata donariis, majores reliquere; quæ nolite spolianda et diruenda prodere, verum diis pro virili quisque opem ferte, cum præsertim præter vestrum commodum suam quoque vobis benevolentiam dii in sacris ostenderint, pomparum et publicorum conventuum atque certaminum memores, per quæ tum præsentes obliviscebamur ærumnas, tum post hanc delectationem alias inter nos per amicitias congnationesque et ætates collecti excogitabamus, quæ et nobis ipsis minime molestæ et aliis essent maxime jucundæ. At in hoc certamine situm est; ut vel et hæc servemus et alia plura pulcriora majoraque nobis comparemus, vel et hæc perdamus et ipsi miserias multas tum subeamus tum oculis usurpemus. Sed ad ea vestrum uniuscujusque cogitationem volo revocare, quæ nobis carissima reliquimus, patres videlicet ac matres qui nos genuerunt, liberos quos procreavimus, fratres ac sorores nobiscum natos, de quibus alii per senectutem, alii per juventutem nimiam, ut corpora non possunt hostibus objicere, ita periculorum partem participant maximam. Ex his porro, si nos strenue decertaverimus, felices erunt patres, honorati liberi, celebres et uxores et filiæ et sorores tum singulorum tum omnium: sin ignavi

fuerimus, nec ad extremum usque halitum depugnare voluerimus, miseri fiunt patres, qui et conspectu nostro et urbe atque agro templisque privantur, et pro libertate pulcherrima turpissimum subeunt ea ætate jugum, quæ vel quantum patiatur quæ senio nequit cognoscere, vel, si cognoscit, auxilium ferre non potest, quod quidem rem intolerabiliorem facit; quandoquidem, si cognitioni vires corporis ad resistendum essent conjunctæ, levior videretur calamitas: miseræ quoque fiunt uxores, et infelices fratres sororesque, qui cum iisdem rebus tam spe qua fuerant enutriti spolientur. Et quibus nunc gloriam et honorem pulcritudo et forma pariunt, iisdem in servitutem redactis turpitudinem et degradationem ea ferre necesse est: nam pro pulcherrimis et splendidissimis conjugiis turpissimis ac vilissimis implicantur. Deformitas quoque talibus operibus corpora subjicit, in quibus et prior educatio commoda damnum affert, et, postquam laboribus pares esse non possunt, turpi ac violenta morte vitam sponte commutant. Quocirca quisquis talibus propositis præmiis virum se in hoc certamine non præstabit, is utraque spe atque copia, tum quæ nunc est, tum si qua post erit, privabitur: siquidem in hoc prælio sita sunt omnia.

3. Hoc etiam perpendendum est, quam ob causam velitis maxime pugnare, et quid non sit in eo boni si hostes prælio vincatis. Virtus bonum habetur? hoc omnem virtutem atque omnium votorum summam complectitur. Pax bonum habetur? hæc eorum arbitrio qui hostes vicerint componitur. Opes bonum habentur? hoc victoribus debetur; qui et sua tuto possident et aliena secure carpunt. Jam justitiæ non parum in hac re cernitur: est enim justum patriæ quæ nos aluit, sacrisque avitis et majorum sepulcris, ferre suppetias; est justum parentum, a quibus estis educati, senectutem rursum fovere; est justum liberos, quos procreastis, tollere; est justum hæc neminem negligere. Quod si quis sapientiæ dat operam, is victoriam in sapientia ponat, siquidem sapientiæ libertas, non servitus, congruit. Pulcritudo honor habetur? iidem victores et pulcri pulcriores, et deformes ferociores, videntur: quandoquidem nihil non quod liberum sit est pulcrum. Jam si quod est nobilitatis indicium, id in hoc opere cernitur potissimum. Et enim qui, quum ante generosus haberetur, nunc depugnare nolet, is et a majoribus relictam nobilitatem amittet, et liberis ignobilitatem relinquet: at qui fortem se præbebit, et majorum revocabit in memoriam virtutes, et liberis nobilitatem prodet; eorum enim, qui periculosis temporibus strenue se gesserint, posteri nobiles habentur.

4. Et quanquam permulta retulerim victoriæ commoda, non pauca tamen omisi, quæ sibi quisque suggerens fortem se præbeat: nunc autem, quantum in ipsa pugna sit ad salutem vel interitum momenti, vos docebo. Etenim corpus primum prorsum ire et pro-

spicere natura solet; deinde armorum ea est ratio ut corpori proponantur, scutum ad cavenda vulnera, hasta ad inferenda: quocirca si prorsum voletis in pugnam procedere, tum jussis obtemperantes, tum bonorum recordatione vos invicem confirmantes, et ut eam contemnentes, ita pugnam desiderantes, illos, quantum res humanæ ferunt, devincetis. Sin aliquis, et hostes plus quam homines nec vulnerari posse existimans, et sese nihili faciens, fugam in salute ponet, is primum consilio vincetur, deinde corpus ita eum sit natura factum, ut repugnet operi illi quod retro cedens agitat, voluntati domini sua contraria omnia faciat — nam retro quidem nec pedes cujusquam possint procedere nec oculi prospicere —, sin bifariam incedat, ac simul et receptui det operam et imminens caveat periculum, vix arbitror vel adversarium poterit oppositum repellere: si vero conversus fugam capiet ut aufugiat, primum nudas partes hostibus ostendet, et vel vulnera vel pugnam necessario subibit, deinde multi ac leves eum persequentur funditores ac sagittarii, quos nec ipsos nec eorum tela prorsus queat evadere; siquidem viro celerrimo tardissimum est jaculum longe velocius. Quapropter, si quis de vobis vitæ studiosus receptum vel fugam ad salutem meditatur, non recte videtur quid sit vitæ studium cognoscere: qui enim manet et congreditur, is non suam tantum sed domesticorum vitam conservat.

5. Jam si quis certo se sciret, quum hoc evasisset periculum, reliquum vitæ tempus in gloria atque voluptate transacturum, aliquam haberet ignavia rationem: nunc autem pro ignavis habiti et reliqua vitæ parte non longa misere per turpitudinem et infamiam transacta probrum liberis relinquent. Et quoniam immortales non sumus nati, quonam honestius pacto quam quos oportebat defensis moriamur? Quænam sit mors jucundior? Quinam gloriosiores mortui? Etenim qui talem oppetant mortem, in eorum decus publicum exstruitur sepulcrum, sacra fiunt, celebrantur certamina, proque mortali corpore monumentum paratur immortale. Ac horum liberi publice aluntur, et integris armaturis ac primis subselliis honorantur, inque choris et gymnasiis et aliis conventibus admirationi sunt. Qui porro periculum hoc per fortitudinem evaserint, ii reliquam vitam secure cum perpetua per omnes conventus ac pompas laude degunt. His amici sunt amici, pro his inimici intercedunt, per hos quivis hospitio vult excipi; et affinitates libentes contraxeris: hi in senectute beati dicuntur. Nunc igitur, milites, pro se quisque, nullis omissis viribus, his bonis comparandis incumbite. Atque vos admonco, ecta vobis contigisse fausta.

ADHUC EJUSDEM DE IISDEM.

1. Tum auspicia et exta augusta sunt, tum vester quoque apparatus recte se habet: quocirca gnavos præbeatis vos oportet. Ac debetis, posteaquam pro vestra estis patria depugnaturi et filli majorum bonorum estis, vel esse tales, vel melius aliquid parare. Quamobrem nec verba nec facta negligenda, neque eos qui parati sunt excitare prætermittendum: id quod vel maxime mihi faciendum videtur. Qui enim fortes esse nolunt, eos frustra vel verbis vel factis coneris fortes efficere; qui autem cupiunt et volunt, non item. Omnis enim res incrementi, donec ad finem pervenerit, est capax: ac plurimum ibi virtutem crescere, ubi maxime præmiis et laudibus extollitur, videas. Quocirca — quod modo dicebam — nemo vestrum quioquam sibi parabit melius. Quare si nunc quoque sic et omnes estis et singuli animati ut fortitudini ac dignitati vestræ studere cupiatis, non tam vos lædet, si virtutem vestram ac simul et majorum et hostium vestrorum, quam per vos obtinent, dignitatem cognoveritis, quam juvabit. Vestri enim et antiqui parentes celebres inter Græcos ob virtutem fuerunt, et novi. Cujus hoc est rei testimonium. Reliqui fere Græci cunoti suis expulsi sedibus, et aliis rursum ejectis, regionem suam singuli possident. Vos autem duplex editis hac in re virtutis specimen: nam nec ab aliis ejecti, nec aliis ejectis, agrum vestrum incolitis; quorum illud fortitudinis, hoc justitiæ decus patriæ conciliat. Atque hæc sunt antiquorum parentum virtutis indicia: noverum vero tum alia multa, tum quod barbarico cedentes exercitui cum liberis patria, Salamine erumpentes Græciam totam servastis atque hos una qui nunc se vobis opponunt. O magnam impietatem! cum liberatores invadunt liberati, et cum servitutis auctoribus subjugare parant, cum vestris servis; ac longe secus quam vestri majores faciunt, qui Spartam olim contra servos imminentes juverunt, cum quidam ab illis cum veste purpurea petiisset auxilium et ne Spartam subjugatam prætervideant orasset. Hoc jam vobis maleficium pro illo referunt hi beneficio, quos vestra virtus tales quales videtis effecit, ac regionem vestram vastant et servos liberant atque contra vos præter legem atque fœdera producunt in aciem, quos non decebat Heraclidis ducibus Atticum agrum cum hostilibus armis conscendere. Verum nec deos reverentur nec homines: alioqui nunquam hæc facerent. At vos eos, si dii volunt, punietis.

2. Hoc igitur cogitate, vos ex vestra urbe in pugnam prodire, a Vesta paterna diisque tum aliis tum civilibus profectos, nec majorum homicidas esse, sed eorum causa preces vestris diis obtulisse, atque ita tum deorum tum dæmonum habere vindictam adjutricem. At

cum impiis et injustis viris pugnatis, qui sua regione, in qua sunt nati, perdita et relicta, vel ira deorum vel sua ignavia, vestram invadunt et ex alieno prodeunt; nec tam vel a sua singuli Vesta vel ab aliis aut avitis diis profecti sunt, quam a Furiis et Fraude dæmonibus ad pœnas dandas huc impelluntur. Etenim nec numero vobis nec armis præstant; neque vestra freti ignavia tam confidenter vestra transeunt, verum illos deus aliquis ad luenda impietatis et injustitiæ supplicia deducit. Quapropter hoc unicuique vestrum sit persuasum, permultum ad victoriam facere fidentiam. Quocirca, quandoquidem et favent dii et licet vobis hos antecellere, hostium armis exiguo tempore perlatis longam in omne tempus parabitis virtutis gloriam, atque omnibus eorum vos esse posteros probabitis, qui primum barbaris olim, postquam Marathonem vestram conscenderant, simul cum clamore devictis multas ejecerunt myriadas ac multos occiderunt, quum neque auxilium ex Peloponneso exspectassent neque suam considerassent paucitatem, verum propria freti virtute manus conseruissent: deinde Platæis simul cum aliis Græcis qui ejusdem partis erant vicerunt; ut etiam ad Artemisium et ante Salaminem prælio navali, sic ut etiamnum Græciæ servatores appellentur. Sed et alia multa majores vestri præclari obierunt certamina, quorum victoriæ præmia terminos habent urbes magnas, quas multorum dierum a vestra distantes itinere vestro parent præconi. Quamobrem diis invocatis Olympiis, qui nobis merito plus quam hostibus tribuunt, precario cum latronibus congrediamur. Sed confidite: et diis justa impertientibus secunde pugnabitis. Exta fausta et æquitas ut vobis fidentiam, ita metum illis, afferent. Quæ autem juvenes excitant maxime, vosmetipsos audite, et urbis magnitudinem ac felicitatem suam et gloriam unusquisque; sunt etiam juventutis ludicra pulcri pueri ac mulieres, gymnasia, venationes, quibus vos rebus et in libertate maxime fruimini; de quibus ceu vestris nunc pugnatis supervacaneum viros quibus ista cara sint cohortari. Quare mutuo vos cohortati, et vir virum et popularem popularis et tribulis tribulem, secunda fortuna, cum quis in hostes vos ducet, utimini.

HERODIS

DE REPUBLICA.

1. Quas ob causas et huic ætati et non multo minori de re controversa disserendum sit, possim dicere: quare qui disserere possit silere debeat, neque ex alio cognoscere neque per me possum invenire. Etenim qui alterius rei cognitionem sibi arroget, is vanitatis vel curiositatis incusari possit: res autem bellicæ ut omnium sunt communes, ita præcipue ab hac ætate sunt per disputationem excutiendæ. Nam quibus est periculum proximum, ii maximam necessario curam adhibent: quibus autem cura datur, hi maximam debent inventioni operam dare. Quapropter et necessitatem dicendi permagnam, nec veniam tacendi ullam video. Vellem enim vosmetipsos esse vestrorum commodorum post deos auctores; quod si conamini, non minus est, cum aliorum opera vobis consulitis, jucundum, ac mihi id quod accidit deorum alicujus providentia videtur evenisse. Nam quæ vobis opum jactura vitæque periculo comparanda fuerant, hæc vobis omnia sine labore atque sumptu fortuna suppeditat, sic ut hostes nostri ultro nobis dent supplicium. Ac primum quidem, quam sit commodum iis parere qui ad bellum adhortantur, docebo; deinde, quam sit necessarium.

2. Possumus enim nos ea quæ sunt huic regioni natura contraria cognoscere, et cognita mature cavere, cum et illa quovis pacto debilia et nostra reddimus fortiora; quando quidem non ignoramus id quod est natura inimicum nunquam, nisi cum deest malefaciendi facultas, quiescere. Nunc autem e cladibus quod erat discendum cognovimus, nunquam hunc virum nobis amicum futurum aut nobiscum compositurum. Neque enim quia accepit a nobis injuriam, verum quia vult inferre, hostis est. Habet autem eam regionem quam nobis a se conquisitam majores reliquerunt, quamque vel per imbecillitatem nostram retinebit, vel potentiam invitus reddet. Atque hunc quidem unum habet malevolentiæ stimulum: alterum, quod cum civitatibus Græcis sufficiat si potentiam suam posteris prodant, hoc tyrannis non est satis, nisi ditissimos etiam quosque semper evertant. Jam nos nec ipsi videmur hoc facile passuri, et alios impedituri. Quapropter ille vobis irascitur, cum eorum qui

vobis confidunt spem cupiat eludi. Eadem igitur opera se et nos existimat et eos quorum per nos imperio privabitur subacturum. Atque hæc primum nobis conjectura licebat assequi, nunc autem re doctis firmiter cognoscere. Qua enim re potissimum et urbs capitur, et regio, hæc eum non latuit, cum seditionem nostram animadverteret; neque cum paucis hos omnes aggredi cunctatus est. Siquidem norat se, si plurimos aggrederetur, nihil quod studeret effecturum — quandoquidem debellatis infirmioribus potiores ad resistendum instructos non esset subacturus —, sin plurimos cum paucis everteret, omnium facile potiturum. Atque ita videtur illum ut seditione laboretis optare. Quod si est illi commodum, quam sit vobis hoc illius commodum noxium, cum alio maximo id contendentes videte. Nam cum tam esse maximum malum bellum, quam est maximum bonum pax, credatur; eodem tamen intervallo bellum seditio, quo pacem illud, superat. Ut enim in externo bello patriam servando, sic in civili nosmetipsos perdendo morimur, ita ut ne homicidæ quidem laudem mereatur. Cum aliis porro præliantes pro amicis bellum gerimus; et cum alienis devictis amicos comparemus alios, nostris vero superatis, etiam priores amittimus. Jam regionis vastatio atque opum pernicies et inimicis voluptas amicisque calamitas quanta hinc sequatur, paucis singulatim explicari non potest. Neque facile est his malis, postquam semel exorta sunt, liberari: vix enim conciliatorem invenias. Nam qui prope habitant vicinorum seditionem non moleste ferunt, imbecilliores, ne pareant, pares, ut potiores fiant, superiores, ut imperent facilius.

3. Atque horum non video cur longe petendum sit exemplum, cum ipsi aliis exemplo simus. Etenim cum regionem habeamus inter Græcos maximam et omnia tum incolis tum advenis suppeditare præpollentem, nunquam iis qui a nobis deducantur ditiores videmur: siquidem illi sibi quod accedit reponunt, nos in alienos insumimus, ac tum publica reddimus privata tum privata publica. Quis vero non indignum ducat eos ali publice, qui urbem publicam non faciant? Cumque regionem habeamus ad alios repellendos aptissimam, et socios atque equos ex se præbentem, non tantum injurios non removemus, verum adjutores mercede conducimus et hospites vitamus; atque ita, tum regionis contemnitur potentia, tum ipsi deridemur. Horum autem omnium atque aliorum insuper malorum auctorem eorum vidistis, cum tale sui specimen omnibus ederet, quale nemo quantumvis durus et inhumanus absque lacrymis posset exponere. Quod enim de gravissimis malis defuit? Non et pueri et mulieres et senes parentes, illi patres, alii viros, alii liberos, vel in suis manibus vel inter hostes mori viderunt? Nonne conspexistis ædium subversiones atque opum rapta? et, quod erat omnium gravissimum, eo sæpe qui sacrorum eorundem atque ejus-

dem tribus esset particeps auctore, quem juvare secundum leges, non contra leges decebat perdere? Quo tempore eorum ætas senibus pariter ac orbatis calamitati et malo erat. Atque horum auctorem quis nobis affligendum cum possimus neget, tum juvandos mortuos, tum orbatis misericordiam tribuendam? Neque enim hoc tantum erit commodi, quod rerum præteritarum pœnas expetemus, sed etiam reliquos hoc exemplo docebimus, ne dissensionem nostram in lucro ponant neque nobiscum nobis insidientur. Id porro si contingat, nunquam seditione nos laboraturos confido, si nusquam insidiantibus adjutores occurrant.

4. Atque his quidem de causis commodum est cum iis qui adhortantur bellum voluntario capessere: quam sit autem necessarium ex sequentibus cognoscite. Etenim Archelaus nec Peloponnesios cum Atheniensibus invasit, nec per suam ire regionem vetuit, neque pecuniam contra illos suppeditavit, neque ullam dedit inimicitiæ causam, nisi quod cum illis Athenienses oppugnare noluit, verum quietem sectatus est. Quare si satis est causæ Peloponnesiis, cum hostes judicant eos qui noluerunt una bellum gerere, cavendum est ne nobis eadem de causa bellum inferant, si vocati una pugnare noluerimus: etenim nullam ab Atheniensibus injuriam acceperat. Nobis vero quænam est reliqua ratio? An quia læsi non sumus? Docebimus eos eadem, quæ ille, facere: si enim qui id fecit injuste non egit, vacat res injustitia. An vero læsos esse fatebimur, ulcisci nos velle negabimus? Admodum igitur ignavos reddemus eos qui nobis benefacere cogitant. An denique velle, sed non posse dicemus? Quis ergo nostras vires non contemnet, si ne Græcorum quidem auxilio poterimus hostes ulcisci, et, quod est maximum, secundam apud Græcos culpam subibimus, qui nec in primo bello Persico, nec in hoc quod nunc indicitur, socios nos præbeamus. Quanquam in illo non deerat nobis excusatio: pro nobis enim volebamus una cum illis periclitari; atque hoc honestius ducebamus, quam si nostra relicta de illorum regione depugnaremus. Nunc autem quid dicemus? siquidem ipsi pro nobis ac nostris adsunt periclitaturi. Præterea nonne indignum, si soli Græcorum in societate Græca non censebimur? Id quod quantum sit, hic ostendit ipse: nam cum pecunia cuperet Græcorum societatem emere, non potuit obtinere. Quod quidem et commodam rem esse et difficilem simul demonstrat. Ac de his quidem, si quis ea contra proferat, hæc dicta sint.

5. Sed alium audio sermonem, qui ea quæ dica optima esse perspicue ostendit. Etenim si istam rationem habent firmissimam, deponendus jam est metus. Aiunt enim præstare Archelaum, quamvis talem, accolam Peloponnesiis: nam hunc facile si velimus repellamus, Peloponnesios non item: quare seditione præstat inter

nos conflictari quam aliis servire. At ego si necessario viderem eligendum alterutrum, utrum potius esset deliberarem: verum quietem nobis cum Peloponnesiis intercedere video. Miror praeterea istorum contentionem qui dissimilia inter se comparent. Paria enim cum paribus neutiquam comparant, primum quidem quia horum facta cognoscimus aperte, illorum suspicione complectimur. Si quidem illa sensimus, haec an sensuri simus ignoramus. Non igitur aequum est ob res gestas non indignari quas autem assequimur conjectura magis timere. Quibus vero exemplis metum hunc concipiamus? Non videmus proximos nobis Graecos Phocenses esse liberos, propinquos Boeotos nec tributo nec magistratu ullo Laconico premi, remotiores etiam Corinthios sui juris esse suisque frui, Achivos praeterea qui nos nec multitudine nec oppidis superant, nec non Eleos, Tegeatas, et Arcadas reliquos eodem se habere modo? sic, ut nullus ibi regnarit adhuc Laco, sicut nec hic Macedo. Jam respublicas ubique constitutas et leges positas novimus, ac rerum communium usum esse communem.

6. Sed eos forte quis paucorum imperium ubique dicet instituere. Tale profecto, quale nos cum diu optassemus ac desiderassemus, brevi sumus constituto spoliati: si quidem comparanda sunt illa paucorum cum istis imperia. Ubi enim tam parvam urbem reperias, in qua non tertia pars praesit rebus? cui autem neque armorum gerendorum neque reliquae reipublicae administrandae facultas est, is non tam per Lacedaemonios quam per fortunam privatus est imperio. Privatus quidem est, donec documentum ediderit. Omnia vero ista penes vos sunt. Nam reipublicae quidem formam vix aliam, arbitror, possimus exoptare; exemplis autem propositis ea non debemus timere, quae non contingere sit quam contingere gravius. Lacedaemonii porro non facile nos invaserint: sunt enim longe a nobis remoti, nec nimis ad eam rem instructi. Nam propinquitas, qua nos valemus plurimum, non parvum apud illos discrimen facit. Quare primum non temere nos aggredientur: sin facient, non latebunt; si praesciemus, non negligemus. Quo fit, ut nulla ratione nos commode queant invadere.

7. Quod si quis hoc etiam dixerit, liberos habere Archelaum ac propter eos non esse societatem ineundam, admirari primum cum libeat, qui decem filiorum mentionem faciat, omnium atque civitatis ipsius obliviscatur; et cum filiorum utilitatem negligat, paucorum rationem habeat. Jam si necessario filiis aliquid esset exspectandum, nullam haec verba admirationem moverent: nunc illo devicto, liberos quoque in nostra potestate fore, manifestum est * * *

8. Ac mea quidem oratio jubet injuriarum auctorem ulcisci, mortuos juvare, necessariis gratificari, fortunam accipere, Graecis amicos, barbaris hostes esse, juvantibus confidere, alios metuere, lae-

dentes pro hostibus juvantes pro amicis habere, denique res cognitas suspicionibus certiores ducere. Atque hæc quidem mea vult oratio: qui autem ea erunt audacia contrariam ut instituant, eorum oratio contraria necesse est jubeat; damnum ultro accipere, lædentes juvare, prodesse volentes fugere, amicis diffidere, fidere hostibus, longinqua metuere, propinqua contemnere, non cum Græcis, sed cum barbaris, iisque inimicissimis, inire societatem, inultos mortuos, inhonestos necessarios, relinquere, rempublicam, leges, juraque abolere. Atque hæc oportet adversariorum velle orationem: quandoquidem hæc iis quæ ego dico sunt contraria. Quamobrem, si illis parebitis, hæc vobis non deerunt: sin societatem arripiemus, et pœnas rerum perpessarum expetemus nec in posterum similia perferemus.

ANTISTHENIS

AJAX.

1. Vellem equidem nobis eosdem dari judices, qui rebus gestis etiam interfuerunt; tum enim profecto nec me quicquam esset opus loqui, nec huic verba prodessent: nunc autem qui rebus interfuerunt non adsunt, vos autem, qui notitiam nullam habetis, judices estis. Quale vero sit judicum ignarorum judicium, presertim verbis peragendum, quum res facto constiterit? Atque ego quidem Achillis cadaver sustuli, hic autem arma, cum Trojanos non tam armorum quam corporis potiundi desiderio teneri sciret. Hoc enim si cepissent, et contumeliis ipsum affecissent et Hectoris pretium recuperassent: arma vero non diis obtulissent, potius quam hujus viri probi metu abscondissent, qui etiam nuper deæ statuam nocte per sacrilegium furatus Græcis quasi præclarum quiddam effecisset ostentabat. Et ego quidem, ut amicis arma reddam, ea postulo; hic autem ut vendat, quandoquidem uti non auderet: quis enim ignavior insignibus utatur armis, quum per ea suam prodi sciat ignaviam.

2. Atque omnia fere sunt similia. Nam et qui certamen instituerunt reges non inviti virtutis judicium aliis concesserunt, et vos omnium ignari, de iis vos quæ non intelligitis judicaturos recipitis. Ego vero hoc scio, regem nullum, qui de virtute judicare possit, id aliis commissurum, non magis quam peritus medicus ad alium morborum judicium deferret.

3. Quod si mihi cum simili viro res esset, ne vinci quidem puderet: nunc inter me et hunc discrimen est maximum. Etenim hic nihil aperte faciet, ego nihil occulte. Ego male audire nolim, ut nec male affici; hic vel suspendi se patiatur, modo sit lucri spes aliqua: qui tergum flagris servorum, dorsum fustibus, pugnis faciem exposuit, atque ita pannis involutus, nocte in hostium urbem ad committendum sacrilegium irrepsit. Neque hæc se negabit fecisse, verum etiam recte facta, credo, persuadebit. Ergo sacrilegus hic et mastigia sibi Achillis arma postulabit?

4. Equidem vos jubeo judices imperitos, non verba potius quam facta spectare, postquam de virtute judicatis. Nam et bellum factis non verbis geritur; neque cum hostibus disputare licet, sed

vel pugnando vincendum est vel silentio serviendum. Hæc vos animadvertite et considerate: si enim non recte judicaveritis, nihil ad facta valere verba, nec dicendo quenquam vobis prodesse posse, manifestum fiet; simul et hoc intelligetis, per factorum inopiam multos haberi longosque sermones. Quocirca vel non intelligere vos quæ dicantur fatemini, et surgite, vel recte judicate. Idque non occulte, sed palam, ut ipsos quoque judices manere pœnam, si secus judicarint, sciatis. Hoc deinde cognoscetis, non judices vos dictorum, sed arbitros sedere. Ut enim judicare vobis de me rebusque meis permitto, ita arbitrari nemini, præsertim inter eum qui non ultro sed invitus ad Trojam venit, et me qui semper primus ac solus et absque mœnibus in acie consisto.

ANTISTHENIS

ULYSSES.

1. Non mihi tecum solum, propter quem surrexi, sed cum aliis etiam omnibus res est: nam plus ego commodi quam vos omnes exercitui attuli. Atque hoc et vivente dixissem Achille, et mortuo nunc ad vos dico. Vos enim nullum obiistis prælium, cujus ego particeps non fuerim: at in meis privatis periculis nemo vestrum partem habet. Jam in communibus pugnis ne victoria quidem permultum proderat: in meis vero discriminibus, quæ solus subibam, sive feliciter me gererem, omnia vobis quorum causa huc venimus, contingebat, sive secus, uno me fuissetis orbati. Neque enim ad manus cum Trojanis conserendas huc appulimus, verum ad Helenam recuperandam et capiendam Trojam. Hæc porro meis in discriminibus erant omnia posita. Posteaquam enim non potuit per oraculum Troja capi, priusquam deæ statuam nacti essemus, quis eam huc præter me deduxit? quem tu quidem sacrilegii insimulas. Imperitus est profecto, qui eum a quo est restituta statua, non Alexandrum qui nobis eam surripuit, sacrilegum voces. Cumque omnes Trojæ excidium optaveritis, me, qui ejus efficiendi rationem invenerim, appelles sacrilegum? Atqui si pulcrum erat Trojam capere, ejus quoque rei viam invenire pulcrum erat. Cumque alii gratias agant, tu a probris abstinere non potes: nam per imperitiam beneficia non agnoscis. Quanquam non imperitiæ te insimulo; quoniam illa tum tibi tum aliis omnibus contingit invitis: sed quod meis probris servari te non confiteris, verum insuper minaris, quasi hos, si mihi arma adjudicarint, male sis accepturus. Ac sæpe multumque minaberis, antequam ad rem venias: quinetiam si quid est

indulgendum conjecturæ, existimo te in tuipsum præ rabie aliquid male consulturum.

2. Jam cum ignaviam mihi, postquam hostem læsi, tribuis; te putas, quoniam palam luctabaris et cum reliquis frustra te fatigabas, fortiorem esse. Deinde mecum de virtute disputas, qui primum ne hoc quidem quando pugnandum sit scias, verum instar efferatæ suis ira raptus etiam tuipsum aliquando per cladem aliquam occideris. An ignoras virum fortem nec a se nec ab alio nec ab inimicis lædi debere? Tu vero quasi puer, quoniam hi fortem te dicunt, gaudes: at ego te ignaviissimum et mortis metuentem maxime dixero, qui primum arma habeas quæ nec frangi nec vulnerari possint, quorum te ope tradunt invulneratum semper esse. Quid autem feceris, si quis hostium cum similibus armis te aggrediatur? An hoc insigne et mirandum foret, si neutrum vestrum quicquam posset efficere? Et aliquid interesse putas, arma hæc habeas, an intra mœnia consistas? Nam solum te mœnibus carere prædicas; atqui solus cum septemplici muro obambulas: at inermis ego hostium mœnia non aggredior sed ingredior, et hostiles custodes vigilantes una cum armis capio, ac dux et custos tui sum relioquorumque omnium, nec minus hostium res quam nostras compertas habeo, non per speculatores, sed per meipsum; quemadmodum autem gubernatores vectorum saluti noctes diesque dant operam, similiter ego te atque alios omnes conservo. Neque discrimen ullum propter turpitudinem fugio, dum hostibus nocere possim; nec si me quidam conspecturi sint, gloriæ causa quicquam aggrediar: verum etiamsi servi ac mastigia natura hostes possem lædere, id vel nemine vidente conarer. Nam non videri prælium, sed fuere quid noctes diesque gestit. Neque certa mihi sunt arma, quibus hostes ad pugnam provoco, verum quocunque quis velit modo, sive cum uno sive cum pluribus semper paratus sum depugnare. Neque etiam cum prælium me fatigat, aliis arma, quemadmodum tu, trado; verum quando quiescunt hostes, tum in eos nocte cum talibus armis impetum facio, quæ et illos lædant plurimum. Nec mihi unquam potuit nox demere, sicut non raro tibi quietem inter pugnandum optatam attulit: sed cum tu startis, tum ego te tueor, et aliquam semper hostibus cladem concilio, cum servilibus his armis pannisque et flagris, quorum tu auxilio secure dormis.

3. An vero, quoniam cadaver sustulisti, fortem te ducis? quod si non tu solus, duo certe viri deferre potuissent. Tum autem illi quoque de virtute nobiscum contendissent, an mihi quidem fuisset idem ad illos dicendum: tu vero quid in contentione protulisses? An duobus ignaviorem te fateri possis, uno non audis? An ignoras Trojanos non cadaver sed arma capere studuisse; nam ut illud reddituri, ita hæc diis erant in templo dedicaturi. Etenim cadavera

non tam est turpe non sepelire, quam sepelienda non reddere. Quare tu quod erat facile sustulisti, ego quæ probris erant obnoxia intercepi.

4. Laboras autem invidia simul et imperitia, quæ sunt maxime contraria mala: cumque illa te ad res præclaras excitet, hæc deterret. Quapropter humanum tibi quiddam accidit: cum te robustum et fortem existimas, sed non eandem habere vim in bello sapientiam atque fortitudinem non animadvertis; imperitia vero malum est maximum. Ac, si quis unquam poeta sapiens exstiterit, is me, ni fallor, patientem, prudentem, industrium, urbium expugnatorem, ac solum Trojam cepisse dixerit, te vero cum segnibus asinis et optimis vectis, quos ligare sit necesse, comparaverit.

ALCIDAMANTIS ULYSSES

CONTRA PALAMEDEM PRODITIONIS.

1. Sæpenumero consilium eorum sum demiratus, Græci, qui temere vobis e suggestu suadent ea, quæ nec utilitatem publicam efficiunt ullam, et contumelias fere gignunt utrimque plurimas; et cum ineptos de re qualibet sermones habent, tum suam quisque sententiam lucri causa proferunt, atque iis adeo, a quibus plurimum se sperant accepturos, patrocinantur nonnulli. Jam si quis in exercitu quid peccet vel commune sibi studens lædat, id curat nemo: sin aliquis nostrum vel hostem captivum habet vel præmium accepit majus, eorum studio magnas inter nos contentiones excitamus. Ego vero probum et justum virum censeo nec privatas respicere inimicitias, nec unius amici studio pluris opes quam populare commodum facturum. Sed ego priscis laboribus atque sermonibus relictis, Palamedem hunc vestro judicio conabor juste proponere. Est autem crimen, ut sciatis, proditionis: quod quidem decies gravior quam alia manet mulcta. Præterea quod nostis omnes, nulla mihi cum hoc unquam nec inimicitia nec lis de ulla re incidit, nec in palæstra nec in convivio, quamvis ibi plurimæ contentiones et contumeliæ soleant exsistere. Ipse vero, quem accusabo, prudens est et versutus: sic ut merito vobis attendendum sit nec quæ dicuntur negligenda.

2. Etenim nec ipsi ignoratis quo fuerimus in discrimine, cum alii nostrum ad naves confugerant, alii in fossas decidebant, et castra hostes invaserant, ac magnopere futurus eventus esset incertus. Cum autem nos ad portas eodem in loco, Diomedes et ego, consisteremus in acie, nec procul Palamedes et Polypœtes distarent, sagittarius quidam ex hostibus excurrens, dum hunc petit, ad me aberrat; tum hic hastam in illum emittit, qua ille sublata redit in castra. At ego sagittam tollens Eurybati do ad Teucrum perferendam, ut utatur. Postquam vero pugna nonnihil interquievit, ostendit mihi literas sub alis teli latentes. Hic ego stupefactus, advocatis Diomedi atque Sthenelo, quid contineatur, ostendo. Erant autem hæc perscripta: Alexander Palamedi S. De quibus cum Telepho egisti, concedentur omnia, et pater tibi

Cassandram, ut scripseras, despondet; tu tua celeriter perage. Atque hæc quidem erant scriptæ: cujus vos rei, qui telum accepistis, testes advoco.

TESTES.

3. Quinetiam telum vobis ipsum ostendissem, nisi id in tumultu per incuriam Teucer amisisset. Sed reliqua mihi quoque exponenda sunt, ne inique videamur capitale crimen turpissimum commilitoni imponere, præsertim qui vobis hactenus carus fuerit. Nam priusquam huc appelleremus, diu una fuimus, cum illum nemo signum in clypeo viderat gerentem: postquam vero fuimus huc delati, tridentem inscripsit. Cur? nisi ut hæc eum inscriptio manifestum redderet, sive hunc hostis peteret, sive hic in illum jacularetur. Quid quod hinc etiam jure de hasta emissa conjecturam facio. Nam in illa quoque perscriptum dixerim, quando nos esset proditurus: sic enim hic illis et illi huic vicissim, quæ volebant, hoc modo sine nunciis indicabant. Nunc etiam hoc perpendite. Decreto cautum inter nos erat, ut, si quis telum ab hostibus accepisset, ad principes deferret, quandoquidem nos illis non sæpe utimur: atque alii quidem huic parent mandato, verum hic, postquam tela quinque excepit, nec ullum ad vos detulit, sagittarium se prodidit; quare vel hac de causa merito mihi capite plectendus videatur. Non hæc ex callida mente versutoque ejus consilio, Græci, prodire, quæ ipsum deceant minime, cogitatis? Quin imo hunc rerum nostrarum totiusque exercitus statum huic atque hujus parenti acceptum docebo referendum, nisi quod pluribus verbis est opus.

4. Pater huic pauper est, Nauplius nomine, arte piscator. Is Græcorum plurimos de medio sustulit, opes multas e navibus abstulit, plurimis injuriis nautas affecit, omnique est versutia plenus: id quod in progressu sermonis, veritate rerum gestarum cognita, intelligetis. Aleo Tegeæ regi, cum Delphos venisset, prædixit deus, quicunque ex ejus filia nasceretur nepos, ab eo liberos ipsius interemptum iri. Hoc audito confestim domum reversus, Aleus Minervæ sacerdotem facit filiam, et mortem, si unquam cum viro rem habeat, interminatur. Cum autem Hercules Elim ad Augeam in prœlium forte contenderet, ab Aleo in æde Minervæ hospitio accipitur: et puella conspecta, per ebrietatem cum ea miscetur. Atque ut eam Aleus gravidam rescivit, hujus patrem arcessit, quem portitorem et callidum esse cognoverat; eique filiam submergendam tradit. Hic dum eam abducit, illa Telephum in monte Parthenio parit: et ab ipso deinde, neglectis Alei mandatis, una cum infante Teuthranti Mysiæ regi venditur. Is cum utrumque perspexisset, Augen sibi uxorem jungit, et filium Telephum appellatum adoptat,

atque apud Priamum ad tempus instituendum collocat. Post accidit, ut Alexander in Græciam proficisci vellet, tum Delphici templi spectandi causa, tum quia Helenæ pulcritudinem, ac Telephi ortum et venditionem, inaudierat. Quare cum Alexander hac de causa solveret in Græciam, interea Moli liberi ad Menelaum e Creta veniunt, et ut ipsorum dividat hereditatem, qui patre mortuo de bonis inter se concertarent, ab eo petunt. Quid ergo fit? Navigandum ille censet, et uxori fratribusque hospitum cura, donec ex Creta redeat, data, discedit: at Alexander uxore decepta, surreptisque quæcunque poterat aufferre, nec hospitalem Jovem nec deorum quenquam reveritus, aufugit, cum ea per iniquitatem et barbariem gessisset, quæ nunquam sunt posteri crediturі. Jam cum in Asiam ille cum opibus et muliere rediret, num quem alicubi apprehendisti? num voce signum cuiquam dedisti? num auxilium collegisti? Nihil potes horum dicere, verum a barbaris Græcos contumeliisaffici passus es. Postquàm vero raptum Græci cognoverant ac rescierat Menelaus, copias conscribebat et nostrum singulos ad singulas civitates militum causa dimittebat. Hunc autem in Chium ad Œnopionem et in Cyprum ad Cinyram legabat. Ipse vero tum Cinyræ ne militaret nobiscum persuasit, tum donis ab eo acceptis Agamemnoni thoracem æneum, qui nullius erat pretii, dedit, sibi servavit reliqua. Cumque centum naves missurum Cinyram nunciavit, ex iis nullam videtis adesse. Quare vel hac de causa merito mihi capite plectendus videatur: decet enim puniri eum, quem turpissima quæque in amicos commentum constet.

5. Quinetiam ea, quæ per fraudem ac dolum confingere conatus est, operæ pretium sit cognoscere: ait enim se militares acies, literas, numeros, mensuras, pondera, calculos, cubos, musicam, monetam, facesque reperisse; nec eum, dum e vestigio mendacii coram vobis prolati convincitur, pudet. Etenim Nestor, qui nos omnes in ætate superat, in Pirithoi nuptiis ipse quoque phalange et acie instructa cum Lapithis contra Centauros depugnavit: ac Menestheus dicitur primus aciem composuisse, turmasque et phalanges instituisse, quando Neptuni filius Eumolpus Athenienses cum Thracibus adoriebatur, quocirca non Palamedis hoc, sed aliorum est inventum. At literas primas Orpheus ex Musarum dono protulit, quemadmodum etiam in illius sepulcro posita testantur carmina,

> **Musarum hic famulum posuerunt Orphea Thraces,**
> **Ignea quem poterant perdere tela Jovis,**
> **Œagri caram prolem, Alcidæque magistrum,**
> **Litera cui quondam multa reperta fuit.**

Musicam vero Tennus Calliopes filius, quem occidit Hercules, in-

venit: ut numeros Musæus Atheniensis Eumolpi filius, quod etiam declarant ejus poemata,

> Rectum, sextuplex, mensurarumque quater sex,
> Centenos ut bis quinta ætas viveret annos.

At monetam non repererant Phœnices, cum essent inter barbaros ingeniosissimi? Nam de solido partes fecerunt æquales, ac primi notam pro ratione ponderis incusserunt. Quorum hic inventa sibi tribuit. Eorundem etiam rhythmus. Quo fit ut ea, quorum hic originem sibi asserit, ipso antiquiora deprehendantur omnia. Mensuras enim atque pondera, forensibus hominibus et institoribus ad fraudes et perjuria reperit; nec non otiosis calculos ac contentionem et contumeliam. Cubos quoque malum maximum monstravit, qui victos dolore et mulcta, victores risu afficiunt et probro: neque enim prosunt cuborum lucra, et pleraque confestim absumuntur. Faces denique excogitavit, sed quibus ad nostrum damnum hostiumque commodum uteretur. Enimvero hoc ab uno quoque postulatur, ut imperatores attendat, exsequatur jussa, placeat omnibus, ubique probum se præbeat, et amicis bene et hostibus male faciendo. Contra quæ hic omnia facit, et tum hostes juvat, tum amicis nocet.

6. Ac vos ego de hoc homine communiter deliberare cupio, neque eum in vestram redactum potestatem dimittere. Sin ei propter dicendi vehementiam tribuetis misericordiam, maxima in exercitu orietur iniquitas: etenim cum intellexerint ne Palamedem quidem, qui tantum flagitium aperte commiserat, pœnas dedisse ullas, ipsi quoque peccare volent. Quare, si sapietis, quæ sint vobis ipsis optima statuetis, et in hujus supplicio reliquis exemplum proponetis.

GORGIÆ

HELENÆ ENCOMIUM.

1. Urbem decent viri fortes, corpus pulcritudo, animum sapientia, factum virtus, et sermonem veritas: horum autem contraria dedecent. Jam virum, feminam, sermonem, opus, urbem, atque factum decet, si laudem merentur, celebrare, si non merentur, reprehendere: est enim ejusdem delicti atque inscitiæ tum laudanda vituperare tum laudare vituperanda. Nec non ejusdem est et quod æquum sit dicere et eos refellere qui Helenam reprehendunt, cujus cladis memoriam et poetarum fides et nominis fama uno conservavit ore. Verum ego firmis rationibus tum eam, quæ hactenus male audiit, culpa volo liberare, tum accusatores mendacii convincere, atque aperta veritate inscitiam illorum tollere.

2. Ac primum generis ratione primas eam, de qua loquimur, inter viros ac mulieres tulisse, ne paucis quidem est ignotum. Quis enim nescit ei matrem fuisse Ledam, patrem autem alterum deum, alterum hominem, Tyndarum ac Jovem, quorum alter visus, alter ex dictione deprehensus fuit, eratque ille virorum optimus, hic omnium dominus. Ex quibus prognata cum esset, divinam habuit pulcritudinem, quam non obscure tulit. Quare multam in multis effecit libidinem, atque uno corpore multa virorum corpora conduxit, qui magnas ob res magnifice sibi placerent, atque alii divitiarum copia, alii antiqua nobilitate, nonnulli propria fortitudine, quidam conquisita pollerent prudentia, qui omnes tum per amorem contentiosum tum invictum studium convenerunt. Et quis quidem ac quare quoque pacto amorem expleverit qui Helenam accepit, non dicam: etenim qui quæ nota sunt narrant, ut fidem meretur, ita delectationem non affert. Cæterum illo tempore nunc rejecto ad initium sermonis alterius progrediar, et causas eas, propter quas in Trojam Helena videri possit navigasse, exponam.

3. Etenim vel fortunæ imperio ac deorum jussu et necessitatis nutu fecit ea quæ fecit, vel vi rapta, vel persuasa verbis, vel amore capta. Quodsi ergo primam recipimus, non debet is qui causam dedit culpari: non enim potest humana providentia divinum impedire consilium. Nec enim tam solet ab infirmiore potior impediri, quam ab hoc ille regi atque duci, præcedente potiore, sequente infirmiore. Deus autem homini et vi præstat et prudentia et rebus

aliis. Quocirca vel deo atque fortunæ tribuenda est causa, vel infamia Helena liberanda. Sin est violenter rapta et contra leges violata et injuste contumelia affecta, raptorem aut stupratorem peccasse fit manifestum, quæ rapta vero aut stuprata est, infortunium subiisse. Quod si sic est, is quidem, qui barbarus barbarum suscepit facinus tum lege tum verbo tum facto, et per legem infâmia, et per verba culpa, et per facta mulcta puniri debet: quæ autem violata fuit et patria atque amicis orbata, non potius misericordiam consequi quam convitia meretur? Nam ille gravia perpetravit, hæc tulit: quapropter hanc miserari, illum decet odisse.

4. Verum si sermo persuasit ac mentem decepit, ne hoc difficulter his verbis excusari potest. Magnus est imperator sermo, qui minimo et obscurissimo corpore divinissimas res perficit; nam et metum finire et dolorem aufferre potest, nec non efficere gaudium et augere misericordiam: hæc autem ita se habere nunc ostendam. Oportet vero audientium præjudiciis succurrere. Equidem poesim omnem et existimo et voco mensura constantem sermonem, cujus auditores horrore sollicito et lacrymosa misericordia et desiderio replentur ad luctum proclivi, sic ut ex aliena felicitate vel infelicitate proprie per sermonem afficiatur animus: sed age ad alium sermonem nos convertamus. Etenim divinæ sermonum epodi tum delectationem afferunt tum dolorem auferunt: vis enim carminis cum animi opinione conjuncta fascino eum demulcet quoque vult transfert. Sunt autem magiæ et fascinandi artes duæ, quæ in animi delictis et opinionis captationibus consistunt. Quot porro quam multis quantas res confictis verbis et persuaserunt et persuadent! Etenim si omnes omnia tum præterita meminissent tum intelligerent præsentia tum futura prævíderent, non tam dissimiliter similis ratio nec præterita meminisset nec intelligeret præsentia nec futura prævideret: quocirca plerique opinionem in rebus plerisque in consilium adhibent. Ea vero cum lubrica sit et incerta, lubricis et incertis infortuniis nos implicat. ††† Quid igitur vetat quo minus Helenam quoque dicamus, cum esset ætate juvenili et simplici, quasi vi abreptam fuisse. Animum enim persuasio diversum rapit. Jam necessitas ut probro vacat, ita vim habet eandem. Qui enim animo sermo persuaserat, eam, cui persuaserat, et verbis credere et factis coegit assentiri. Quo fit, ut qui persuasit, quasi coegisset, peccaverit; quæ persuasione quasi coacta fuit, immerito male audiat. Jam persuasionem cum sermone conjunctam animum quoque in omnem mutasse formam, ex eorum oratione primum, qui de rebus sublimibus disputant, licet cognoscere, qui opinione alia sublata alia effecta res incertas et incredibiles opinionis oculis approbant; tum ex necessariis concertationibus, cum oratio una, quam conscripsit ars, non dictavit veritas, ingentem turbam delectat eisque quidvis

persuadet; denique e philosophicis disputationibus, in quibus opinionis mutabilitas omnibus patet. Atque eandem habet in animo vim sermo, quam in corpore venenum. Quemadmodum enim venena alia alios humores corpori demunt, et nunc morbum nunc vitam auferunt, ita sermones alii dolorem, alii delectationem, nonnulli metum, quidam confidentiam afferunt, aliqui etiam persuasione non recta animum inficiunt atque fascinant.

5. Atque illam quidem, si verbis est persuasa, non improbam sed infelicem fuisse declaratum est: nunc autem quartam causam quarta ratione persequar. Etenim si amor hæc effecit, non difficulter culpam, quæ commissa dicitur, effugiet. Quæ enim videmus, non eam quam nos volumus naturam habent, sed quam singulis casus obtulit. Adspectus autem varie animum afficit. ††† Nam vel hostilia corpora atque armaturam hostilem si adspectus percepit, perturbatur et perturbat animum; unde fit, ut sæpe, etsi eventus periculo sit cauturus, nonnulli perculsi fugiant: fortis enim legis veritas metu expellitur quem adspectus affert, cujus adventus et honesti quod lex proponit et utilis quod per jus consequimur adducit contemptum. Quid quod non raro quidam visis rebus tremendis præsentem statim animum perdiderunt: adeo mentem abegerat metus atque exstinxerat. Multi quoque in vanos dolores ac graves morbos et insanabiles furores inciderunt: usque eo rerum conspectarum imagines animo adspectus impresserat. Atque ea quidem quæ terrorem incutiunt ut omittuntur multa, ita similiter ac superiora se habent. Cum autem e multis coloribus atque corporibus unum corpus atque unam figuram perfectam pictores effecerint, oculos delectant. Verum simulacrorum et statuarum conspectio, prout illa jucunde conspicimus, ita aliud fugere, aliud adspectum desiderare facit. Ac multarum rerum et corporum amore atque desiderio multi tenentur. Quodsi ergo Alexandri corpore delectatus Helenæ oculus amoris fervorem animo concessit, quam ea res admirationem habet? Quapropter sive deus divina potestate utitur, quomodo hunc inferior possit repellere? Sive humanus est morbus et animi ignorantia, non pro peccato culpandum hoc, verum pro infortunio est habendum; venit enim uti venit animi captationibus, non mentis consiliis, et amoris necessitate, non artis apparatu.

6. Quis igitur Helenæ reprehensionem justam existimet, quæ, sive amore capta sive verbis persuasa sive vi rapta sive divina necessitate fecerit quæ fecit, culpam prorsus evadat?

7. Sustuli verbis mulieris infamiam, quam initio sermonis legem constitueram servavi, reprehensionis injustitiam et opinionis imperitiam evertere sum conatus, orationem volui conscribere, quæ ut Helenæ laudi, ita mihi esset ludicro.

GORGIÆ

PRO PALAMEDE APOLOGIA.

1. Nec accusasio, nec defensio, Judices, causa capitis instituitur; quandoquidem ejus unumquemque mortalium natura, qua die natus est, manifesto damnavit suffragio: verum honor agitur et infamia, rectene mihi an turpissime sit et maximo cum flagitio violenter moriendum. Quæ cum duo sint, alterum in vestra est, alterum in mea potestate: vos enim vi potestis uti, ego quod rectum sit tueri. Etenim non difficulter me poteritis, si voletis, occidere: postquam eo valetis, quod mihi deest, imperio. Ac si quidem Ulysses accusator, vel meam proditionem compertam habens vel ita se rem habere existimans, Græciæ studio accusationem instituerat, optimus mehercle vir esset — quippe qui patriam, parentes totamque servaret Græciam atque insuper sontem puniret —: sin per invidiam et malignitatem crimen hoc confinxit, ut illo modo optimus, ita hoc pessimus deprehenditur. Sed ego unde incipiam? quid primum dicam? ad quam defensionis partem me vertam? Etenim crimen immane terrorem gravem parit; is porro dicendi affert inopiam, nisi quid veritas et necessitas suppeditent, periculosiores quam abundantiores magistræ. Ac primum quidem accusatorem nihil habere compertum certo scio: nihil enim tale fecisse me compertum habeo; neque quod factum non est scire quisquam possit. Sin opinione ductus accusavit, duabus eum rationibus non recte putare docebo. Nam neque si voluissem, potuissem, neque si potuissem, ea facere voluissem.

2. Primum autem non posse me ostendam. Oportebat enim aliquod præcedere proditionis initium, idque fuisset colloquium: siquidem factis verba necesse est antecedere. Quomodo autem verba sine conventu fierent? quomodo porro conventus haberetur, cum nec ille ad me nec ego ad illum quenquam misissem? neque etiam per literas quicquam absque tabellario nuntiatum est. Sed ut hoc fieri posse demus; atque una colloquamur. Quomodo? quis cum quo? Græcus cum barbaro. Quo pacto audiam aut loquar? an solus cum solo? neuter alterum intelligit. An per interpretem? Tertius ergo rerum fit occultandarum testis. At ut hoc quoque demus, quamvis est falsum. Fides postea danda fuit et accipienda. Quænam ea fuisset? Jusjurandum? quis erat mihi proditori credi-

turus? An obsides? Ut si ego fratrem dedissem — quoniam alium non habebam —, barbarus aliquem ex liberis: hæc enim inter nos fidem peperissent maximam. Verum ea vobis fuissent omnibus aperta. Sed aliquis pecunias intercessisse dicet, quas ille dederit, ego acceperim. Utrum paucas? Non erat æquum paucas pro magno accipere ministerio. An multas? Quomodo sunt igitur perlatæ? Per unum, an per plures? Si multi pertulerunt, multi fuerunt insidiarum testes; si unus, non multum fuit allatum. Jam quando pertulerunt? Interdiu an noctu? [Noctu?] Multas et frequentes excubias nemo possit latere. Interdiu? Lucem hæ res exosæ sunt. Deinde egressus ego accepi, an ille ad me est ingressus? Nam utrumque est absurdum. Acceptus vero qua ratione et familiares et alios celavissem? ubi deposuissem? quomodo servassem? Sive uterer, manifestus fiebam? sive non uterer, quid proderat? Verum sint ea, quæ nunquam accidere, facta. Convenimus, locuti sumus, audivimus, pecuniam accepimus, acceptam celavi. Jam id, quorum hæc fiebant causa, peragendum erat. At id etiam est, quam superiora, incertius. Quod enim agebam, solus an cum *aliis* agebam? Non est unius opus. Cum aliis? Quibus hórum? Servis an liberis? Ac vestrum quidem qui estis liberi dicat quisquam, si quid novit. Servi autem fidem non merentur: siquidem et ultro propter libertatem et malo coacti accusant. Jam res ut accidit? Nempe hostes vobis potentiores erant introducendi: quod est factu difficile. Quomodo igitur introduxissem? Per portas? Eas mihi neque claudere neque aperire permissum est, verum a ducibus curantur. An ultra muros per scalas? Omnia sunt excubiis plena. An denique muri parte dejecta? Id omnibus fuisset conspicuum, quandoquidem sub dio in castris degitur, atque omnium visui patent omnia. Quo fit, ut omnino nihil efficere potuerim.

3. Nunc etiam illud simul considerate, cur hæc agere velle debuerim. Nemo gratis maximum subit discrimen, nec turpissimum commíttit scelus. Utrum igitur vobis an barbaris ut imperarem? Vobis non poteram, qui tot ac tales estis, quibusque omnia suppetunt maxima, majorum virtutes, opum copia, fortitudo, magnanimitas, urbium dominia. An [barbaris]? Quis traderet imperium? Quibus ego viribus acciperem barbaros Græcus, multos unus? Persuasione an vi? Nam nec illi possent persuaderi, nec ego cogere! Sed ultro fortassis hanc proditionis mercedem rependerent? At hoc et credere foret et suscipere non levis insania: quis enim libertate servitutem, optima re pessimam commutavit? Sed aliquis me pecuniæ cupiditate hæc aggressum dicet. Ego vero nec mediocribus opibus careo, nec splendidas requiro. Has enim quærunt ii qui sumptus magnos faciunt, non qui corporis libidini imperant, sed qui serviunt et opum atque magnificientiæ auxilio honores ambiunt.

At horum nihil in me cerni, testem dabo idoneum vitam anteactam; cui vos testi testes potestis esse: nam quia mecum versamini, non potestis hæc ignorare. Quid quod nec honoris causa quisquam, qui vel parum sapiat, his rebus daret operam. Honor enim virtutem non vitium sequitur: Græciæ vero proditor quem possit honorem consequi? Præterea non eram honoris expers: quandoquidem ab honoratis viris ob res honoratas honorabar, a vobis propter sapientiam. Huc accedit, quod nequaquam tutum est has res agere. Cunctis enim invisus est proditor, legi, juri, diis, hominibus. Etenim legem violat, jus dissolvit, homines perdit, deos afficit contumelia: talium vero plena periculis est vita, nec securitatem ullam habent. At amicos volebam juvare, vel nocere hostibus? nam et horum aliquis causa secus agat. Ego vero contra nocebam amicis, juvabam hostes. Ac beneficii quidem nulla manebat me remuneratio: supplicii autem studio calliditati nemo navat operam. Reliquum est, si ad metum, laborem aut periculum aliquod fugiendum hæc institui. At hæc nemo mihi possit tribuere. Etenim propter hæc duo cuncti cuncta faciunt, vel ut lucrum assequantur vel damnum ut evitent. Quæ autem præter hæc astute fiunt *** [jam] his rebus gerendis mihi me malum daturum esse, non me fallebat: prodebam enim Græciam, prodebam meipsum, parentes, amicos, majorum dignitatem, avita sacra, sepulcra, patriam, urbem Græciæ maximam: quæque omnes maximi faciunt, ea inimicis tradidissem. Nunc etiam animadvertite, quam acerba mihi post has res fuerit futura vita. Quo me contulissem? In Græciam, ut pœnas læsis solverem? quis vero a me illorum abstinuisset manum? An apud barbaros manerem, maximis quibusque rebus neglectis, honore summo spoliatus, infamia turpissima constrictus, susceptis olim cum virtute laboribus rejectis, idque per meipsum, quæ quidem est maxima miseria? Quid quod ne apud barbaros quidem fides mihi fuisset, quippe qui rem infidelissimam a me perpetratam scirent, cum amicos hostibus prodidissem. At sine fide vitalis haud est vita. Etenim qui vel bonis exutus vel regno patriave sit ejectus, alicubi possit excipi: verum qui fidem amisit, omni spe eversus est. Ex his igitur efficitur, ne voluisse me quidem, etiamsi potuissem, Græciam prodere.

4. Deinceps autem cum accusatore mihi agendum est. Qua tu re fretus talis talem accusas? indignus indignum? est enim hoc dignum cognitu. Utrum enim quod mihi crimen imponis, id certo compertum habes, an conjectura complecteris? Etenim si compertum habes, vel vidisti vel fuisti particeps vel audivisti. Si vidisti, locum, tempus his indica, quando, ubi, quomodo vidisti: si particeps fuisti, in eodem teneris flagitio: si de participe audivisti, is ipse prodeat, appareat, testimonium dicat. Nam ita plus habebit accu-

satio fidei; etenim nunc quidem neuter nostrum testem ullum citat. Sed fortasse dices rerum (ut vis tu) gestarum testes non esse tibi adducendos, mihi non gestarum esse. Id vero æquale non est. Quæ enim non contigerunt, quis ea testari possit non accidisse? at res gestas etiam facile est testimonio comprobare, nedum hoc fieri nequeat: quare tu non testes modo, verum etiam falsos testes reperire possis, ego neutros possim. Doceo igitur, non habere te quæ objicis comperta: relliquum est ut utaris conjectura, postquam veritatem rei ignoras. Ergo tu, omnium hominum audacissime, sola fretus opinione, re incertissima, nec veritatem cognoscens, eam capitis audes accusare quem nihil scias tale unquam perpetrasse. At omnibus est commune de re qualibet opinari, nec in eo tu reliquis es peritior. Cæterum nec opinantibus verum scientibus est credendum, nec opinio veritate potior habenda, verum contra opinione veritas.

5. Jam in accusatione tua duo mihi, quæ sunt maxime contraria, tribuis, sapientiam videlicet et insaniam: quæ non possunt *eundem* in hominem cadere. Cum enim callidum et industrium me vocas, sapientiam tribuis: cum Græciam prodidisse dicis, insaniam. Siquidem insania sit eas res aggredi, quæ sint factu difficillimæ, inutiles, turpes, et quibus quis tum amicis noceat, tum hostibus prosit, tum vitam suam probris et periculis exponat. Quis vero tali credat oratori, qui in eodem sermone de iisdem hominibus apud eosdem, quæ sunt contraria plurimum, dicat? Atque hoc interrogare te velim, prudentes an stultos ducas eos qui sapientes habentur. Si enim stultos, vana et falsa est oratio: si prudentes, non decet eos gravissime peccare nec mala bonis præferre. Quapropter sive sapiens sum, non peccavi: sive peccavi, non sum sapiens. Ex quo fit, ut utroque modo mendacii convincaris.

6. Et quanquam multa possim rursus in te magnaque tum vetera tum nova culpare, non tamen faciam; siquidem non tam per tua vicia quam per meas virtutes hoc volo crimen diluere. Atque hæc quidem ad te dicta sint.

7. Ad vos autem, judices, de me nonnihil volo dicere, odiose quidem, sed vere, quodque ut in accusato tolerari possit, ita non accusatum non deceat. Quoniam enim nunc præteritæ vitæ rationes apud vos refero, ne quis vestrum indignetur, si quid a me præclare gestum recensuero, peto, verum accusatum vel falsa de se prædicare posse existimet, ego autem quod verum sit apud vos conscios libentissime narravero. Primum igitur ac secundum quodque habeo maximum, est vita prior ab initio ad finem usque sine ullo crimine peracta: nec enim quisquam vitium ullum possit vere mihi tribuere. Nam nec accusator ipse quicquam eorum quæ dixit comprobavit: adeo convicium duntaxat sine probatione sermo ejus complexus est.

Quid quod non tantum culpa me vacare, sed etiam egregie de vobis et Græcis atque adeo cunctis mortalibus, qui quidem sequentur, meritum esse dixerim, nec mentiar neque refellar. Quis enim alius vitam humanam facilem ex difficili, ornatam ex inornata reddidisset? Equidem et aciei bellicæ rationem reperi, rem non parvi momenti, et leges scriptas, justitiæ custodes, et literas, instrumentum memoriæ, et mensuras atque pondera, faciles contractuum arbitros, et numerum, opum custodem, et faces, optimos ac celerrimos nuncios, et calculos, otii suavem usum. Cur igitur hæc vobis in memoriam revocavi? Non tam quod his non esse deditum, quam quod a turpibus et malis rebus me semotum esse indicare vellem: nam qui illa curet, is hæc necesse est negligat. Hoc autem postulo, si nusquam vos ego læsi, ne a vobis item ipse lædar. Nam nec in aliis negotiis ita me gero, ut vel juniores vel seniores mihi nocere cupiant. Etenim senibus sum non injucundus, juvenibus non inutilis; felicibus non odiosus, erga miseros misericors; nec paupertatem despiciens, aut opes pluris quam virtutem faciens; nec in consiliis imperitus, nec in præliis ignavus aut contumax. Sed non me decet meas recitare laudes; nisi quod hæc tempora me, præsertim accusatum, defensionem cogunt instituere.

8. Reliquum est, ut de vobis ad vos verba faciam, quibus absolutis defendendi finem statuam. Ac misericordia quidem et preces atque amicorum deprecatio, cum vulgi est judicium, usum habent: at vobis Græcorum principibus non amicorum auxiliis nec precibus aut misericordia persuadendum est, verum justissime declarata sine fraude veritate crimen hoc evadendum. Jam vos non verba potius oportet quam res attendere, nec probationibus præponere crimina, neque exiguum tempus longo sapientius judicaturum credere, neque calumniæ plus quam experientiæ fidei habere. Ut enim omnibus in rebus viri boni maxime cavent errorem, ita in iis quæ restitui nequeunt etiam magis: nam hæc et providentia possunt evitari, et pœnitentia curari nequeunt. Tale porro est, cum alicujus caput, ut nunc apud vos, agitur. Quodsi ergo verbis posset pura rerum veritas auditoribus aperta reddi, facile esset secundum ea quæ dicta sunt judicare: quoniam autem aliter se res habet, corpus meum asservate, longius exspectate tempus, ac vere judicate. Nam vos quidem necesse propemodum erit, si vos iniquos præbueritis, infamiam cum gloria commutare. At infamiam viri probi morte graviorem ducunt: cui hæc finem, illa morbum conciliat. Quod si me injuste occideritis, id omnibus manifestum fiet: nam et ego innocens, et vestra inter omnes Græcos erit nobilis atque clara malitia. Quid quod vobis totum imponetur injustitiæ crimen, non accusatori: siquidem vos judicio finem statuitis. Neque vero majus ullum possitis committere peccatum. Quandoquidem non in me tantum et pa-

rentes meos, cum injuste judicabitis, delinquetis, verum etiam vobismetipsis gravis, impii, injusti et iniqui facti eritis conscii, quippe qui commilitonem commodum, de Græcia bene meritum, Græcum Græci occideritis, nullo manifesto flagitio nec aperto crimine comprobato.

9. Atque hæc sint hactenus a me dicta. Longi enim sermonis brevis repetitio haberet quidem apud vulgares judices locum, at principum principes, Græcorum Græcos, quæ dicta sint, nec attendisse nec meminisse, vix existimare fas est.

FINIS.

Londini imprimebat J. F. Dove in area quæ est Divi Joannis.